SELECTA
CIRCA OCTO LIBROS PHYSICORVM ARISTOTELIS SVBTILIORIS

tilioris doctrinæ, quæ in Cõplutensi Academia versatur, vnà cũ tractatu de subsistẽtia, & modis vnionum, & aliis, quæ non vulgaria, sed subtilia maxime sunt, miro quodam ordine disposita, & in dilucidam methodum redacta.

PER LICENTIATVM FRANCISCVM MVRCIA DE LA Llana, in insigni eiusdem Academiæ Collegii Theologorum Collegam.

AD DOMINVM, D. PETRVM A CASTRO CIVItatis Segouiensis Episcopum, & Sacræ Cæsareæ Maiestatis Supremi Senatus meritissimum Consiliarium.

Anno



1606.

CVM PRIVILEGIO.

Compluti: Ex Officina Ioannis Gratiani, apud Viduam.

ILLVSTRISSIMO DOMINO, D. PETRO A Castro Ciuitatis Segouiensis Episcopo meritissimo, Licentiatus Franciscus Murcia de la Llana, Salutem.

QVI TENTORIA Figit, & castra metatur, generosissime Castre nobilissime Præsul minatium hostium, vel aduentum expectare, vel insultantium impetum retardare conatur. Quorsum ista dices? nõ absre profecto: in ea quippe sumus asperrima conditione nati, vt ij, qui literas & scimus, & profitemur, vel vt alij melius rem assequi, vel tenebris obduxisse, quæ aperta erat, videamus: huic rei pro ingenij varietate nõ desunt obtrectatores, qui alienas lucubrationes vel mordaces lacerent, vel maledicentes mordeant. Quos profecto accerrimos hostes compellamus: siquidem illos habẽdi amor in aliena concitat, hos detrectandi sedulitas, in honorem incitat:

quæ cum animaduerteremus, & prudentis sit præcauere futura, te Castrum eximium (idest, castra fortissima) in hos labores, quos in vulgus emanere exoptamus asciuimus: vt vel calumniantium iniurias propulsare, vel maledicentium linguam cohibere possimus: præcipue tamen cum te ea humanitate semper cernam, qua omnes semper est prosequutus: Quoties enim tuæ nobilitatis insigne contemplor, & Cyconiam lacertos extrahentem considero vehementer lætor, me eum Mæcenatem eligisse, qui studiorum meorum rationem tueri, & singulari beneuolentia ad maiora rerum inuitare queat, scimus enim Cyconiam misericordiæ (vt ita dixerim) typum referre, & inter alites singulari amore parentum senectuti indulgere. Sic inte scio, & oculis animi intueor typum splendoris tuæ probitatis, humanitatis in pauperes, integritatis in cęteros, ac denique omnis virtutis generis pręstantiam, cui cum tam admiranda virtute est coniuncta sapientia, cum sapientia humanitas, & cum humanitate summa Christianę Religionis obseruatio: quę omnia cum Phillipum secundum Hispaniarum Regem ęquissimũ necnon Phillipum tertium Sacrosanctę fidei Catholicę fortissimam arcem non latuerint, te ad amplissimas dignitates promouendo: tam exiguum tempus ad tanta referenda, cœlum vsque laudibus decantanda non doleo. Quapropter qui timidus rem agressus hærere assueui, expeditus iter arripio, cum in te nobilissime præsul, Petrum (idest Petram) quam, meorum laborũ fundamentum licebit appellare, & Castrum (idest exercitum & si non militibus, saltem amplissima autoritate copiossum) quo hostium inertia tela depellere. & cyconiam (idest amorẽ) quo adlatrantium inuidiam retundere possem, suscipiendum inuenirem, omnibusq; aduersariorum ictibus cõfractis ad alia capesenda tanquam Miltiadis Clypeo tectus libenter accederem.

Vale.

TASSA

TASSA.

YO Francisco Martinez, Escriuano de Camara del Rey nuestro señor, de los que residen en el su Consejo: doy fee, que por los Señores del fue visto vn libro intitulado, Vnos Commentarios super octo libros Physicorum Aristòtelis, & de Posteriori, & Priori resolutione: compuesto por el Licenciado Francisco Murcia de la Llana, Colegial en el insigne Colegio de la Concepcion de la Madre de Dios de los Theologos de la Villa de Alcala de Henares: y tassaron cada vno de los dichos pliegos a quatro marauedis, y assi mandaron se vendiesse, y no en mas: y que esta tassa se ponga al principio de cada vno, para que se sepa lo que por el se ha de lleuar, y que no se pueda vender, ni venda de otra manera. Y para que dello conste di esta fee en la Villa de Madrid, a cinco dias del mes de Octubre, de mil y seyscientos y seys años. Emendado, sa qu, vala.

Francisco Martinez.

APPROBATIO.

DE Mandato Regij Senatus, vidi Selectas Quæstiones, in octo libros Aristot. Physicorũ, & de Priori resolutione, & de Posterioribus, tum, & de interpretatione Licentiati Francisci Murcia de la Llana, in quibus omnibus nihil reperi fidei contrarium, & moribus obnoxium multa vero accute, & cum breuitate tractata, quibus studentium ingenia possint exerceri; & accui. Datum Vallesoleti, vltima die Mensis Aprilis, Anno Domini millesimo sexcentesimo quarto.

Pater Franciscus de Figueroa.

LIBRVM Hunc vidi, & cum suo archetipo contuli, quod Sacræ Cæsareæ Maiestatis Senatus approbauit & eorum, qui typis excusi sunt exemplar esse voluit, omniaque in eo sunt adeò verè, & fideliter impressa, vt præter ea, quæ à me proxime sunt emendata, nulla vnquam in re ab exemplari suo discedant. Datum Compluti, in insigni Theologorum Collegio Academiæ Complutensis, die 14. Mensis Septembris, Anno 1606.

Licentiatus Franciscus Murcia de la Llana.

EL REY.

POR Quanto por parte de vos el Licenciado Francisco Murcia de la Llana, nos fue fecha relacion, que vos auiades compuesto vnos Commentarios, super vniuersam Philosophiam Aristotelis, y nos pedistes y suplicastes, que para que de semejante trabajo se viniesse a sacar el fruto que con el auiades pretendido dar, vos mandassemos dar licencia para poder imprimir las dichas obras, no auiendo en ellas falta que lo impidiesse, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por nuestro mandado se hizieron las diligencias, que la Prematica manda, por nos vltimamente fecha sobre la impression de los libros: fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula por la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por lo qual os damos licencia y facultad, para que por tiempo y espacio de diez años cumplidos, primeros siguientes, que corran y se cuenten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula en adelante, vos, o la persona que para ello vuestro poder huuiere, y no otra alguna, podays imprimir el dicho libro que de suso se haze mencion. Y por la presente, damos licencia y facultad a qualquier Impressor destos nuestros Reynos, qual vos nombraredes, para que durante el dicho tiempo, le pueda imprimir por el original, que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado cada plana, y firmado al fin del de Francisco Martinez nuestro Escriuano de Camara, y vno de los que residen en el nuestro Consejo, con que antes que se venda, le traygays ante ellos, juntamente con el dicho original, para que se vea si la dicha impression està conforme a el, y traygays fè en publica forma, como por corretor por nos nombrado, se vio y corrigio la dicha impression con el dicho original. Y mandamos al Impressor que assi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y primer pliego, ni entregue mas de vn solo libro al autor, o persona a cuya costa se imprimiere, para efeto de la dicha correcion y tassa, hasta que antes y primero el dicho libro estè corregido, y tassado por los del nuestro Consejo, y estandolo, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho libro, y su principio y primer pliego, en el qual inmediatamente se ponga esta nuestra cedula y priuilegio, y la aprouació, tassa, y erratas, y no le podays vender, ni vendays, vos, ni otra persona alguna, hasta que este el dicho libro en la forma susodicha, sopena de caer, e incurrir en las penas cõtenidas en la dicha prematica, y leyes de nuestros Reynos que sobre

ello

ello disponen. Y mandamos que durante el dicho tiempo, persona al guna sin vuestra licencia, no le pueda imprimir ni véder, sopena que el que lo vendiere, è imprimiere, aya perdido y pierda qualesquier libros, moldes, y aparejos q̃ del tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere: dela qual dicha pena sea la tercia parte para la nuestra camara, y la otra tercia parte para el juez que lo sentenciare, y la otra para el que lo denũciare. Y mandamos a los del nuestro Consejo, Presidente, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de nuestra Casa y Corte, y Chancillerias, y a otras qualesquier justicias, de todas las ciudades, villas, y lugares de los nuestros Reynos, y señorios, a cada vno en su jurisdicion, assi a los que agora son, como los que seran de aqui adelante, que vos guarden y hagan guardar, y cumplan esta nuestra cedula y merced que assi vos hazemos, y contra ella no vayan ni passen ni consientan yr ni passar en manera alguna, sopena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para nuestra camara. Dada en Valladolid, a treynta y vn dias del mes de Iulio, de mil y seyscientos y quatro años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor.

Iuan de Amezqueta.

INDEX DISPVTATIONVM, ET QVAESTIONUM.

LIBER PRIMVS.

¶ beant

LIBER SECVNDUS.

¶ 2 Quæst.

LIBER TERTIVS Physicorum 463.

LIBER QVARTVS Physicorum 510.

LIBER QVINTVS Physicorum 640.

LIBER SEXTVS Physicorum 676.

LIBER SEPTIMVS & octauus.

Quæst.

SELECTA CIRCA OCTO LIBROS ARISTOtelis stagyritæ de Physica auscultatione, siue de Physico auditu.

PROOEMIVM.

MAGNVS. Ille Pythagora (vt refert Laertius de vitis Philosophorum, & Clemens Alexandrinus libro primo stromatum, ac plures alij) interrogatus, qua arte, & sapientia polleret, respondisse fatetur, se nō sophum, id est, sapientem, sed Philosophum, id est, amatorem sapientiæ esse, & ita vox Philosophia, quæ antea amorem, & desideriū sapientiæ significabat, ex vsu, & consuetudine inde orta, sapientiam significat, & Philosophi sapientes nuncupantur. Ex quo factum est, quod nomen philosophia, sicut sapientia, multipliciter accipiatur. Primo enim sumitur sapientia pro omnium scientiarum cumulo, in qua significatione sapiē-

ter appellari solent, qui in omnium scientiarum genere versati sunt, vt videre est apud Aristotelem 2. Metaphysicorum cap. 2. Et quia ad hanc rerum omnium sapientiã consequendam necessarius est rerum sensibilium contẽptus, quẽ mortis meditatio præcipuè nutrit, & fouet, ideò sapientia seu Philosophia hoc modo sumpta, eius causam attendendo, definiri solet, quod sit mortis imitatio.

Secundo sumitur sapientia seu Philosophia, quasi per Antonomasiam pro metaphysica, & ita metaphysica prime philosophia appellatur. quæ scilicet de primis, & vniuersalissimis omnium rerum principijs disputat.

Tertiò verò, & ad nostrum propositum sumitur (vt alias significationes omittam) pro scientia rerum naturalium, & hæc Philosophia naturalis, *appellatur. Dicitur etiam* Physica *nam hæc vox Græca* Physis, *naturam significat, & ita scientia, quæ de rebus naturalibus disputat, physica appellatur quæ plurimos cõprehendit libros, quales sunt libri de Cœlo, de Anima, de Generatione, de Animalibus, & Plantis, &c.*

Quid sit philosophia.

Præcipua tamen philosophiæ pars illa est, quæ pertinet ad octo libros physicorum, cum in eis tractetur de omnibus rerum naturalium principijs, & earum affectionibus. Qui libri de physico auditu, *inscribi solent. sumpto* auditu *pro doctrina, nam doctrina mediante auditu habetur, & ita tradunt doctrinam entibus naturalibus cõmunem vel, vt alij volunt, ideo* de physico auditu *appellantur, quia cum difficilem contineant disputationem, nõ nisi audiendo magistrum facile intelligi possunt. In eorum ergo explicatione methodum semper à nobis vsitatam ob seruabimus. vt scilicet de singulis rebus disputationes, & in quauis disputatione quæstiones, & difficultates proponemus.*

DISPVTATIO PROOEMIALIS DE NATVRA, ET PROPRIEtatibus Philosophię naturalis.

IN hac disputatione nomine philosophię naturalis, nõ eam tãtum partem intelligimus, quæ in octo libros physicorũ cõtinetur, sed de philosophia loquimur, prout omnes alios libros iam relatos comprehẽdit. Vbi etiam aliquid in particulari dicam de his octo libris physicorum.

QVAESTIO. I.

Vtrùm philosophia naturalis sit scientia?

ANtiqui philosophi, vt refert Arist. 4. libr. met. & c. 4. in ea fuerunt sententia, vt existimarent, de rebus naturalibus nullam certam cognitionem esse, & ita nec scientiã haberi posse, cum scientia sit cognitio certa, & euidens: sic asserunt Heraclitus, & Cratilus, Socrates, & Pythagoras. *Contraria sent.* Quorum fundamentum erat

1. Rat. Primo nam scientiæ cum perpetuæ sint, debent esse de rebus perpetuis, & incorruptibilibus, res autem naturales nõ perpetuæ, sed corruptibiles sunt, & contingentes, de illis ergo scientia aliqua haberi non potest.

2. Ratio. Secundò, quam tota cognitio, quæ de rebus naturalibus habetur, præcipuè fundatur in experiẽtia sensuum, quæ incerta est, & sæpè fallitur: talis ergo cognitio non est sciẽtia certa.

3 Tertiò, quia cum scientia sit cognitio, tãtùm haberi potest de rebus certis, & infallibilibus, vt diximus 1. libro Posteriorum cap. 26. sed fere omnia, quæ in philosophia naturali traduntur incerta sunt, magnamq; opinionum varietatem habent, vt docuit Arist. 2. lib. de Cœlo text 17. & text. 60. ergo philosophia non est verè, & propriè scientia.

Vera sent. Contraria tamen sententia verissima est, scilicet de rebus naturalibus scientiam verè, & propriè haberi posse, ac per inde philosophiam naturalem veram scientiam esse; Ita tenet communis philosophorũ sententia cum Arist. 4. Met. cap. 3. & 3. lib. Physicorũ text. 24. & 1. lib. de partibus animaliũ capit. 1. Et ratione probatur, quia scientia est cognitio certa, & euidens, sed de rebus naturalibus multa cognoscimus per certam, & euidentem demonstrationem.

V. G. Probat philosophia demonstratiuè, q̃ omne mixtum sit corruptibile, hac demonstratione. Quidquid habet contrarias qualitates corruptibile est, cum corruptio fiat à contrario: sed mixtũ habet compositionem, & mixtionem ex contrarijs qualitatibus: ergo mixtum corruptibile est. Similiter demóstrat, quòd viuentia moueantur à se, quia habent animam, quæ est principiũ actionis vitalis.

1. Aduert. Est tamen aduertendum, quòd philosophia naturalis aliquando vtitur demonstratione, *propter quid*, & à priori, quales sunt prædictæ demonstrationes, quia in eis argumétamur à causa ad effectum. Aliquãdo verò vtitur demonstratione, *quia*, & à posteriori, argumentando ab effectu ad causam, nam vt Aristot. ait 1. metaph. cap. 2. philosophi ex admiratione effectuum ceperunt causas inquirere.

2. Aduert. Secundò aduertendum, est, philosophiam naturalẽ, sicut quamlibet aliam scientiã, non versari circa singularia per se loquẽdo, sed potius circa vniuersalia, de quibus est sciẽtia: agit enim de rebus naturalibus in vniuersali, & secũdùm speciem cõsideratis, vt in eius discursu patebit.

R. Ad 1. contra sent. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respõdetur. Ad primum, quòd quanuis res naturales corruptibiles sint, consideratæ prout in singulari, & quantùm ad existentiam; tamen essentiæ rerum, abstrahẽdo ab existentia in singularibus, qua ratione de illis habetur scientia, incorruptibiles sunt, quantùm ad connexionem essentialem prædicatorum. Nam quòd hoc prædicatum *animal*, essentialiter conueniat homini, inuariabile est, aliàs non esset homo. Verùm est, hæc vniuersalia per accidens corrũpi in singularibus, in quibus sunt, & quantùm ad existentiam.

Sed instabis. Quando aliquid per se alicui conuenit, eius oppositum neque per se, neque per accidens ei potest com-

competere: ergo si vniuersalia per se loquendo in corruptibilia sunt, neque per accidēs, & in singulari poterunt corrumpi.

Adverte. Respondetur, axioma illud debere intelligi, quando aliquid cōuenit alicui per se positiuè, idest tanquam prædicatum essentiale, vel propria passio, qualiter ita conuenit homini esse animal, & esse risibile, contrarium nullomodo potest illi competere; non tamē debet intelligi, quādo aliquid conuenit alicui per se negatiuè, idest, quod ex se non est tale: quanuis enim homo ex se non sit albus, per accidens tamen potest esse albus. Ad eundem ergo modum naturæ vniuersales dicuntur per se incorruptibiles negatiuè, idest ex se non petunt corrumpi, per accidens tamen possunt esse corruptibiles, scilicet quantū ad existentiam, quam habent in singularibus.

Ad 1. [illegible]

Est tamen aduertendum, quod propositiones, quæ in philosophia demonstrantur, non omnes sunt eodem modo necessariæ. Quædam enim sunt omnino necessariæ, vt quòd homo sit animal. Aliæ sunt necessariæ, ita vt per naturam oppositum euenire non posit, non tamen de potentia absoluta, vt quod homo sit risibilis, quod ignis sit calidus. Aliæ verò sunt necessariæ tantúm, vt in plurimum, vt quod in hyeme sit pluuia: de quibus optimè haberi potest scientia, vt diximus 1. lib. Post cap. 2. quæst 3. Et breuiter ratio est: nam huiusmodi res esse necessarias, vt in plurimum, certò cognoscitur, nam proculdubio certò cognoscimus, pluuiam futurā esse in hyeme, vt in plurimū. Illa ergo cognitio certa est, & scientifica.

Ad 2. Ad secundum respōdetur, quòd quanuis sensuum experientia fallax sit, quando sensus est morbo affectus, qualiter infirmi, quę dulcia sunt, iudicant esse amara: vel quando obiectum non est in debita distantia, qua ratione circa res à longe existentes visus decipi solet: tamen quando obiectū est sufficienter approximatū, & in sensu ipso non est morbus aliquis, experientia certissima est; & ita argumētum ab illa sumptum satis efficax est. Nam quia experimur ignem conuurere, optimè infertur combustiuum esse. Præterea quanuis experientia in hoc, vel illo homine falli potuit propter causas dictas, tamen quòd communis omnium experientia fallatur, nequaquam credendum est.

Ad 3. Ad tertium respondetur, quod

vt diximus in proœmio Logicæ & 1. lib. Post capit. 26. non omnes conclusiones, quæ in disciplina aliqua traduntur, pertinent ad habitum scientificum illius scientię. V.G. Ad habitum scientificum Philosophiæ illæ tantùm conclusiones pertinent, quæ certò, & euidenter demonstrantur, cũ scientia solum per demonstrationem acquiratur: aliæ verò conclusiones, quæ tantùm argumentis probabilibus, & cõiecturis probantur, non pertinent ad habitum scietificum, quem philosophiam appellamus, sed ad alium habitũ philosophicum opinatiuum.

QVÆSTIO. II.

Quod sit obiectum Philosophiæ naturalis.

HAC in re magna est apud Autores dissensio, tam de re ipsa, quàm de modo loquendi: quorum opiniones vt intelligamus, aduertendum est, quòd cum Philosophia naturalis de rebus naturalibus disputet, & cum ens naturale appelletur illud, ꝙ habet naturam. sicut natura multis modis sumitur, ita & ens naturale. Natura ergo multis modis sumitur, quos benè congessit Vera Cruz 1. libro Physicorum speculatione prima: sumitur ergo natura primò pro rerum ordine ipsis rebus consentaneo: qua ratione philosophi omnes docent, ꝙ natura abhorret vacuum, quia naturalis ordo ita postulat, vt dicemus 4. Physicorum, & ita quod secundum huiusmodi rerum ordinem consentaneũ cõtingit, naturale appellatur.

Natura multipliciter sumitur.

Secundo modo sumitur natura, & naturale, vt distinguitur contra super naturale; qua ratione omne illud, quod absque miraculo contingit, etiã si ipsi subiecto violentum sit, naturale appellatur, idest non miraculosum, quale est, aquã calefieri.

Tertio sumitur naturale, prout distinguitur contra violentum, qua ratione naturale est aquæ frigidam esse, quia non est illi violentum, sed iuxta exigentiam suæ naturæ.

Quartò sumitur natura pro natiuitate, & ita quod alicui à natiuitate conuenit, naturale dicitur. Quintò sumitur natura pro essentia; qua ratione vnius cuiusque rei quidditas, eius natura appellatur. Sextò sumitur, vt distinguitur cõtra liberũ: qua ratione, illud opus quod ab homine absque libertate, & deliberatione fit, naturale appellatur, quia in tali

modo operandi conuenit homo cum brutis, & alijs agentibus naturalibus. Septimò tandem & ad nostrum propositũ sumitur natura apud Aristot. 2. lib. physicorum *pro principio motus, & quietis*: & ita illud appellatur in præsentia ens naturale, quod habet principiũ suarum operationum. Et ita idem, est ens naturale hoc modo & ens mobile. Et quia principium motus, aliud est actiuum, quod illud efficit; qualis est forma substantialis: aliud passiuum, nempe quòd illud recipit; qualis est materia vt dicemus 2. physicorum, cũ sit potentia passiua; ideò naturale, aut mobile appellatur illud omne, quod vel habet principium actiuum, vel passiuum sui motus, & ita mobile in præsentia appellatur, quod habet principium sui motus, siue actiuum, siue passiuum.

1. *Sentent.* Hoc supposito, prima sententia affirmat, obiectum adæquatum philosophię naturalis, esse corpus generabile, & corruptibile; quam tacito auctorum nomine refert Pereira 2. lib. physicorum capit. 2. Cuiusuis tamen sit hæc opinio, falsa est. Primò, quia cœlum ex Arist. 1. de cœlo cap. 3. est ingenerabile, & incorruptibile, de illo tamen disputat Aristoteles in libris de cœlo. Neq; dici potest ibi Arist. per accidens agere de illo, cũ per quatuor libros de illo ibi disputet. *Reijcitur.*

Secundò, quia philosophia naturalis agit de entibus naturalibus: cœlum autem corpus quoddam est naturale: ergo per se agit de illo.

Tertiò, quia cœlum habet passiones physicas: habet enim motum localem physicum, & sensibilem: ergo per se pertinet ad considerationẽ physicam.

Secunda sententia est sancti Thomæ hoc loco, & in proœmio librorum de cœlo, quem secuntur Caietanus opusculo de hac re edito. Fer. 1. physicorum quæst. 1. Sanzius 4. met. quæst. 10. Pereir. 2. Physicorum cap. 3. & plures alij asserentes obiectum philosophis esse ens mobile. *2. Sentent.*

Tandem tertiò alij asserũt, quòd quanuis ens mobile, & ens naturale idem sint, melius tamen explicatur obiectum philosophiæ per ens naturale, quàm per ens mobile. Tenet Antonius Andreas 1. metaphisicorum quæst. 1. Paulus Venetus in proœmio physicorũ, & ibidem Tolletus quæst. 2. Et quidem quod obiectũ adæquatum philosophię non sit ens mobile, vt vult S. Thomas his argumentis videtur posset

probari. Primo quia obiectū adæquatum debet comprehēdere omnia, quæ tractantur in sciencia: sed ens mobile non comprehendit omnia, de quibus per se agitur in philosophia: nam Aristot. 8. lib. physicorum agit de primo motore, Deo scilicet, qui tamen non est mobilis, cum imutabilis sit. agitur etiam de vacuo, & infinito, quę non sunt entia mobilia cum nil sint.

Secundò, quia nulla sciencia probat de suo obiecto adæquato, quòd sit sed potius hoc supponit: sed Arist. 6. lib. physicorum text. 32. probat cōtra Zenonem quod corpus sit mobile: ergo ens mobile, seu corpus mobile, non est obiectū adęquatū Philosophiæ.

Et confirmatur: nam passio non præsupponitur, sed demonstratur, vt docuit Arist. 1. post cap. 1. sed quòd corpus sit mobile, est passio quædam ab illo dimanans, & ita demōstrari potest: ergo non est obiectum philosophiæ, nam de obiecto pręsupponēdum est, an sit.

Tertiò, nam etiam Astrologia disputat de ente mobili, quia non solūm considerat astrorum naturas, sed etiā motus.

Quartò, nam etiam Philosophus agit de materia, & forma, quę tamen non sunt entia mobilia, sed partes entis mobilis.

Quintò, quòd sicut corpus naturale est mobile, ita etiam est quiescibile: omnis enim motus est propter quietem naturalem acquirendam si enim in terra mouetur ad centrum ideò est, vt in illo naturaliter quiescat: ergo ens mobile tantúm nō est obiectum adęquatum philosophię.

Sextò, nam etiam Angelus est ens mobile: mouetur enim ab vno loco ad alium, sed Philosophus non agit de Angelis; tum, quia hoc expectat ad metaphysicum, quia agit de rebus sensibilibus, quales non sunt Angeli.

Quid inter sit inter subiectum.

Vt in hac re veritatem explicemus, distinguamus, oportet inter obiectum, & subiectum scientiæ. De quo plura dixi tam in proœmio logicæ, quàm 1. lib. Posteriorum cap. 26. subiectum enim scientiæ appellatur illud, de quo in tali scientia demonstrantur passiones, & conclusiones; quod ab alijs appellatur obiectum materiale, quia est materia, circa quam versatur sciētia. Et hoc diuiditur in adæquatum & inadæquatum, obiectum verò vt distinguitur contra subiectum est duplex. Aliud formale *quod*, aliud formale, *quo*, seu ratio

ratio, sub qua. De quibus plura dixi loco allegato.

Assertio. I. His suppositis dico 1. in hac quæstione subiectum adæquatum philosophiæ esse, ens mobile, seu, ens naturale, quod idem est. Hanc conclusionem tenent Auctores pro secunda sententia citati. Tenet etiam Arist. 6. met. cap. 1. & 11. met. cap. 3. vbi docet philosophiã versari circa genus entis, ꝙ in se habet principiũ motus: hoc autem est *ens mobile*, seu *ens naturale*. Et met. text. 2. ait philosophiam agere de substantia mobili.

Quid inter et inter sub ectum. Et ratione probatur, quia illud est subiectum, adæquatum scientiæ, de quo demonstrantur passiones, & affectiones in tali scientia: sed philosophia omnia, quæ tradit, sunt de enti mobili, demonstrat enim eius passiones, vt esse in loco, & in tempore, & habere quantitatem. Agit etiam de principiis, & causis entis naturalis, & de eius partibus vt *de materia*, & *forma*, vt in discursu huius scientię patebit: ergo subiectum adæquatum philosophiæ est ens mobile, seu ens naturale.

Quid aduert. Est tamen aduertendum, quòd cum *mobile*, dicatur in ordine ad motum, sicut motus in præsentia duobus modis sumitur, ita & mobile. Nam motus 1. potest sumi pro qualibet actione, siue corporea, siue spirituali. Alio modo sumitur pro actione corporea, & sensibili, siue illa sit motus propriè dictus, siue sit mutatio. Philosophus ergo agit de ente mobili prout dicit ordinem ad motum physicum, & corporeum: non verò de mobili motu spirituali, quia physicus per se loquendo, solum agit de rebus sensibilibus & corporeis: tantùm enim res istæ sunt, quæ appellantur physicæ, & ita Arist. 12. met. text. 6. dicit tantùm substãtias sensibiles pertinere ad Philosophum naturalem. Et similia habet met. text. 2. & 3. quòd si Arist. 3. lib. de anima disputat de anima rationali, quę spiritualis est, & de eius potentijs, ideo est, quia anima rationalis est pars viuentis naturalis, hominis scilicet, qualiter etiam agit de intelligẽtijs, & de primo motore, in quantum sunt principia motuũ cœlũ enim mouetur ab intelligentia, & omnia hęc corpora inferiora mouentur, vt mota à primò motore, qui est Deus per se verò agere de his omnibus spectat ad metaphysicum, cuius est agere de rebus separatis à materia. *De quibus agat physic. naturalis.*

Ex quo sequitur, quòd particularia entia naturalia, contenta

tēta ſub ente naturali, aut ſub ente mobili in communi, ſunt ſubiecta inadęquata philoſophię, qualia ſunt cęlum, elementa, & alia mixta, inter quę illud quod pręſtātius eſt, qualis proculdubio eſt homo, eſt obiectum principalitatis.

Aſſert. 2. Dico ſecundò in hac quęſtione. Quanuis idem ſint ens naturale, & ens mobile, melius tamen explicatur ſubiectum philoſophię per ens mobile, quam per ens naturale. Quam conclusionem tenet D. Thomas, & reliqui Autores ſecundę ſententię. Et ratio eſt quia non ita facilè venit in mentem, quòd ſit naturale, quàm quod ſit mobile. Cum nomen, *natura*, à quo denominatur, *naturale*, multò magis ambiguum ſit, vt diximus quàm nomen motus, in ordine ad quod, mobile denominatur tale. Tum etiam, quia cum natura non intendat corruptionem, naturale non ita clare ſe extendit ad motum corruptionis, de quo etiā agit philoſophus, ſicut nomen *mobile*, quod denominatur à motu, prout omnem motum cōprehendit. Melius ergo explicatur per ens mobile quā per ens naturale.

Aſſert. 3. Dico tertiò ſubiectum huius partis Philoſophiæ, quę continetur in octo libris phyſicorum, eſt *ens mobile*, ſeu *ens naturale*, prout comprehendit principia & affectiones communes omnium entium naturalium. Ita tenet Valles quęſt. 1. Tolletus, & Villalpandeus quęſt. 2. Et ratio eſt, quia in his octo libris agitur de principijs, & affectionibus communib' entiū naturaliū: ergo *ens naturale*, vt ſic, eſt obiectū adęquatum horum librorum.

Sed obijcies. Ens naturale in communi, eſt ſubiectū adęquatum philoſophię: ſed ens naturale in communi, etiam dicit principia, & affectiones communes omnibus entibus naturalibus: ergo idem eſt ſubiectum adęquatū totius philoſophię, & horum librorum.

Reſpondetur quòd ens naturale in communi poteſt cōſiderari duobus modis. Primò vt tantum dicit principia, & affectiones communes; nō tamen conſideratur, quaſi vt totum potentiale continens inferiora, ſed quaſi vt totum actuale, & hoc modo eſt ſubiectum adęquatum huius partis philoſophiæ: tamen ſi conſideretur, quaſi vt totum potentiale, continens particularia entia naturalia, qua ratione plura cōprehendit, & quid confuſius eſt: hoc modo eſt ſubiectum totius philoſophię naturalis.

Dico

Assertio 4. Dico quartò in hoc quæstione obiectũ formale, *quod* adæquatum philosophiæ naturalis, sunt conclusiones, seu passiones, quæ de enti naturali demonstrantur: ita quòd cõclusio philosophica incõmuni, prout comprehendit particulares conclusiones philosophicas, & passiones, quæ de enti naturali demonstrantur, sit obiectum formale, *quod* adæquatum philosophiæ. Quæ conclusio aperte sequitur ex doctrina à nobis tradita 1. lib. post cap. 26. vbi ostendimus, quòd in quauis scientia obiectum formale *quod*, sunt conclusiones, seu passiones, quæ de obiecto adæquato demonstrantur. Et breuiter ratio est, quia obiectum formale *quod* sunt rationes illæ formales quę de subiecto considerantur, & demonstrantur, & ideò formale *quod* appellatur: ergo tam in in philosophia, quam in quauis alia scientia obiectum formale *quod* sunt conclusiones, quæ de subiecto demonstrantur.

Quid sit obiectum formale quod.

Assertio vltima. Dico vltimò. Obiectum formale, *quo*, vel, vt alij loquũtur, ratio, sub qua sunt principia illa philosophica, quibus de subiecto huius scientiæ probãtur passiones. Hæc etiam conclusio sequitur ex dictis loco allegato, vbi ostendimus obiectũ formale *quo*, in omni scientia esse principia propria talis scientiæ, quibus scientia illa probat conclusiones, de suo subiecto. Et probatur ex Aristot. 1. Post. capite 23. vbi vt vidimus dicit scientias distinguendas esse per diuersa principia, quibus vtuntur ad probandas suas conclusiones: sed obiectum formale, *quo*, seu ratio *sub qua*, est illud vnde sumitur distinctio in scientiis: sentit ergo Aristot. in omni scientia obiectum formale *quo*, esse principia illa quibus conclusiones in tali scientia probantur. Eamdẽ conclusionem apertissimè docuit S. Thomas 2. 2. quæst. 1. artic. 1. vbi ad probandum, quòd testimonium primæ veritatis est obiectum formale *quo*, habitus fidei Diuinæ, dicit quòd in quauis sciẽtia. v. g. in Geometria obiectũm formale *quo* sunt principia, quibus illa scientia probat conclusiones de suo obiecto.

Quid obiectum formale quo.

Et ratione probatur, quia in quacumque potentia, & habitu, motiuum assentiendi, vel operandi, est obiectũm formale *quo*. *Qua* ratione in voluntate bonitas obiecti, est obiectũ formale *quo*, quia est illi motiuum amandi: & in potentia visiua obiectum formale quo est lumen, quia est quasi motiuũ ad vidẽdos colores, ipsum verò lu-

rò lumen per se ipsum est visibile: sicut in demonstratione principia sunt motiuum assentiendi conclusioni, ipsa verò principia per se ipsa sunt euidentia: sed in omni scientia ratio, & motiuũ assentiendi conclusionibus sunt principia propria illius scientię, quibus suas conclusiones probat: ergo talia principia sunt obiectum formale quo.

Reiicitur sentent. Ca Ex quo etiam reiicienda est sententia Caietani. 1. p. quæst. 1. artic. 7. quem hoc loco plures sequuntur asserentes, obiectum formale *quo* tam in philosophia, quã in quauis alia scientia esse diuersum modum abstractionis à materia, quem cõsiderant in suo obiecto. Quod falsum est cum ostensum sit obiectũ formale *Quo*, esse principia propria cuiuslibet scientiæ: tum etiam, quia quãuis res corporee, fiant intelligibiles per productionem speciei intelligibilis, quę spiritualis est, tamen abstractio ipsarum rerũ à materia non est motiuum iuuans ad earum intellectionem, sed impediens potius: nam experimur, quòd quantò aliqua res est magis corporea, & materialis, tantò facilius à nobis cognoscitur, & ita Deus, & Angeli, qui spirituales sunt, non ita facile cognoscuntur à nobis: imò per modum rei materialis illos cognoscimus. Nec mirum est, quia cũ anima pro hoc statu sit coniuncta, & immersa corpori, quidquid intelligit; est per modum corporis: nam ex coniunctione, quã habet cum corpore, intelligit mediis sensibus, qui non nisi res corporeas percipiunt. Superest respondeamus ad argumenta supra adducta. Ad primũ iam diximus Philosophiã, non agere per se de primo motore, & intelligentiis, quę spirituales sunt: hoc enim per se spectat ad Methaphysicieum, cvius proprium est agere de substantiis separatis, vt docuit Aristotel. 6. Metaph. cap. 1. & lib. 11. cap. 6. & solum agit Philosopus per accidens de illis, in quantum sunt causa motus, qui cõsideratur à Physico: de vacuo verò, & infinito disputat Philosophus, in quantum quodam modo ordinantur ad doctrinam de enti naturali tradendam, vt docuit Aristot. 3. Physicorum, textu 24. Probat enim Philosophus, nullũ corpus naturale esse vacuum, aut infinitum. *Respõdetur ad primum argument.*

Ad secundum respondetur (aliis relictis solutionibus) Aristot. loco allegato non reprobare, quòd detur à parte rei ens mobile, sed probare quòd omne mobile sit corpus, quòd potius supponit dari à parte *Ad 2.*

rei

reichs mobile, cum deinde de illo probetur, quòd sit corpus.

Ad confir. Ad confirmationem respondetur, quòd sicut risibile potest sumi formaliter, & radicaliter, ita & mobile: nam mobile formaliter significat potentiam ad motum: mobile verò radicaliter significat substantiam illã, vnde oritur talis potentia ad motum: nempe totũ compositum substantiale integratum ex materia, & forma. Vnde si sumatur mobile formaliter pro potentia ad motũ, est passio, quę demõstrari potest: si verò sumatur mobile radicaliter, pro substantia mobili, hoc modo est subiectũ Philosophiæ: de illo enim demonstrantur cæteræ passiones, & ita hęc propositio. Corpus mobile, est mobile; si sumatur à parte subiecti mobile radicaliter, & à parte prædicati mobile formaliter, non est propositio identica, sed est sicut ista: Homo est risibilis, quia facit hunc sensum: substãtia corporea est mobilis.

Respõdetur ad primum argument.

Ad 2. *Ad 3.* Ad tertium respondet optime Simplitius 2. Physic. textu 16. quòd Astrologus, quanuis consideret motus astrorũ, non tamen considerat eorum materias: neque enim considerat essentiam, & causas stellarũ, sed solum accidentia illarum, scilicet, quam habeant quantitatem, & distãtiam inter se: imò nec considerat essentiam motus illarum, sed accidentia aliqua talis motus: nempè, an sit vniformis, & æqualis cum motu alterius, & &c. & ita non considerat essentiam, & quidditatem entis mobilis. Et hoc est, quod alij dicunt, quòd Mathematicus nõ considerat corpus Physicum, idest, corpus substantiale, cõsiderando eius essentiam, & causas, sed potius considerat corpus Mathematicum, idest, quantitatem: nam Mathematicus agit de quantitate.

Ad 4. Ad quartum quòd habitus, & priuatio, vt sepe docuit Aristoteles reducuntur ad idẽ genus, & ita cum quies sit priuatio motus, cum dicimus. Ens mobile, est subiectum Philosophiæ, sumitur *mobile*, pro vt dicit principium, non solum motus, sed quietis.

Ad 5. Ad quintum, quòd ad scientiam non solum spectat agere de suo subiecto adæquato, sed de partibus essentialibus componentibus illud: nam distincta totius cognitio pendet ex cognitione partium, & ita ad Philosophum naturalem spectat agere de materia, & forma, quia sunt partes essentiales corporis mobilis, quanuis non sint entia mobilia.

Ad

Ad sextum, quòd motus Angeli non est motus Physicus, quia non est motus sensibilis, sed spiritualis, & alterius rationis: physicus autem solũ considerat res materiales, & sensibiles, vt dictum est: & ita Angelus non est ens mobile motu Physico, & corporeo, vt hic loquimur.

Et si aliquis tandem inquirat, cum non solum motus, sed etiam quantitas, tempus, & locus sint affectiones corporis naturalis, de quo agit Philosophus, quare subiectum Philosophiæ appelletur potius ens mobile, quàm alio modo. Respondetur causam esse, quia Philosophus præcipuè agit de motu, & de causis motuum, vt ex discursu Philosophiæ patebit, & ita potius obiectum Philosophię denominatur ens mobile, quam alia ratione.

QVAESTIO III.

Vtrum Philosophia naturalis sit scientia practica, vel speculatiua, & an sit vna scientia.

OMMISSA Philosophia morali, quæ scilicet agit de actibus humanis, & liberis de qua nihil ad nos; de Philosophia naturali, facilem habet solutionẽ prior pars quæstionis, scilicet an sit practica vel speculatiua. Communis enim sententia est, illã esse speculatiuã. Sic enim docuit Aristotiles. 6. Meta. textu 1. & 11. Meta. cap. 6. Et ratio est aperta: quia sciẽtia practica est illa, quæ agit de obiecto operabili, vt operabili, id est, mouendo, & dirigẽdo per regulas, & præcepta, vt tale obiectum fiat; Philosophia autem nõ est huius modi, quia non est scientia factiua entis naturalis, neque facit ens naturale: sicut ars domificatiua, quæ practica est, domum constituit, sed potius contemplatur naturas, & proprietates entium naturalium, ibique sistit: ergo est scientia speculatiua, & non practica.

Ex quo infero Medicinam non esse partem Philosophiæ naturalis, sed scientiam ab illa diuersam. Ratio est, quia Medicina est scientia practica: & ita habet pro obiecto aliquid operabile, vt operabile: sed obiectum operabile, vt sic, nõ continetur sub obiecto speculabili, quod est obiectũ scientiæ speculatiuę, cum huiusmodi res sint veluti disparatæ: ergo Medicina non est pars Philosophię. Quòd vero Medicina sit *Medicina non est pars Philosophiæ naturalis.*

na sit scientia practica, probatur: nam Medicina agit de sanitate procuranda, mouendo, & dirigendo ad illam per sua præcepta, & ita est factiua sui obiecti: ergo est scientia practica. Sic tenet D. Thomas, super Boætium de Trinitate. q. 5. artic. 1. Scotus. q. 4. prologi, Aberroes. 1. de anima, textu 17. & ita non placet communis distinctio eorum, qui asserunt Medicinam duas habere partes. Alteram theoricam, id est speculatiuam, quæ naturā, & quidditatem morborum, & medicamētorum speculatur. Alteram verò practicam, quæ scilicet tradit præcepta rectè curandi, & ita dicunt quòd quāuis hæc posterior pars practica sit, prior tamen est speculatiua. Hæc inquam non placet, quia ad rationem scientiæ speculatiuæ, non satis est contemplari naturā, & passiones sui subiecti, hoc enim generale est omni scientiæ, etiam practicæ, quia omnis scientia demonstrat de suo obiecto passiones, sed requiritur, quòd talis contemplatio non ordinetur in tali scientia, ad opus aliquod efficiendum, sed in mera contemplatione sistet. Quod docuit Aristot. 2. Met. cap. 3. dicens, quòd finis scientiæ speculatiuæ est contēplatiō veritatis. Finis vero scientiæ practicæ est opus, ad quod dirigit, & mouet. Quia ergo tota illa contemplatio naturæ morborum ad efficiendam illorum curationem ordinatur à Medicina, ideo est scientia practica.

Medicina non est pars Philosophiæ naturalis.

Dubium. Maiorem ergo habet difficultatē. Secūda pars quæstionis, scilicet vtrum Philosophia naturalis sit vna scietia, vel plures. Et quia vnum est indistinctū à se, & distinctum à quolibet alio, duo hic inquiri possunt. Primo, vtrum Philosophia ita sit vna in specie infima, vt non diuidatur in plures scientias, quæ sint species sub illa contentæ: secundo qua ratione distinguatur ab aliis scientiis.

1. Sententia. Circa primum, prima sententia affirmat, Philosophiam nō esse scientiā in specie infima, sed secundū genus, & comprehendere plures scietias in particulari, iuxta varias species entis naturalis, quam sequuntur plures ex nominalibus, videturque habere fundamētum in Aristot. 4. Met cap. 2. dicente. *Tot esse partes Philosophiæ, quot sunt substantiæ, seu species entis naturalis.* Et similia habet. 1. Physicor. cap. 7.

Et ratione probatur, quia scientiæ sumunt suam distinctionem ex obiecto formali, *quo*, quod obiectum formale, in

in quauis scientia sunt principia, quibus probat suas cõclusiones: & ita vt docuit Aristoteles. 1. Post. cap. 23. illæ sunt diuersæ scientiæ, quæ habent diuersa principia, non subordinata, sed hoc contingit in qualibet specie entis naturalis: nã passiones hominis. v.g. demonstrantur mediante diffinitione essentiali hominis, quæ independens est à diffinitione equi, & leonis: ergo tot sunt principia non subordinata, quot sunt species entis naturalis; atque adeo tot erunt scientiæ speclæ diuersæ.

Secundo, quia experientia constat, diuersam esse realiter scientiã de animalibus, à scientia de elementis, quia vna sine altera haberi potest: ergo Philosophia naturalis non est vna scientia specie infima.

Vera sententia. 3. Contraria tamen sententia probabilior est, & nobis tenẽda: scilicet Philosophiam naturalem esse vnam scientiam in speciæ infima; quam tenet Sotus. 1. Physicor. quæst. 1. cõclusione 4. Fonseca 4. Met. cap. 1. quæst. 1. sectione 4. & plures alij: & non nihil fauet Aristot. 6. Met. cap. 1. vbi sciẽtias connumerans: Metaphysicam, & Phylosophiam, naturalem in singulari appellat: Mathematicas vero, in numero plurali, quasi sentiat Philosophiam naturalem esse vnam scientiam in speciæ, secus vero Mathematicus.

Et ratione probatur: Primo quia scientię distinguũtur per obiecta adęquata, nõ vero per inadæquata: ergo quanuis sint plura principia inadæquata in particulari, quia tamen omnia illa subordinãtur ad idẽ subiectum adæquatum in communi, nempè ad ens mobile in cõmuni sumptũ, debent omnia principia pertinere ad eandẽ scientiam secũdum speciem, ad quam pertinet illud subiectum adæqurtum.

Secũdo, quia in Geometria, vnica tantum sceintia est, quę quæ disputat de triangulo, & quadrãgulo, & alijs speciebus figuræ in communi, sicut etiã eadem scientia est, quæ disputat de linea, superficie, & corpore, quanuis hæc in particulari differant speciæ: ergo similiter quãuis sint plures species entis naturalis, debent tamen pertinere ad vnicã scientiam, cuius adæquatum subiectum sit ens mobile in communi.

Dico secundo, quod quanuis Philosophia sit vnus habitus scientificus secundũ speciem, tamẽ iste habitus habet plures partes diuersæ rationis ex quibus componitur correspondẽtes diuersis obiectis partialibus

tialibus philosophię, ita quod pars Philosophiæ correspondens libris de generatione, sit diuersa ab illa, quę correspondet libris Physicorum. Ratio est, quia sicut toti obiecto adæquato correspondet vnicus totalis habitus, ita obiectis inadæquatis diuersæ rationis sub illo contentis, debent correspōdere in illo habitu plures entitates partiales diuersæ rationis, ex quibus integer habitus componatur, ita vt non sit qualitas simplex, vt aliqui volunt, sed potius composita, sicut imago totalis correspondet toti obiecto, & cuilibet parti illius obiecti correspondet sua imago partialis: nam figura capitis diuersa est à figura pedis.

Resp. ad fundam. contrariæ sent. Ad fundamenta contrariæ sententiæ respondetur. Ad primum ex illo loco Aristotelis solum probari Philosophiam habere partes diuersas, secundum quod obiecta partialia, & in adæquata, de quibus disputat, diuersa sunt, non tamen probari, quod sint plures scientiæ totales. Ad primam rationem respondetur, quod quamuis principia cuiuslibet obiecti in adæquati, independentia sint à principiis alterius obiecti, & ita non sint illis subordinata, tamen omnia ista principia in adæquata, saltem subordinantur ad vnicum adæquatum obiectum Philosophiæ naturalis; nempe, *ens mobile in cōmuni*, & ita omnia pertinent ad eandem scientiam in specie.

Ad secundam quod ex eo, quod scientia de animalibus posit haberi absque scientia de elementis, non probatur esse duas scientias totaliter diuersas, sed esse duas partes eiusdem scientiæ inter se independentes: sicut quamuis vnus digitus posit separari ab alio, & è contra omnes tamen sunt partes componentes integram manum.

Vltima difficult. Vltima tandem difficultas hoc loco examinādæ est, qua ratione Philosophia distinguatur ab aliis scientiis. Quidam enim asserunt Philosophiam esse scientiā subalternatam Metaphysicæ. Ita Themistius. 1. Post. cap. 2 & Simplitius. 1. Physicor. textu. 8. Quorum fundamentum est, quia obiectum Philosophiæ nempè. *Ens mobile* continetur sub obiecto Metaphisicæ, quod est, *Ens in communi* ergo Philosophia subalternatur Metaphysicæ.

Hoc tamen fundamentum satis friuolum est: nam vt dixi 1. lib. Post. cap. 26. ad subal

ternationem sciētiarum nō satis est, quòd obiectū vnius scientiæ contineatur sub obiecto alterius, sed vlterius requiritur quòd principia sciētiæ sub alternatæ; probētur à scientia subalternante, quod non habet philosophia respectu Metaphysicæ: habet enim philosophia sua propria principia independentia à principijs Metaphysicę. v. g. Probat philosophia quòd omne mistum sit corruptibile, quia habet contrarias qualitates, quæ inteadi, & remitti possunt, & ita corrumpi temperamentum requisitum ad conseruationem mixti. Quæ ratio nullatenus dependet à Metaphysica, & sic de alijs.

Obiectio. Sed dices; saltem sequi philosophiam esse partem subiectiuam, & speciem contentam sub metaphysica, quia obiectum philosophiæ continetur sub obiecto metaphysicæ. Respondent quidam obiectum adæquatum Metaphysicæ nō esse ens in communi, sed ens prout independens à materia. Qua ratione comprehendit Deum, & Angelos, sed non placet: nam de ente in communi habetur scientia aliqua, cum de illo sic considerato plures passiones demonstrentur: quæ scientia nulla alia assignari potest, nisi metaphysica: ergo etiam agit de ente in communi. Respōdetur, quòd cū tota essentia, & quidditas in scientijs desumatur ab obiecto formali *quo*, vt vna scientia sit pars subiectiua alterius non satis est, quòd subiectū vnius contineatur sub obiecto alterius, sed requiritur, quod principia vnius contineantur sub principijs vniuersalibus alterius; quòd non contingit in Philosophia respectu Metaphysicæ: habet enim Philosophia sua propria principia independentia à principijs metaphysicæ.

Dubitatio. Potest etiā hoc loco dubitari, vtrum philosophia distinguatur à Matematicis quę difficultas diffusè satis tractari solet 2. lib. Physicorum, hic tñ habet propriá sedé, & facile potest expediri, quin longa disputatione opus sit. Certum enim est, Philosophiam esse scientiā diuersam à Mathematicis. Nam Mathematici non agunt de ente naturali; hoc enim est substātia corporea, vt suprà dixi; sed agūt de quantitate, quæ accidens substantię corporeæ est. Qua ratione Aritmethica, agit de numero in communi, Musica de numero sonoro Geometria de figuris, quæ sunt affectione

ctiones quantitatis, & sic de aliis: imò, vt quæstione præcedenti dicebam, Mathematicum non considerare, essentiam quantitatis; sed affectiones quasdam quātitatis: nempè vtrum vna linea sit æqualis alteri, & vtrū motus astrorum sint æquales, vel inæquales; vniformes, vel difformes inter se: agere verò de essentia quantitatis per se pertinet ad Physicum, & Metaphysicū, quanuis diuersimodè. Nam ad Physicum attinet quatenus est pasio substantiæ corporeæ: ad eandem enim scientiā spectat agere de essentia, & passionibus eius: ad Metaphysicum verò sub ratione entis, non cōsiderando vtrum sit pasio substantiæ corporeæ, vel non: & ita cessat obiectio, quæ hic fieri potest, scilicet quòd ad eandem scientiam spectat agere de essentia, & de pasionibus eius, sicut ad scientiam de homine spectat agere de illius essentia, & proprietatibus; sed quantitas, de qua agit Mathematicus est pasio substantiæ corporeę, de qua agit Philosophus: ergo Philosphia non distinguitur à Mathematicis. Respondetur enim, quòd Mathematicus propriè loquendo non considerat essentiam quātitatis, sed Philosophus, vel Methaphysicus, vt dictum est: solum enim considerat accidentia, quędam quantitatis, & ita Mathematicæ sunt scientię diuersæ à Philosophia, quę cōsiderat substantias corporeas, & earum proprietates, scilicet quantitatem motum, &c.

Dubitatio

Solet etiam hoc loco disputari de vtilitate, & inuentione Philosophiæ; sed non est cur in hoc immoremur: nam Philosophiā esse vtilem, imò prorsus necessariam, ad Medicinæ, & Theologiæ perfectam cognitionem acquirend ācertissimū est, quomodo verò inuēta fuerit facile est scire, scilicet discursu, & labore Philosophorum. Verum est Adamum primo omnium parentem, illam perfectissime agnouisse: habuit enim omnes scientias à Deo inffussas, vt latè docent Theologi. Quare ad difficiliora gradum faciamus. Et hæc de hac disputatione.

LIBER PRIMVS PHYSICORVM.

QVAMVIS Aristotelis interpretes literam cuiuslibet capitis sigillatim explicare soleant quam consuetudinem Magistri obseruare solent, quia tamen omnia, quæ in textu Aristotelis alicuius sunt momenti, & vtilitatis, in singulis disputationibus à nobis explicanda sunt. Placuit cum Pereira longam, & diffusam textus explicationem omittere: adducam tamen initio cuiuslibet libri breuem summam, ita vt tandem nihil, quod vtile sit, intactum relinquam.

SVMMA TEXTVS.

INtentum Aristotel. in hoc libro est agere de principiis rei naturalis: cum enim, vt explicatũ est, Philosophiæ obiectum sit, Ens naturale, *primum, quod de illo considerandum occurrebat, est de eius principiis. Tria agit Aristotel. in hoc libro. In prima parte explicat, qua methodo procedendum sit in Philosophia. In secunda parte disputat de principiis rei naturalis in communi consideratis.* In *tertia verò parte, agit de his principiis in particulari cõsideratis.*

Ad primam partem accedentes, inquit Aristot. quod cum scire sit rem per causas, & principia cognoscere, in scientia de ente naturali procedendum est ab

eius

eius principiis, & causis. Et in cognitione horũ principiorum, inquit, procedendum est ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia, quia procedendum est à notioribus: vniuersaliora autẽ sunt notiora, quia sunt quid confusum, & totum: totum autem facilius cognoscitur, quam singulæ partes.

In secunda parte disputat de principiis rei naturalis contra antiquos Philosophos, ex quibus quidã infinita principia rei naturalis aßignabãt, vt Anaxagoras. Dicebãt enim omnia corpora naturalia fieri ex infinitis corpusculis aggregatis, quos atomos appellamus. Alij verò asserebant res omnes naturales vnũm dumtaxat habere principium suæ generationis, hocq; quidam asserebant esse aquam, vt Milesius: alij aërem, vt Anaximenes: alij ignem, vt Heraclitus: alij terram, vt Aesiodus: alij verò plura principia, & finita rei naturalis assignabant; inter quos, alij duo tantùm principia assignabant; vt Parmenides: nempè ignem, & terram, vel lucem, & tænebras; vel calidum, & frigidum: alij vt Pythagorici aßignabant, decem principia bonorum, & decem malorum. Quas omnes opiniones late eruditeque refert Pereyra. 4. lib. Physicorum.

Anaxagoras.

Milesius.

Heracli', & alij.

Aristoteles vero omnium optimè in primis docet principia rei naturalis debere esse plura, & non vnicum tantum. Rursusque non esse infinita, & ita dicit tria esse principia rei naturalis, nec plura, nec pautiora, scilicet materiam, formam, & priuationem illius formæ. Et probat, quia compositum substantiale naturale, componitur ex materia, & forma substãtiali, vt homo ex corpore, & anima: ergo materia, & forma, sunt principia, ex quibus integratur ens naturale. Quòd verò priuatio formæ genitæ sit etiam

Tria sunt principia rei naturalis.

principium, probat. Quia principium est illud, ex quo aliud fit; sed res naturalis fit ex priuatione sui, vt homo ex non homine, quia fieri rem aliquam de nouo, supponit anteà non fuisse: ergo etiam priuatio est principium rei naturalis. Quòd verò hæc sint tantùm tria principia probat. Quia his tribus sufficienter fiunt res naturales: ergo non sunt plura, quia natura nihil facit frustrà, & ita neque sunt infinita principia: tum etiã quia de illis non potest haberi scientia cum infinita sint.

Addit tamen Aristot. huiusmodi principia rei naturalis cõtraria esse, quod probat ex diffinitione principiorum: nam principia, inquit sunt, quæ non fiunt ex aliis, neque ex alterutris, sed omnia fiunt ex illis: sed prima contraria sunt huiusmodi, ergo principia contraria sunt. Probatur minor: nam in primis prima contraria non fiunt ex aliis, alias non essent prima siquidem fiunt ex aliis. Neq; etiam fiunt ex alterutris. Probat quia contraria mutuò se expellunt: ergo vnum non potest componi, & integrari in suo esse ex alio.

Vbi notandum est Aristot. non asseruisse, vnum contrarium non fieri, ex alio tanquám ex termino à quo: nam hac ratione calidum fit ex frigido; sed solùm tanquam ex parte cõponente. Quod verò omnia ex contrariis fiant, probat iductione: nam album fit ex nigro, calidum ex frigido, &c. ergo principia contraria sunt. Sed non omnia inquit: nam materia, & forma, non contrariantur, quia sunt simul in toto composito naturali; contraria autem se inuicẽ expellunt. Et propter eandem rationem, non contrariantur materia & priuatio, quia etiam sunt simul: nam toto tempore ante generationem (v. g. ignis) factam ex ligno, fuit materia ligni priuata forma ignis: ergo materia, & pri

uatio

natio, non contrariantur. Et ita, inquit, contrariantur forma et priuatio, quia opponuntur priuatiue: Tū etiam, quia mutuosè expellunt; nam adueniente termino, Ad quem, *nempè forma expellitur terminus* A quo, *scilicet priuatio eiusdem formæ.*

Tandem in tertia parte huius libri, disputat de singulis principiis in particulari, materia scilicet, forma, & priuatione; dicens materiam appetere formā sicut turpe appetit pulchrum, & fœmina virum, esseq; ingenerabilem, & incorruptibilem, ac distinctam à priuatione. Rursus dicit materiam esse magis substantiam, quàm forma: ac tandem diffinit materiam primam, dicens, Esse primum subiectum, ex quo per se aliquid fit. *Quæ omnia in discursu huius libri latius patebūt, singula enim, quæ Arist. in textu pertractat, suo ordine disputanda sunt.*

DISPVTATIO PRIMA
DE MODO PROCEDENDI IN doctrina Philosophica de ente naturali.

DE hac re primo omnium disputãdum nobis est: quod statim in principio huius libri, per quinque priores textus Aristotil. tetigit. Et meritò quidem. Prius namque nosse oportet, qua ratione perfecta entis naturalis doctrina habe ri potest. Vbi etiam disputandum est de his, quæ sunt nobis, & natura notiora.

QVAESTIO I.

Vtrum ad perfectam alicuius rei cognitionem opus sit omnes eius causas perfectè cognoscere.

PRO cuius intelligentia aduertendum est, quòd cũ causa sit à qua depẽdet effectus, causa duplex est. Alia per se, & est à qua per se dependet effectus: qualiter ædificator per se est causa ædificij, quia ædificium per se dependet ab ædificatore. Alia est causa per accidẽs, & est à qua per se non dependet effectus, sed per accidens in quantum est coniuncta, cum causa per se: qua ratione album est causa per accidens ædificij; quia ad ædificium per accidens est, quod ædificator sit albus, vel niger.

Quotuplex sit causa.

Certum ergò est ad perfectam alicuius rei cognitionẽ, nõ esse opus cognoscere causas per accidens; quia per se non dependet ab illis effectus: loquimur ergò de causis per se. Sed rursus causa per se est quadruplex, vt docuit Aristotel. 2. Physic. text. 28. & 29. scilicet. *Efficien, finalis, materialis, & formalis.* Inter quas est differentia: nam causa materialis, & formalis, quæ sunt materia; & forma, sunt causæ intrinsecæ entis naturalis, quia materia, & forma sunt partes substantiales entis naturalis, scilicet substantiæ corporeæ: qualiter homo intrinsecè integratur ex corpore, & anima; at verò causa efficiens, & finalis, sunt causæ extrinsecæ, quia sunt extra ipsum ens naturale.

Secundo notandũ est, quòd cognitio est duplex. Alia imperfecta, & confusa; & certũ est hãc haberi posse de re absque cognitione omnium eius causarum. Potest enim cognosci ignis. v. g. quin omnes eius causæ penetrentur. Alia verò est cognitio perfecta, & distincta. Sed rursus: Alia cõprehensiua, & est, qua cognoscimus rem quatenus cognoscibilis est. Et certum est secundò ad cognitionem istam comprehensiuam deberi cognosci causas omnes, imò omnia accidentia rei. Ratio est: quia cognitio comprehensiua est cognitio rei, in quantum cognoscibilis est; sed res est cognoscibilis, secundum omnes causas, quas habet, & secundum omnia accidentia: ergo ad cognitionem istã cõprehensiuã opus est cognoscere oẽs causas rei. Alia verò est cognitio perfecta, tamen non comprehensiua: & est qua rem aliquã perfectè, & distinctè cognoscimus, licèt non cognoscamus illam omni modo, quo cognoscibilis est: quæ cognitio tam potest esse simplex, & apprehensiua, quàm complexa,

Quotuplex sit cognitio.

seu

seu iudicatiua, quia non solùm iudicãdo, sed etiam per simplicem apprehensionem possumus rem perfectè & distinctè cognoscere.

Simpl. x cognitio.

Dubium. Dubium ergo est, vtrum ad istam perfectam cognitionem non comprehensiuã, opus sit cognoscere omnes illius causas, vel sufficiat cognoscere causas intrinsecas, népe materialem, & formalem. Et ratio dubitandi est, quia videtur necessarium esse cognoscere etiam causas extrinsecas, qualis est causa efficiens. *1. Rat. dub.* Primo quia sunt quædã res, quę essentialiter dicũt ordinem ad causam efficientem, qualiter actio essentialiter dicit ordinem ad agens, & relatio ad fundamentum, à quo causatur efficienter, vt dixi in capite de relatione: ergo essentia harum rerum non potest perfecte cognosci, nisi per causam efficienté, quæ est causa extrinseca.

2. Rat. Secundò quia res non potest perfectè cognosci quin cognoscãtur eius passiones, & proprietates, sed essentia est causa efficiens passionũ, vt docũit Arist. 2. de anima cap. 4. ergo cum opus sit cognoscere essentiam, & proprietates rei ad perfectam cognitionem illius necessarium est cognoscere causam efficiété.

3. Ratio. Tertiò quia ex Arist. 2. de anima, accidentia multùm conducunt ad cognitionem substantiæ; sed accidentia quid extrinsecum sunt: ergo per solas causas intrinsecas nó potest perfectè res aliqua cognosci.

Assert. 1. Verumtamen dico primò in hac quæstione. Si loquamur de accidentibus, nó potest haberi perfecta cognitio illorum, quin cognoscamus causam aliquã extrinsecam illorum. Hanc conclusionem docuit Arist. 7. met. cap. 1. dicens accidẽtia non posse perfectè cognosci nisi cognoscamus substantiam, quæ est eorum subiectum. Et vt ratione probetur aduertendum est, quòd causa materialis quamuis sit causa intrinseca in substantijs, non tamen in accidétibus; nam in substantijs materia prima, quæ est pars materialis, est intrinseca pars, & essentialis; at verò in accidentibus causa materialis (quidquid illa sit, de quomodo nó disputo) non est intrinseca ipsi accidenti: nam subiectum, cui inhæret quantitas, extra essentiam quantitatis est. Nã per miraculum in Sacramento Eucharistiæ datur quantitas sine subiecto, & ita cum subiectum sit causa materialis, in qua recipiuntur accidé-

 tia,

tia, fit quòd causa materialis respectu accidentium sit causa extrinseca, ex quo arguo sic. Accidentia non possunt perfectè, & quidditatiuè cognosci, nisi cognoscamus subiectum, quia dicunt essentialem ordinem ad illud; sed subiectum est causa extrinseca; ergo cognitio perfecta accidentium non potest haberi nisi cognoscamus causam extrinsecam. Idem etiã est de potentijs, quæ nõ possunt perfectè cognosci, nisi per obiecta, quæ extrinseca sunt ipsis potentijs. Loquimur ergo in præsenti quæstione de substantijs, & non de partialibus, sed de cõpletis: nam materia prima, quæ est substantia partialis, cũ dicat essentialem ordinem ad formam, quæ est extra eius essentiam, non potest perfectè cognosci sine cognitione talis formę; & similiter forma sine cognitione materiæ, cum etiam dicat essentialem ordinem ad illam.

Loquendo ergo de substãtijs completis, & perfectis, dico secundò in hac quęstione. Ad habendam cognionẽ perfectam, & quidditatiuam satis est cognoscere causas intrinsecas. Probatur, quia cognitio quidditatiua tunc habetur, quando cognoscimus essentiam, & omnes partes essentiales, sed tantum causæ intrinsecæ, scilicet materialis & formalis, sunt partes essentiales intrinsecè componentes substantiam completam: ergo satis est cognoscere illas.

Dico tamen vltimò. Ad habendam cognitionem omnino perfectam de re, opus est etiam cognoscere causas extrinsecas. Probatur, quia res non solum habet dependentiam à causis intrinsecis; sed etiam ab extrinsecis, scilicet à causa efficienti, & à causa finali: ergo ad habendã cognitionem omnino perfectã, opus est cognoscere etiã causas extrinsecas. *Assertio.*

Vnde ad rationes dubitandi respondetur. Ad primam verum esse, accidentia, qualis est actio, & relatio, nõ posse quidditatiue cognosci sine causa extrinseca, vt probatum est, nos tamen loquimur de substantijs completis. *Resp. 1. ad ratio.*

Ad secundã respondetur, quòd ad cognitionẽ perfectam quidditatiuã non opus est cognoscere passiones, quia passiones non intrant in essentia rei, tñ ad perfectam cognitionẽ rei descriptiuam, opus est cognoscere passiones; & quanuis essentia, quæ *Ad 2. rat.*

est

est causa efficiens passionũ, sit quid extrinsecum respectũ ipsarum passionum, quia est extra conceptum illarum qualiter in conceptu formali risibilis, vt sic, non includitur rationale, tamen talis essentia non est aliquid extrinsecum rei, quæ cognoscitur per passiones imò est illi intrinseca.

Ad 3. rat. Ad tertiam verũ esse, quod accidentia multum conducunt ad cognitionem substãtiæ à posteriori, & per effectus; tamen à priori potest substantia cognosci per suas causas intrinsecas, & essentiales, quin opus sit aliquo accidenti extrinseco.

Resp. 1. ad alia. Tandem in hac quæstione aduertendum est, Philosophiam demonstrare per omne genus causæ: nam per causam materialem demonstrat v. g. quòd sit homo corporeus, quia habet materiam quamuis enim Physicus abstrahit à materia singulari, tamen non abstrahit ab omni materia, sed potius cõsiderat causas materiales rerũ Similiter per genus causæ formalis demonstrat, quod corpus aliquod sit animatũ, quia habet animam, quæ est forma viuentis. Et per genus causæ efficientis probat actiones viuentis esse vitales, quia procedunt à principio vitali, nempe ab anima. Tandem per genus causæ finalis probat quòd motus deorsum sit naturalis grauibus, quia tendit ad centrum, quod est finis naturalis illorum.

QVÆSTIO. II.

Vtrùm vniuersaliora sint nobis notiora, & ita ab illis inchoandum.

In hac quęstione duæ inuoluuntur difficultates. *Duplex difficultas.* Altera, quæ sint nobis notiora, & quæ sint notiora natura sua. Altera verò est verũm vniuersaliora sint notiora nobis. Quæ difficultas, quia ex priori pendet ab illa inchoandum est: in qua adhuc duo examinanda sunt. Alterum, quæ appellantur natura sua notiora quoad nos.

1. sentent. Circa primum prima sententia affirmat illa esse notiora natura, quæ natura sua sunt perfectiora. Sic tenet Diuus Thomas 1. Physicorum textu 5. Alij verò dicunt illa esse notiora, secun-

Angeli, sunt natura notiores, quàm res materiales, quia sunt longè perfectiores. Vnde quia intelligibile est passio entis, quod est perfectius ens, est perfectius intelligibile. Res tamē materiales sunt notiores nobis, quia sunt magis proportionatæ nostris sensibus, quibus mediantibus fit cognitio intellectus: vnde ex imperfectione nostri intellectus, contingit non esse eadem natura, & nobis notiora.

Infero secundo ex dictis, quod aliquando etiam eadē sunt nobis, & natura notiora. Probatur, quia prima principia sunt notiora nobis, & secundum naturam, vt docuit aperte Aristoteles. 1. Poster. cap. 2. Et ratio est, quia prima principia in primis sūt nobis notiora, quia statim, ex aprehēsione terminorum ignotescunt; & etiam sunt notiora natura sua, quia ea sunt notiora natura sua, quæ natura sua sunt priora; sed prima principia sunt priora, quā conclusiones, quæ ex illis inferuntur: nam principia sunt causa conclusionis, omnis autem causa est prior natura sua effectu: ergo principia sunt notiora nobis conclusione, & etiā natura sua. Vnde quando Aristoteles hoc lib. textu 2. ait non esse eadem nobis, & natura notiora, non locutus est vniuersaliter, sed indefinitè.

2. Difficul- tas.

Ex dictis ergo facilius poterit resolui tertia difficultas scilicet, vtrum vniuersaliora sint nobis notiora minus vniuersalibus. Arist. enim loco allegato apertè fatetur vniuersaliora, esse nobis notiora minus vniuersalibus, vbi per *minus vniuersalia*, non solūm intelligere debemus prædicata vniuersalia, quæ tamē minus vniuersalia sunt: qualiter hoc predicatum, *Homo*, vniuersale est, tamen minus vniuersale, quàm animal: sed etiam intelligere debemus singularia, rationes enim statim adducendæ de omnibus æquæ probant. 3. Difficul.

Et primum certum esse debet, quod vniuersaliora sunt notiora natura sua minus vniuersalibus, quia ea sunt notiora natura sua, quæ natura sua sunt priora: sed vniuersaliora sunt priora, vt docuit Aristo. in Post. prædicamentis, capite de modis prioribus: nam homo supponit animal: ergo vniuersaliora naturā sua sunt notiora. Hoc tamen intelligēdum est ordine generationis, qua ratione partes sunt priores toto, & ita quia prædicata magis vniuersalia sunt par- Quid certum.

tes Metaphysicæ minus vniuersalium: qualiter animal est pars Metaphysica hominis; ideò quasi ordine generationis vniuersaliora sunt priora, & ita notiora natura sua minus vniuersalibus. Si tamen loquamur ordine perfectionis, è contra minus vniuersalia sunt priora, & ita notiora natura sua, quàm magis vniuersalia. Ratio est, quia minus vniuersalia sunt perfectiora, quia addunt aliquid supra prædicata vniuersaliora: qualiter *Homo* addit supra animal *rationale*: ergo ordine perfectionis minus vniuersalia sũt priora, & ita notiora natura sua.

Quotuplex sit cognitio. Maiorem ergo habet difficultatem, vtrum vniuersaliora sint nobis notiora. Pro cuius intelligentia aduertendum est, quòd notitia, seu cognitio duplex est. Alia apprehensiua, quæ appellatur simplex notitia, & est qua per simplicem apprehensionem res aliqua apprehenditur, nihil iudicando de illa. Alia vero est cognitio complexa, seu iudicatiua, quæ pertinet ad secundam operationem intellectus, & est, qua rem cognoscimus per iudicium aliquid de illa iudicando. Sed rursus quælibet ex his duplex est: alia distincta, alia verò confusa. Cognitio distincta appellatur illa, qua cognoscitur res aliqua penetrando omnes eius partes claiè, & apertè. *Cognitio distincta.* Cognitio vero confusa est, qua cognoscitur res aliqua: non penetrando omnes eius partes: & ideò confusa appellatur, quia sine partium distinctione cognoscimus totum, sed sicut totum est duplex, scilicet actuale, & potentiale, ita alia est cognitio, quæ appellatur actualis; alia potentialis. *Cognitio confusa.* Cognitio actualis appellatur illa, qua cognoscitur res secundum suam essentiam præcisè. *Cognitio actualis.* Hoc enim est totum actuale. Et hæc est duplex. Alia actualis distincta, & est qua penetrantur partes totius actualis, quæ sunt prædicata essentialia, ex quibus componitur, vt in homine animal rationale. Alia verò est actualis confusa, & est, qua cognoscitur totum actuale confusè, non penetrando eius partes essentiales, ex quibus componitur. Cognitio verò potẽtialis appellatur illa, qua cognoscimus totum potentiale, quòd scilicet habet partes subiectiuas, qualiter animal, prout comprehendit hominem, & equum, & alias species, appellatur to-

tum

Cognitio distincta. tum potentiale. Quæ etiam cognitio duplex est. Alia potentialis distincta, & est qua, ita cognoscitur totum potentiale, vt penetrentur partes subiectiuæ, respectu quarum appellatur totum potentiale. Alia verò est potentialis confusa, & est, qua cognoscitur tale totum absque penetratione, & distinctione partium subiectiuarum. Quæ cognitiones ita inter se se habent, quòd semper cognitio iudicatiua, seu complexa supponit cognitionem simplicem apprehensiuam: nam iudicium supponit apprehensionem terminorum, de quibus iudicamus, & cognitio potentialis, supponit cognitionem actualem: nam priusquam cognoscatur animal, vt habet partes subiectiuas, debet cognosci natura animalis, siue distinctè, siue confusè. Cognitio vero distincta quanuis, vt in plurimum supponat confusam, quia ferè semper prius cognoscimus res confuse, quàm distinctè, non tamen est necessarium: nam contingere potest, quòd res in intuitu, cognoscatur perfectè, & distinctè.

His suppositis hac in re distinctione opus est. Nam si loquamur de cognitione potentiali, scilicet qua cognoscitur totum potentiale, vel loquimur de hoc toto potentiali, & partibus subiectiuis, prout correlatiua sunt relatione superioris, & inferioris, & sic certum est simul cognosci superiora, & inferiora, quia relatiua sunt simul cognitione: si vero loquamur præcisa hac relatione, prout tantum dicit naturam communem negatiuè continentem plura, nunc distinguendum est: Nam si loquamur de cognitione distincta, minus vniuersalia sunt notiora. Ratio est manifesta: nam cum distincta cognitio totius pendeat ex cognitione perfecta partium, quia partes subiectiuæ totius potentialis sunt inferiora, sub illo contenta, ideo distincta cognitio totius potentialis pendet, ex cognitione inferiorum: ergo hoc modo minus vniuersalia sunt notiora nobis: si verò loquamur de cognitione confusa totius potentialis, revera hoc non distinguitur à cognitione actuali, quia totum potentiale cófusè sumptum, prout non consideramus in eo partes subiectiuas, idem est quod totum actuale; nam si animal non consideretur, vt cótinet inferiora quod manet, totú actuale, & essen-

Cognitio [illegible] Cognitio [illegible] Cognitio [illegible]

essentiale est,& ita idē est loqui de cognitione cōfusa potentiali,ac de cognitione totius actualis, de qua apud Authores,est præcipua difficultas in hac quæstione,& loquimur vt aiunt via originis,quādo intellectus incipit primo cognoscere,nā homo sapiens qui omnia prædicata superiora,& inferiora iam cognouit, potest prout voluerit applicare intellectum ad cognoscendum hoc,vel illud.

Assert.1. Dico ergo primo. Vniuersaliora sūt nobis notiora natura cognitione distincta actuali, quā minus vniuersalia. Probatē plane:quia prædicata vniuersaliora includuntur in inferioribus, vt animal in homine:ergo distincta cognitio inferioris pendet ex cognitione superioris,non tamen è cō contra, quia potest distincte cognosci superius sine inferiori,vt animal sine homine: ergo vniuersaliora sunt nobis notiora cognitione distincta.

Assert.2. Dico secundo cognitione confusa actuali minus vniuersalia sunt nobis notiora. Et probatur. quia vt docuit. Aristot.1.Met.cap.2.& 1.post cap.2.& 6.topicorum cap.3. ea prius ac facilius à nobis cognoscuntur,quæ propinquiora sunt nostris sensibus, cum cognitio intellectus fiat mediantibus sensibus: sed sensus versantur circa singularia non vero circa vniuersalia:ergo singularia sunt nobis notiora cognitione confusa quā vniuersalia, & inter vniuersalia prædicata, quæ minus vniuersalia sunt, & propinquiora singularibus sunt nobis notiora.

Secundo quia vniuersaliora abstrahuntur ab inferioribus in quibus sunt:ergo prius intellectus concipit talia inferiora, quàm vniuersaliora, quæ ex illis abstrahuntur, atque adeò minus vniuersalia sunt nobis notiora.

Tertio, quia sunt quædam vniuersaliora,quæ non habēt accidentia aliqua sensibilia sibi propria,quale est hoc prędicatum, *substantia*, aliàs cum hoc prædicatum inveniatur in Angelis iam haberent Angeli aliqua accidentia sensibilia,quod est absurdum : ergo hoc prædicatum *substantia*, nō est notius quàm hoc prædicatum *corpus*, quod est illi inferius, probo consequentiam, quia corpus habet accidentia sensibilia sibi propria, vt quātitatem,quæ est passio corporis,& similiter figuram:sed illud est nobis notius, quod magis sensibile est:ergo prædicata minus vniuersalia notiora

sunt nobis magis vniuersalibus.

Assertio.3. Dico tertio post distinctionem, & apprehensionem superiorũ,& inferiorũ vniuersaliora, sunt nobis notiora cognitione cõplexa, idest cognitione iudicatiua, hoc modo interpretandus est Arist. 1.c. huius libri cum ait vniuersaliora esse nobis notiora, hoc enim probat per exemplum de pueris, qui quemlibet hominem appellãt patrem, quo vsque adueniente vsu rationis solùm proprium patrem talem appellant: ergo cognitione iudicatiua facilius cógnoscuntur vniuersaliora, quã minus vniuersalia: tum etiã, quia de re qualibet nũquam dubitabimus vtrum sit ens, sæpe tamen dubitamus vtrum sit substantia, vel accidens, & vtrum sit huius, vel illius speciei: ergo cognitione complexa vniuersaliora sunt nobis notiora minus vniuersalibus.

Omitto plura, quæ contra doctrinam hactenus traditam obijci possent: nam hæc omnia quęstione sequenti quæ huic maximè anexa est, imò fere eadem amplius explicabuntur.

Tamen ex d ctis patet quã sit verum quod Arist. docet hoc lib. text. 5. scilicet ab vniuersalioribus esse incipiendum in doctrina Physica, nã cum vniuersaliora sint nobis notiora cognitione distincta minus vniuersalibus ab illis est incipiendum vt habeamus cognitionem distinctam minus vniuersalium.

QVÆSTIO. III.

Vtrùm singulare sit priprimo cognitum à nostro intellectu, vel potius vniuersale.

HAEC quæstio celebris, & satis controuersa est apud Auctores quam quidam eorum tractãt 3. de anima cap. 4. verum tamen hic etiam habet proprium locum, vbi Arist. disputat de his quæ sunt nobis notiora, & ita plurimi etiam hoc loco illam disputant.

AEquidem meritò inquirimus, quod sit primo cognitum respectu nostri intellectus humani, nam respectu intellectus diuini certum est essentiam diuinam, quę quid singulare est esse primo cognitum ab intellectu diuino ratio est, quia quanuis Deus vnico intuitu omnia cognoscat, tamen nostro modo intelli- *Quod sit primo cognitũ respectu intellectus diuini.*

telligendi essentia diuina est primo cognitum ab intellectu diuino, nam vt docuit S. Thomas 1. part. quæst. 14. articul. 5. & 6. Deus cognoscit creaturas in diuina essentia tanquam in obiecto primario. De quo latius Theologi. Respectu autem intellectus Angelici, vt certum est primo cognitum ab intellectu Angelico esse suam essentiã quæ quid singulare est: nam vt tradunt Theologi 1. p. q. 56. Angelus cognoscit res alias per species infusas: at verò seipsum cognoscit per suã essentiam, intimè sibi præsentem, & proportionatam, & ita sua essentia est primò cognitum ab illo.

Quod sit respectu Angelici.

Tantùm ergo loquimur in hac quæstione quod sit primò cognitum respectu nostri intellectus humani. Secũdò notandum est, quod cognitio est duplex. Alia complexa quæ est iudicatiua: Alia verò est incomplexa, quę est apprehensiua. Inter quas cognitio complexa nũquam est prima & ita eius obiectũ non est primò cognitum. Nã cognitio iudicatiua quæ est cognitio complexa supponit apprehensionem terminorum. Sed rursus cognitio incomplexa, alia est actualis, alia potentialis. Et rursus quælibet istarum duplex est: alia distincta: alia confusa, vt supradictum est. Et cum cognitione distincta vniuersaliora sint nobis notiora minus vniuersalibus; vt iam ostendimus, tantùm super est quæstio an cognitione confusa actuali vniuersale sit primò cognitum à nostro intellectu, vel potius singulare. Vbi non loquimur de vniuersali prout dicit secundam intentionem, sed pro natura denominata, loquimur etiam via originis scilicet quando intellectus incipit intelligere.

De qua re variæ sẽtiũt Auctores prima sẽtẽtia est, nullũ esse primò cognitum certũ, & determinatum, sed intellectum modo incipere ab vniuersalioribus, modo verò à minus vniuersalibus. Sic tenet zimara in quæstione de primò cognito. Hęc tamẽ sẽtentia merito ab omnibus cõmuniter reijcitur. Quia omnia agentia naturalia habent certum, & determinatũ modum operandi, qualiter ignis comburit, aqua vero frigefacit. Cuius rei ratio est, quia natura est determinata ad vnum; quod secus est de agentibus liberis. Hæc enim pro sua libertate operantur, prout sibi placet, sed intellectus est quædam potentia naturalis 1 *Sent.*

turalis respectu primæ intellectionis: ergo debet operari determinate ad vnũ. Quod verò sit potentia naturalis respectu primæ intellectionis, probatur, quia omnis libertas oritur à voluntate; in voluntate autem nihil est volitum, quin præcognitum: ergo ante primam intellectionem nullus actus voluntatis præcedere potest, & ita intellectus in prima cognitione est potentia merè naturalis, & necessaria: atque adeò operatur determinate ad vnum: ergo vel semper in prima intellectione determinatè incipit ab vniuersalibus, vel determinate à singularibus.

2. Sentent. Hac ergo relicta sententia secunda opinio asserit primò cognitum à nostro intellectu esse ens in cõmuni, quod maxime vniuersale est. Tenet Sanctus Thomas hîc, & 1. part. quæstion. 85. artic. 3. Sotus 1. Physicorum quæst. 2. ferr. quæst. 3. Soncinas 7. met. quæst. 11. quam sententiam discipuli S. Thomæ explicare solent, quòd non intelligatur de ente communissime sumpto, sed de ente cõcreto quidditate sensibili, idest de ente corporeo, & affecto accidentibus sensibilibus, ita quod huiusmodi ens concretum quidditate sensibili in cõmuni sumptum sit primo cognitũ à nostro intellectu. Eandẽ sententiã sequitur Iandunus hoc lib. quæst. 5. Caietan. de ente & essentia cap. 1. Aegidius 7. met. q. 1. & Plures alij. Ad quam sententiam probandã quam plurima fieri solent argumenta. Nam primo Aristotel. 5. met. cap. 11. aperte docet singulare esse primo cognitũ, vel notum sensibus, intellectui verò vniuersale: & hoc lib. cap. 1. asserit vniuersaliora esse nobis notiora. Et probat nam pueri prius quemlibet hominem patrem appellant quousque adueniente vsu rationis solum proprium patrẽ talem appellant.

Secundò arguit S. Thom. quia natura incipit ab imperfectioribus: nã prius producitur calor, vt duo, quã calor, vt quatuor: sed cognitio vniuersaliorũ est minus perfecta quã cognitio minus vniuersaliũ: ergo ab illa incipit intellectus, atq; adeò vniuersaliora sũt primò cognita. Probatur minor, quia cũ act⁹ distinguãtur per obiecta, ille actus perfectior est, qui habet perfectius obiectũ: sed min⁹ vniuersalia sunt perfectiora magis vniuersalibus, qualiter homo perfectior est, quàm animal: nam includit animal,

& aliquid amplius, scilicet rationale: ergo cognitio vniuersaliorum minus perfecta est, atque adeò ab illa incipit intellectus.

Tertiò quia inter obiecta complexa, principia vniuersalissima sunt primo cognita, vt quodlibet est, vel non est: ergo etiam inter obiecta incomplexa primò cognitū erit ens in cōmuni quod maximè vniuersalissimum est.

Quartò, quia intellectus prius debet ferri in suum obiectum adęquatum, quàm ad omnia particularia in adæquata; sed obiectum adæquatum intellectus, est ens in cōmuni, quia comprehēdit omnia entia, quæ intelligi possunt ab intellectu: ergo ens in communi est primo cognitum.

Quintò, quia quando quis videt hominem à lōge prius iudicat esse corpus, deinde verò, cum videt illum moueri, iudicat esse animal; & vltimò cognoscit esse hominem ergo vniuersaliora sunt primò cognita, quàm minus vniuersalia.

Sextò, quia totum est nobis notius cognitione confusa, quàm suæ partes: facilius enim est cognoscere totū aliquod confusè quā penetrare singulas eius partes; sed vniuersaliora sunt quędam tota potentialia respectu inferiorum: ergo notiora sunt cognitione confusa, atque adeò sunt primò cognita; quam minus vniuersalia.

Septimò, quia cum intellectus noster pro hoc statu inteligat dependenter à sensibus, illud prædicatū est nobis notius, cuius accidentia magis mouent sensum, & frequentius sensibus occurrūt; sed accidētia corporis in cōmuni frequētius occurrunt sensibus, vt quantitas, color, &c. quod secus est de accidētibus minus vniuersalium: nā accidentia propria hominis, vt risibilitas, nō ita facile, neque toties à sensibus percipiuntur, sicut accidentia corporis: ergo ens concretum quidditate sensibili, cuius ꝓpria accidētia sunt quātitas, color, & alia, quæ sepissimè sensibus occurrūt, erit primo cognitū à nostro intellectu. 3. Sent.

Tertia sententia est asserētiū speciē infimā, vt hominē, & equum, esse primò cognitū à nostro intellectu, nō vero singulare; aut prædicata magis vniuersalia. Sic tenet Scot. in 1. d 3. q. 2. & 1. met. q. 10. & Anton. And. ibidem quorū potissimū fundamētū est quia. Agēs naturale nōimpeditū agit quantum potest

& ita

& ita producit præstantissimum effectum, quàm potest producere, quia operatur necessario, & non liberè, prout sibi placet, sed intellectus est potentia quædã naturalis: ergo cũ nullũ habeat impedimẽtũ ad intelligendum, sed potius omnia necessario quã do incipit intelligere producit præstantissimã intellectionem. Sed cognitio speciei infimæ est præstantissima omniũ: ergo ab illa incipit. Probatur minor, quia species infima præstãtior est omnibus prædicatis superioribus: nã homo præstantior est, quàm animal, & corpus, quia includit omnia hæc prædicata superiora, & aliquid amplius, scilicet rationale: ergo cum actus distinguantur per obiecta, cognitio speciei infimæ præstantissima est, atq; adeò ab illa incipit intellectus.

3. Sent. Quarta, & verissima sententia à nobis tenẽda est, singulare esse primo cognitum à nostro intellectu. Quam tenet Gregorius in 1. distinct. 3. quæst. 3. art. c. 2. Durandus in 2. distinct. 3. quæst. 5. Burleus & Buridanus 1. Physic. text. 4. Fonseca 1. met. cap. 2. quæst. 3. section. 5. Pereira 3. Physicorum cap. 16. quã sententiã vt à suis exordiamur principijs, nonnulla fundamenta supponenda sunt.

Singulare est primo cognitum à nostro intellectu.

1. Supponẽdum. Primò ergo supponendum est, quòd sicut in sensatione duæ concurrunt species, altera impressa, quæ ideo talis appellatur, quia ab obiecto imprimitur in potentia ipsa sensitiua; altera verò expressa producta per actum sensationis, quæ assimilatur speciei impressæ, & iuxta illius naturam producitur. Ita in intellectione duæ concurrũt species, altera impressa, quæ est species intelligibilis; altera verò expressa producta per actum intelligendi, quæ appellatur cóceptus, seu verbum mentis.

2. Suppon. Secundo negari nõ potest dari propriã speciem expressam, seu proprium verbum mentis, per quod cognoscatur singulare, ita quod singulare nõ cognoscatur per verbum mentis, quo cognoscimus vniuersale. Quod euidẽter probari potest, quia si quis vellet supra se reflecti, experietur profectò potius se intelligere vniuersale ad modum cuiusdam rei materialis singularis. Secundò quia cũ cognitio nostra fiat mediantibus sensibus, nihil magis distinctè cognosci potest quàm quod per se ipsum sensibile est, quale est singulare materiale.

Ex his tertiò suppono dari etiam propriam speciē intelligibilē singularis per quā directè ab intellectu cognosci possit, vt docent Autores citati. Et probatur 1. quia singularis datur propria species expressa, vt probatū est: ergo etiam datur propria species impressa: probatur consequētia. Primò nā species expressa producitur ab impressa, atque adeò debet illi assimilari: ergo si datur propria species expressa rei singularis, ideo est, quia illius datur propria species impressa.

Secūdo quia ideo de Angelis non formamus propriū cōceptū, & propriā speciē expressā, quia nō habemus propriā speciē impressā illi⁹, sed intelligimus illū per speciē rei materialis: cū ergo singularis habeamus propriā speciē expressam, signū est, quod etiā habeamus propriam speciem impressam illius.

Tertio probatur, quia vt latiūs dicemus 3. lib. de anima species intelligibilis producitur ab intellectu agēte mediāte phātasmate, tanquā instrumēto; sed phātasma in opinione omniū directè repræsentat singulare, nō verò vniversale, est enim imago quædā, & simulachrū productū per sensationē, vniuersale autē nō percipitur à sensu, sed singulare: ergo species intelligibiis à phātasmate producta directè etiā versatur circa singulare ipsum.

Quarto, quia si nō daretur propria species singularis, vel esset quia materiale est, vel quia singulare est, vel propter vtrūq; simul: nō quia materiale est, quia etiā vniuersale abstractū à singularibus corporeis materiale est, vt dixi disp. 3. de vniu. q. 1. nā sicut Petrus corporeus est, ita etiā homo: solū est differētia, quod Petrus est quid singulare, homo verò est aliquid vniuersale: ergo etiā nō daretur propria species vniuersalis, atq; adeò nihil haberet propriam speciē in intellectu. Neq; etiā quia singulare est: nā quātūuis singulare sit, nihilominus habemus propriā speciē expressā illius, vt ferè omnes admitunt: quare ergo impediet singularitas ad speciem impressam, quæ minus perfecta est, quā species expressa. Neq; etiā propter vtrūq; simul, quia Angeli habēt proprias species impressas singularis materialis in opinione omniū, quāuis à Deo infusas: ergo etiā nō repugnabit dari propriā speciē illius acquisitā per sensus: hā quod species intelligibilis in nobis acquiratur

tur per sensus potius iuuat, eo ꝙ phātasma vt dixi repræsentat rē singularē, & materialē vnde debet producere speciē intelligibilem illi similē.

Sed obijcies. Materiale nō potest agere in spirituale; sed intellectus est potentia spiritualis: ergo non potest singulare materiale producere speciē sui in intellectu. Respondetur speciē intelligibilē nō produci in intellectu ab ipso singulari materiali immediate, sed medio phantasmate ipsius singularis, phantasma autē, quāuis materiale sit, bene potest vt instrumentum intellectus agentis agere in spirituale, quia corporeū bene potest agere in spirituale, vt instrumentū, non tamen vt causa principalis, & ita causa principalis producens speciem est intellectus agens, qui spiritualis est.

Addo secundò vniuersale cognosci per speciem intelligibilem singularis: nā per speciem intelligibilem Petri v. g. cognoscimus integram essentiam Petri, & quia de ratione Petri est, quod sit homo & animal, & viuens, ideo per eandē speciem intelligibilē Petri cognoscimus prædicata superiora vniuersalia.

Secundò, nā si prædicatum *homo* indigeret noua specie per quā cognosceretur diuersa ab illa, per quā cognoscitur Petrus: ergo etiā esset ponēda alia species diuersa ad cognoscēdū *animal*, & alia ad *viuens* & sic de reliquis prędicatis superioribus; ꝙ tā null⁹ dicit: patet sequella, quia sicut *homo* dicit rationē abstractā ab omnib⁹ singularib⁹, ita *animal* ab omnibus specieb⁹ animalis, & sic de reliquis: ergo si ponenda esset diuersa species ad cognoscēdum hominē, diuersa ab specie Petri, ita esset ponenda alia ad cognoscendum animal, & sic de reliquis prædicatis superioribus. Deniq; ratio à priori huius est, quia omnia prędicata superiora sūt vnita in essentia Petri, & in eo quasi in voluta cōtinētur: ergo cognoscūtur per speciē intelligibilē adæquatū ipsius Petri.

Sed obijcies cōtra hoc fundamētū. Primo nā vniuersale, & singulare, dicunt conditiones opposi as: nam vniuersale dicit abstractionem ab inferioribus, singulare dicit cōtractionem per differentiam indiuidualem: sed impossibile est contraria repræsentari, & cognosci per eandem speciē: qualiter quia album, & nigrū sunt contraria, impossibile est per eandem speciem visibilem cognosci: ergo e-

tiam impossibile erit vniuersale, & singulare cognosci per eadem speciem intelligibilem.

Secundò, nã si vniuersale & singulare, cognoscuntur per eandem speciẽ: male ergo asserimus dari propriam speciem singularis: nam et á illa species deseruit ad cognoscendum vniuersale.

Tertiò, quia vniuersale dicit naturam pluribus cõmunem: ergo hæc communitas respectu plurium non potest cognosci per speciem intelligibilem vnius singularis, quoniam per hanc tantùm repræsentatur ipsum singulare: nõ verò plura inferiora, quibus vniuersale cõmune est: ergò vniuersale potius cognoscitur per species plurium singulariũ quàm per vnicam speciem singularis.

Sed respondetur. Ad primum verum esse per speciẽ intelligibilem singularis nõ representari naturam, vt abstractam à conditionibus indiuiduantibus: sed potius vt cõtractam in illis: tamẽ quia representatur natura ipsa, quanuis contracta potest in cognitione vniuersalis intellectus vti illa specie ad cognoscendam naturam secundum se, non consideratis singularibus; & ita illã intelligit abstractam, idest, non contractam, formando conceptum naturæ præcisse sumptæ & denudatæ à conditionibus indiuidualibus. Nam cũ causa principalis posit vti instrumento hoc, vel illo modo ad effectum sibi proportionatũ; ideo potest intellectus vti illa specie ad cognoscendam naturam absolute, non considerando contractionem eius in singularibus.

Ad secundum quòd duobus modis potest intelligi dari speciem propriam singularis. Vno modo ita vt nõ representet vniuersale. Et hoc modo non est propria tantũ singularis, quia etiam directè repræsentat vniuersale, quanuis contractum in indiduo: nam species intelligibilis Petri directè repræsentat totũ, quod est in Petro: & ita non solum directè repræsentat rationem indiuidualem huius hominis; sed etiam rationem hominis, quæ est in Petro, & sic de alijs prædicatis superioribus. Alio ergo modo illa species potest appellari propria singularis, idest, quod directè & proprie representet singulare, quanuis etiam representet directè vniuersale: & hoc modo datur propria species singularis.

Ad

Ad tertium respondetur, quòd ad cognoscendum vniuersale satis est, quod prius, vel simul cognoscat intellectus inferiora illius, saltē possibilia, vt dicebā tractatu de vniuersalibus: tamen si loquamur de specie, per quam cognoscitur ipsum vniuersale, vnica dumtaxat est, quia per vnicam speciem intelligibilem. v. g. Petri, sufficienter repræsentatur ratio hominis, quæ est ratio quędam vniuersalis: plura tamē inferiora sub illo cōtenta, verum est quod non cognoscūntur per vnicā speciem, sed per plures.

Ex dictis hacten⁹ patet quā sit verum, ꝙ dixi tractatu de vniuersalibus, vniuersale nō fieri per abstractionem intellectus agentis: nam munus intellectus agentis tantum est producere speciem intelligibilem, vt media illa intellectus possibilis intelligat: sed illa species intelligibilis non repræsentat vniuersale, vt abstractum à suis inferioribus, sed inuolutum in illis, aliàs cognosceretur per diuersam speciem ab illa, per quam cognoscitur singulare cuius cōtrarium ostensum est: ergo talis abstractio naturæ non est opus intellectus agentis; sed possibilis, qui deinde formet conceptum naturæ denudatę à conditionibus indiuidualibus, & illam ita abstrahit ab inferioribus; solum in intellectu agenti concedenda est abstractio speciei intelligibilis: nam intellectus agens à phantasmate, quod imago materialis est abstrahit speciem, quā dam spiritualem, & immaterialem, tamen directè repræsentantem singulare, & in illa prædicata superiora cōtracta.

Tandem quarto ex dictis suppono singulare materiale directe cognosci, ab intellectu, & non reflexè, vt falso docent Thomistæ. *Singulare materiale directe cognoscitur.* Quòd vero cognoscatur directe docent grauissimi Auctores, Scotu, in 4. dist. 45. q. 3. Durandus in 2. dist. 3. q. 7. Gregorius ibidem. q. 1. Pereira, Fonseca, & plures. Alij supracitati, & quāuis Toletus hic. q. 5. contrariam tueatur sententiam, re tamen maturius perspecta. 3. lib. de anima. q. 12. docet singulare directè cognosci ab intellectu. Et probatur plane, quia illud ab intellectu cognoscitur directe, cuius habet propriam speciem intelligibilem: sed singularis materialis habemus propriam speciem intelligibilem, vt probatum est: ergo cognoscimus illud directe.

Secundo, quia intellectus intelligit pro hoc statu depē-

denter à sensibus: sed singulare materiale maxime est sensibile, & proportionatum sensibus: ergo directè cognosci tur ab intellectu.

Tertio, quia nullum obiectum indirectè cognitum est primo cognitum; prius enim debet cognosci obiectum directum, quàm indirectum, quod intelligitur mediante directo: sed ostendemus infra singulare esse primo cognitum: ergo est obiectum directe cognitum.

Obiectio. Sed obiicies Arist. 2. de anima, cap. 5. hanc differentiam constituit inter sensum, & intellectũ, quòd sensus est singulariũ, intellectus vero vniuersaliũ: ergo intellectus non concipit directè singulare.

2. Obiect. Secundo, quia vt habet cõmune axioma, *Intellectus abstrahit ab hic, & nunc*: sed singulare materiale concernit hic, & nunc ergo non potest directè cognosci ab intellectu: sed respõdetur facile ad primũ: differẽtiã illã, hoc modo esse intelligendã, quòd sensus tantũ est singulariũ; sensus enim nõ percipiunt vniuersale, intellectus verò nõ solum est singulariũ, sed etiam vniuersaliũ, eo quod est potẽtia vniuersalior, & longe perfectior.

Ad 2. obi. Ad secundum, quod axioma illud, *Intellectus abstrahit ab hic, & nunc*, significat intellectum eam habere vim, vt possit intelligere res abstrahendo à loco, & tempore præcise essentiam considerando, quod non habet sensus; semper enim sensus percipit obiectum secundum quod est in hoc, vel illo loco, &c. Cũ hoc tamen aliquando etiam intellectus cognoscit obiectũ non abstractiuè, sed prout concernit hic & nunc, quia cũ vtroque modo obiectum intelligibile sit, potest vtroque modo ab intellectu intelligi.

Vel secundo dici potest, intellectum ideo abstrahere ab *hinc, & nunc*, quia quamuis intelligat singulare materiale, quod cõcernit, *hic, & nunc* hoc tamen est per quandam speciem intelligibilem spiritualem, atque adeo abstrahentẽ ab *hic, & nunc*, idest, à circunstantiis materialibus. Tãdem quando Aristot. 3. de anima, text. 10. asserit intellectum in cognitione singularis se habere sicut lineam reflexã, nõ significat, vt optime exponit Themistius singulare cognosci reflexe, sed cognosci per diuersum actum ab illo, per quem cognoscimus vniuersale, ita vt intellectus diuersimode se habeat, sicut linea flexa diuersimode se habet à linea recta. *2. Respons.*

His

Primo cognitum singulare.

His ergo iactis fundamétis sit conclusio in hac quæstione. Primo cognitum à nostro intellectu non esse vniuersale, sed singulare: quam tenent Auctores pro 4. sententia supra citati: & probatur plane ex Arist. 1. Met. c. 2. & 1. Post. c. 2. vbi dicit ea esse nobis notiora, quæ sensibus propinquiora sunt, ea verò esse minus nota, quæ à sensibus remotiora sunt: sed singulare per se percipitur à sensu, vniuersale vero minime: ergo singulare est primo cognitū à nro intellectu nó vero vniuersale.

Secúdo experientia hoc ipsum docet nā si quis vellit advertere inueniet, quod sicut aprehēdimus res spirituales, admodū cuiusdā rei singularis corporeæ; ita cognoscimus vniuersale admodū cuiusdam rei singularis: prius ergo cognoscimus rem illam singularem ad cuius modū intelligimus vniuersale, quā vniuersale ipsum: sicut prius cognoscimus rem aliquā materialé, quàm Angelū, qué, admodū rei materialis cognoscimus.

Tertio quia vt intellectus cócipiat vniuersale necessarium est quòd prius cognouerit plura inferiora, inter quę quia inuenit quandā cóuenientiam, ideo abstrahit quandā rationem illis cōmunem, & ita homines ignari nó concipiunt aliquē solé vniuersalem, quia tantum vnicū numero Solem vident; prius ergo debent cognosci plura indiuidua habētia inter se aliquam cóuenientiam, quàm cognoscant rationem aliquam vniuersalem illis communem, atque adeo singulare est primo cognitú.

Quarto, quia intellectus noster, pro hoc statu cū sit coniunctus corpori, quidquid intelligit est depēdenter à sensibus, & ita quātò aliquod obiectū magis sensibile est priusquàm à sensu percipitur, tāto prius, ac facilius ab intellectu cognoscitur, ita vt primū cognitum sit primū sensatū. & ita Angelos quia sensibiles non sunt alieno conceptu intelligimus: sed singulare directè percipitur à sensu, vniuersale verò minime: ergo singulare est primo cognitum.

Tandē quinta ratio à priori huius est: quia cognitio intellectiua fit mediante specie intelligibili: sed species intelligibilis repręsentat directè singulare; vniuersale vero prout in illo inclusum, imo etiā si intelligamus vniuersale vt abstractū ab hic, & nūc illud percipimus per modū cuiusdam rei materialis singularis: ergo primo cognitum est singulare, non vero vniuersale.

Sed

Sed statim duplex dubitatio nobis explicanda occurrit. Prima est: an primo cognitum sit singulare speciei infimæ. v.g. hic homo, vel speciei subalternatæ, vt hoc corpus sub ratione huius corporis. Sunt enim qui existiment primo cognitum esse singulare speciei subalternæ, quia quandò quis videt hominem à longe prius cognoscit esse corpus quoddam, deinde cũ videt illum moueri cognoscit esse quoddã animal, quousque tandem cognoscit esse hunc hominem.

Dicendum tamen est illud singulare esse primo cognitũ ab intellectu, quod est primo cognitum à sensu; nam vt dictum est cognitio intellectiua fit depẽdenter à sensibus. Vnde dicendum est singulare speciei infimæ esse primo cognitum: nam, hoc est, quod primo se offert sensui, siue distinctè, siue confusè; nã quando quis videt hominem à longe in prima cognitione, reúera apparet illi corpus determinatæ speciei, quanuis hoc imperfecte propter longam distantiã, quia reúera illud corpus, vel illi apparet lapis, vel canis, vel quid simile.

Primo cognitũ est singulare accidentis. Secũda dubitatio est, an primo cognitum sit singulare accidentis. v. g. hoc album, vel singulare substantiæ. v.g. hic homo sub ratione substantiali huius hominis. In qua re dicendũ nobis est, primo cognitum esse singulare accidẽtis non vero substantiæ: existimo enim, vt latius dicam 3. lib. de anima, substantiã non cognosci ab intellectu, per propriam speciem, sed per speciem accidentis, & ita accidens esse primo cognitum non substantiã: quia illud debet intellectus primo cognoscere, cuius habet primo speciem propriã. Sic docuit Ricardus, in 2. dist. 24. q. 3. art. 3. Herbeus quodlibeto. 3. q. 12. Pereira. 3. Physicor. cap. 16. & plures alij: & breuiter nunc probatur. Primo, quia experientia ipsa docet nos, non concipere substantiam proprio conceptu, sed admodum accidentis. v. g. ad modum cuiusdam quantitatis, vel cuiusdam corporis albi, vt vnusquisque experiri potest: ergo primo cognoscimus accidens illud ad cuiusmodum intelligimus substãtiam, prius enim debet cognosci obiectum proprium, quàm aliud, quod intelligitur ad modum illius. Et ratio à priori ex dictis colligitur, nã quia intellectus noster intelligit dependenter à sensibus tantum habet speciem propriam

priam,& proprium conceptũ illius rei, quod per se à sensibus sensatum est, substantia autem non percipitur à sensu per se, sed ratione suorum accidentium,& ita ab omnibus Philosophis appellatur sensibile per accidens.v. g. quando quis videt lapidem,nõ videt proprie eius essentiam, nec substantiam, sed eius figuram,& colorem, &c. ergo intellectus non format proprium conceptum substantiæ,sed illam intelligit ad modum accidentis, atque adeò ipsum accidens est primo cognitum. Quando autem Aristot.7.Met.text.4.dicit. *Substantiam esse priorem cognitione accidentibus*, loquitur de cognitione distincta, nam perfecta cognitio accidentium pẽdet ex cognitione substantiæ, quæ est eius subiectum;tamẽ cognitione confusa, actuali cognitio accidentis est prior cognitione substantiæ.

Est tamen aduertendum, quòd sicut sensus non percipit accidẽtia in abstracto, sed inconcreto.v.g.visus nõ percipit colorẽ in abstracto, sed coloratum:ita intellectus tanquam obiectum proprium intelligit accidentia inconcreto vt album in quo virtualiter, & inuolute continetur substantia, sed de his latius tertio libro de anima.

Respon. ad argu.1. & 2. senten. Super est respondamus ad argumenta secundæ,& tertię sentẽtiæ supra aducta,& quidem ad primum locum Arist. adductum pro secunda sentẽtia respondetur cum Toleto 3.de anima.q.12.quod quando asserit vniuersale esse primo cognitum intellectui loquitur de intellectu,non quo modocumque, sed prout informato habitu sciẽtiæ; nam scientia per se primo versatur circa vniuersalia,circa singularia vero per accidens, non tamen loquitur de intellectu secundum se, & via originis considerato.

Ad secundum locum respondetur,vt quæstione præcedenti diximus, vniuersalio ra esse nobisnotiora cognitione distincta:tamen cognitione confusa actuali, singulare esse primo cognitum.

Ad primam rationem respondetur nihil probare, nam etiam agni recenter nati,quã libet ouem quasi matrem secuntur, quousque propriam matrem agnoscunt, cum tamen bruta non cognoscant aliquod vniuersale,quia hoc vix capi potest ab intellectu: vnde quemadmodum agni, solùm cognoscunt singulare matris confuse,& quasi vage; ita solum probatur pueros cogno-

cognoscere singulare patris confuse, & quasi vage donec rationis vsus magis in eis perficiatur.

Ad secundam rationem respondetur, quod principium illud, *natura incipit ab imperfectioribus*, non debet intelligi sine limitatione aliqua: nam prius generatur substantia, quàm generentur accidentia & passiones, substantia tamen perfectior est accidentibus; debet ergo intelligi quãdo minus perfectum, est dispositio necessaria ad magis perfectum: qua ratione, quia ad calorem vt quatuor requiritur necessario calor vt duo, prius producitur per naturã calor, vt duo, quam vt quatuor, at vero quamuis ad cognitionem distinctam singularis requiratur cognitio prædicatorum superiorum, vt supra probatum est, non tamen ad cognitionem confusam, quia confuse bene potest cognosci aliquod singulare, quin opus sit penetrare prædicata superiora: ideo cognitione confusa actuali vniuersale nõ est primo cognitum.

Ad tertiam, quod cognitione complexa, non est primo cognitum complexum ab intellectu, quodlibet est, vel non est in communi sumptum, nam cum iuditium sequatur aprehensionem, sicut primo cognoscimus singulare; ita prius iudicamus de singulari: & ita ad argumentum dici potest, solum occurrere in prima cognitione complexa, principium illud in singulari consideratũ, scilicet hoc singulare. v. g. Hic color est, vel non est.

Addo tamen secundo adhuc, hoc non esse primo cognitum complexum, nam cũ cognitio nostra fiat mediis sẽsibus, quando quis videt corpus aliquod album, vel nigrum, iuditium quod primo illi occurrit in intellectu, est illud corpus, albũ esse. quod cum experientia illi constet, nõ opus est recurrere ad primum principium, *quodlibet est, vel non est*, quod est principium maxime notum.

Ad aliam probationem reductam ad prima principia rogo, quare appellatur principium, principium hoc, *quodlibet est, vel non est*, respondeo, quia est principium maxime notum, & certum: neque vlterius à priori demonstrari potest, & ita est primũ quasi ordine perfectionis, non tamen est necessarium, quod sit primum ordine cognitionis; nam quod corpus sit album, experientia sensibus constare potest, quin sit opus

opus recurrere ad aliud principium.

Ad quartam respondetur negando minorem: nam obiectum adæquatum visus est color in communi; visus tamen non percipit colorem in communi, sed hunc colorem primo percipit, vt ergo aliquod sit primo cognitum, satis est, quod contineatur sub obiecto adæquato totius intellectus, & primo percipiatur à sensibus.

Ad quintam quod quando aliquis videt hominem à longe, nó iudicat primo esse corpus in communi, sed indiuiduum aliquod corporis, confuse tamen propter longam distantiam: nam reuera, vel illi apparet corpus illud esse lapidem, vel aliquod aliud corpus indiuiduale: vnde nó probatur vniuersale esse primo cognitum.

Ad sextam respondetur, quod vt quæstione præcedéti dicebam, cognitio confusa totius potentialis, idem est, quod cognitio confusa actualis: nam cognitio confusa alicuius totius illa est, qua intelligimus totum non penetrando eius partes, & ita quãdo. v.g. cognoscimus animal non cognoscendo eius partes subiectiuas, tantũ cognoscimus animal, & ita potius cognoscitur, vt totũ actuale, quam vt totũ potentiale: vnde quãdo cognoscimus partes subiectiuas animalis iã cognoscimus animal, vt totũ potentiale est distinctè, quia penetramus eius partes; nos verò loquimur in hac quæstione de cognitione confusa actuali, vt sæpe dixi, imo cognitione potẽtiali etiã minus vniuersalia sunt notiora, vt quæstione præcedẽti ostẽdimus.

Ad septimũ respondetur, quòd accidentia corporis in cõmuni sunt quantitas, color & similia in cõmuni considerata, & hæc nó occurrũt sensibus, sed hæc quãtitas, hic color, & hæc figura quæ sunt accidẽtia huius numero indiuidui, & ita singulare est primo cognitum, non vero vniuersale corporis.

Ad fundamẽtũ Scoti respõdetur primo intellectũ impediri ad primò cognoscẽdũ vniuersale speciei infimæ à sensibus ipsis, nã cũ cognitio intellectiua, fiat mediãtibus sensibus, quia sensus tantum percipiũt singulare, ideo intellectus tantũ habet propriã speciẽ singularis, nó vero vniuersalis, prout abstractũ est à cõditionibus indiuidualibus, sed prout est cõtractũ in illis & ita nó põt primo cognoscere vniuersale prout abstractum *Resp. ad fundam. Scoti.*

ctum à conditionibus singularibus.

Secundo respondetur negando, scilicet minoré quod cognitio speciei infimæ sit perfectissima omnium: nam cognitio singularis proculdubio est perfectior: nam Petrus præter rationem hominis dicit etiam differentiam indiuidualem, quæ aliquam nouam addit perfectionem; nam quã uis daremus differentiam indiuidualem sumi à materia, reuera sicut dicit nouam rationem formalem diuersam ab specie; ita dicit aliquam nouam perfectionem: nã omnis entitas est aliqua actualitas, & aliqua perfectio, & ita vbi est noua ratio formalis, est noua perfectio, & ita cognitio singularis, cum habeat obiectum perfectius, perfectior est quam cognitio speciei infimæ: & hæc de hac quæstione, & disputatione.

DISPVTATIO SECVNDA, DE QVIDDITATE CORporis naturalis.

PErgimus iam ad disputandum de corpore naturali, quod supra diximus esse subiectum adequatũ, de quo agit Philosophus. Vbi ex quibus partibus componatur examinandum est, nam distincta cognitio totius ex distincta cognitione partium dependet.

QVAESTIO I.

Qua ratione ens naturale distinguatur ab ente artificiali.

ARistoteles sępe dócuit entia naturalia maxime differre ab artificialibus nam 6. Meta. text. 1. asserit res denominari artificiales extrinseca denominatione, quia fiunt ab arte, quæ est in mente artificis, at verò res naturales dicuntur tales præcisè à forma intrinseca.

Vbi aduertendum est, reuera negari non posse, quin etiam entia artificialia dicantur talia à forma intrinseca, nam forma, seu figura Cathedræ, aliquid intrinsecum est

in

in ipsa cathedra, tamē quod hæc forma denominetur artificialis habet penes ordinem ad artem existentem in mente artificis à qua facta est. Differunt secundo, quia corpora naturalia habent in se principium motus, idest, habent in se principium suarum actionum: qualiter viuentia habent in se principium augmentationis, & diminutionis. Et grauia, & leuia habent in se grauitatem, & leuitatem, quibus mouentur sursum, aut deorsum: at vero artificialia, quatenus talia sunt, non habent in se principium alicuius actionis: nam si lignum in terra submergatur non germinabit cathedram, sed aliud lignum naturale; similiter, si corpora ex quibus orologium componitur mouentur ideo est, quia sunt quędam corpora grauia, verum est quod moueri, hoc, vel illo modo prouenit ab arte propter connexionem illorum corporum, ita docuit Aristotel. 2. Physicor. textu 7.

Tertio differunt: nam agentia naturalia agunt necessario, quia natura est determinata ad vnum, agentia verò artificialia agunt libere, quia ars tantum conuenit habentibus intellectum; ea autem quæ habent intellectum, habent etiam voluntatem liberam, & ita libere operantur. Sic docuit Aristot. 6. Ethicorum cap. 4.

Quarto differunt, nam corpora naturalia, vt lapis, sunt aliquid substantiale per formam substantialem, forma verò artificialis, est aliquid accidentale. v. g. forma cathedræ est figura.

Quinto differunt: nam forma corporis naturalis est in quauis parte ipsius corporis naturalis, qualiter in quauis parte ignis est forma ignis; at vero forma artificialis. v. g. figura tantum est in superficie.

Sexto, quia agentia naturalia saltē vniuoca sunt eiusdem speciei: at vero agentia artificialia per se semper distinguuntur specie ab effectu producto: nam artifex differt specie à cathedra, quam efficit: dixi autē per se, quia causa artificialis per accidens aliquando est eiusdem speciei, cum effectu artificiali: qua ratione artifex albus dealbāt parietem, qui in ratione albi non differt specie ab illa, tamen per accidēs est, quod talis artifex dealbans parietem sit albus, vel niger.

Et si inquiras: qua ratio-

ne verum sit, quod communiter dici solet, quod ars imitatur naturam. Respondetur duobus modis artem imitari naturam. Primo, quia ars sæpe producit effectum, similē effectui naturali. Qua ratione figura circularis globi arte facta, non differt specie à figura circulari pomi, quę naturalis est, solum enim differunt ex parte materiæ, & ex eo quod altera, à natura facta est; altera vero ab arte.

Secundo, quia ars imitatum naturam in modo operandi: nam producit sibi simile, saltem secundum ideā, quam in mente habet: producit enim effectum, quendā scilicet similem ideæ quā in mente habet.

QVAESTIO II.

Vtrum ens, seu corpus naturale sit aliquid simplex, an compositum.

ENS, seu corpus naturale est substantia corporea, quæ à natura quasi intrinsece constat, corpus naturale dicitur, vt colligitur ex Aristotel. 2. Physic. cap. 1. Natura autem, vt ibidem docet Aristot. est primum, & radicale principiū motus, quod principium cum radicale sit, substantiale esse debet, vnde ens naturale dicitur, quod cōstat substantiali principio alicuius motus corporum.

Quid sit corpus naturali.

Ex qua definitione colligitur ens naturale esse in rerum natura, nam sensu ipso percipimus, motum, quantitatem, & reliqua accidētia, quæ propria sunt substantiæ corporeæ, siue entis naturalis, & per discursum intellectus aperte colligitur, in huiusmodi ente sensibilibus accidentibus vestito includi aliquod ens per se subsistens, quod alteri non inhæreat, sed alia recipiantur in ipso, quia vbicunque sunt accidentia alteri inhærentia, necessario esse debet aliquid per se subsistēs in quo recipiantur, nā si quodlibet ens in alio reciperetur daretur processus in infinitū, hoc autē ens per se subsistens in quo accidentia sensibilia substentantur dicitur ens, siue corpus naturale, de quo hic quærimus, an sit aliquid simplex, vel compositum. Est autem duplex cōpositio Physica, altera ex partibus integrantibus, altera vero ex partibus essentialibus. Suppono autem corpus naturale componi

poni ex pluribus partibus substantialibus integrãtibus, quę inter se distant per quantitatem, nam experientia constat esse diuisibile, ac diuidi, & cum qualibet parte quantitatis, necesse est abscindi aliquid substantiale, quod recipiat quantitatem, & reliqua accidentia, quæ ab aliis diuiduntur, de quo in cap. de quãtitate disputari solet, & nos infra agẽtes de principiis corporis naturalis fortasse etiam disputabimus: modo autem solum est controuersia de cõpositione essentiali nõ de Metaphisica, nam per se constat huiusmodi corpus naturale, componi ex genere substantiæ, & ex diffrentia corporei, sed de Physica, an scilicet cõponatur, ex partibus Physicis essentialibus realiter inter se diuersis.

Sent en aliquorum. In hac re fuit sententia Parmenidis, Milesij, & aliorum, qui dixerunt vnum tantum esse principium substantialẽ rerum, carens omni compositione essentiali, in quo esse dixerunt omnia, quę fiunt sicut accidentia sunt in subiecto. Fundamentum esse potuit, quia omne, quod fit ex aliquo pręsupposito subiecto, illique inhæret est forma accidentalis illius; sed omnia quæ fiunt ab agentibus creatis sunt huiusmodi: ergo omnia quæ fiunt ab agentibus creatis sunt formæ accidentales inhærẽtes principio subsistenti, quod non fit ex alio subiecto. Maior propositio declaratur, quia ideo dicimus calorem non esse formã substantialem, sed accidentalem, quia conspicimus illum produci in aqua subsistenti, tanquam in subiecto: ergo reliquæ omnes formæ quæ hac ratione fiunt, accidentales dici debent; minor vero probatur: quia experientia constat ex nihilo nihil fieri, sed potius omnia fieri, præsupposito aliquo subiecto subsistente, quod in se recipiat, & sustẽtet, ea quæ fiunt: omnia ergo quæ fiunt sunt formæ accidentales, ac proinde nihil fit substãtiale: sed nisi aliquid substantiale fiat, aut corrumpatur ab agẽte naturali, nullum est inditium, ad colligendũ ens substantiale corporeum componi ex duplici parte substantiali realiter diuersa: ergo dicendum est ens naturale non componi ex duplici principio, imo vero nullum est principium illius, sed ipsum esse primũ principiũ omnium rerũ, quæ fiunt. Pro hac quoq; sentẽtia citari possunt alij Philosophi, qui formas substan-

tiales negarunt, quos refert Fonseca. 1. Metaph. cap. 7. q. 3. sect. 1.

Dicendum est primo, ens siue corpus naturale esse quid compositum ex partibus essentialibus Physicis, realiter diuersis, ex materia, scilicet, & forma. Hanc conclusionẽ docere, & probare intendit Aristotel. supra cap. 5. 6. & 7. nunquam tamen illam euidẽter demonstrat, sed probabilibus coniecturis illam suadet, quia in quibusdam transmutationibus, non dicimus aliquid fieri simpliciter loquendo, sed illud quod prius erat, & perseuerat fieri tale. v. g. aquam prius existentem fieri calidam, in aliis verò transmutationibus, dicimus fieri aliquid simpliciter. v. g. fieri ignem, vel aquam, quæ antea non erat: ergo illud quod fit in his transmutationibus, non est forma accidentalis sicut in reliquis, sed aliqua forma substantialis, sed præter hanc debet esse principium materiale subsistens, quod fieri nõ potest; ergo ex hac duplici parte substantiali, & non ex materia tantum componitur corpus naturale.

Hæc tamen ratio non omnino demonstrat, hanc cõclusionem, innititur enim auctoritati humanæ, & modo loquendi hominum, interdum dicentium aliquid fieri simpliciter, interdum vero aliquid, quod prius erat fieri tãle, quod prouenit quia in trãsmutatione, qua fit. v. g. ignis vel aqua, non conspicitur aliquid sensibile, quod prius esset, & perseueret postea recipiẽs formã ignis, vel aquæ. Ex quo tamen non euidenter colligitur ignem esse ens substantiale ratione formæ. Posset enim aliquis responderc formam ignis accidentalẽ esse, ac proinde ignem compositum ex illa, & principio materiali nõ esse omni ex parte substantialem, sed tantum secundum vnam partem.

Propterea alij pluribus rationibus demonstrant hanc conclusionẽ, Fonseca supra, & Perei. lib. 6. cap. 2. alijque hoc loco, mihi tamen in hac re ea videtur omnium optima ratio, quę ex his quę in huiusmodi corpore experimur desumi potest nam in homine sunt accidentia corporea, sicut in aliis corporibus: ergo in homine includitur aliquod ens per se subsistens materiale, & diuisibile, in quo recipiantur hæc accidentia. Experimur quoq; in homine esse alia accidẽtia spiritualia, nimirũ operationes liberi arbitrij,

actus

actus discurrendi, & intelligendi vniuersalia sint singularibus, & substantias spirituales, & reliqua omnia entia, quæquidem operationes & accidentia oriri non possunt, ex principio corporeo, & materiali, vt patet, quia nõ sunt in aliis animalibus: ergo oriri debent ex aliquo alio principio spirituali. Necessario ergo dicendum est, præter principium materiale in homine includi aliud principium per se subsistens, in quo sint alia accidentia spiritualia, vnde in homine concedi debent duæ partes substantiales.

Hinc vero aperte colligitur, idem esse dicendum de aliis corporibus naturalibus, nam istæ duæ partes substantiales, substantialiter vniuntur in homine ad cõponendã vnam integrã substantialem naturam, secus enim, neque anima in sua intellectione pẽderet à sensibus, qui sunt in parte materiali, neque sensus vel appetitus corporis subiici possent animæ, sed partes, quæ substantialiter vniuntur debent esse substantialiter incompletæ, quia ex naturis completis alia tertia natura non potest componi: ergo partes quæ sunt in homine, sunt substantiæ incompletæ, & partiales, inter quas, altera est primum subiectum, quod eiusdem rationis est cum materia aliorum corporum, siquidẽ ex aliis corporibus homo, & ex homine alia corpora generãtur: ergo in aliis corporibus primum subiectum materiale debet etiam habere aliquam formã substantialem, cum qua vnam naturam substantialem efficiat completam. Quæ ratio præcipue procedit de corpore naturali corruptibili, de incorruptibili vero idem dicendũ erit, & probandum in lib. de cœlo, eadem etiam ratio, probat diuersitatem realẽ in his partibus substantialibus corporis naturalis, & clarius conuincitur ex separatione vnius ab altera, quia nulla est forma substantialis, sine qua nõ possit existere materia corporũ generabilium, & corruptibilium, vt naturalis ordo generationis, & corruptionis demonstrat.

Vt tamen fundamento oppositæ sententiæ satisfaciamus explicandum est, quem modum essendi habeant substantiales formæ in materia diuersum à modo quo existunt accidẽtia. In qua re quidam asserunt materiam primam immediate recipere vnicam tantum formam, reliquas *Satis fit oppositæ sent.*

vero recipere mediante illo, ac propterea componere vnã substantiam cum prima forma, quæ propterea est substantialis, non vero cum reliquis, & ideo reliquas esse accidentales. Quæ tamen sententia mihi non placet, supponit enim in materia prima nullam accidentalem formã immediate recipi, quod saltem de generatione substantiali negare omnino falsum est, generatio enim per quã forma substantialis producitur est accidens de prædicamento actionis, quod necessario recipitur immediate in materia prima, nam in illo priori, quo generatio præcedit formam nondum est substantia completa in qua recipiatur. Deinde inferius etiam de quãtitate probabimus immediate subiectari in materia prima, sicut forma substantialis eidem immediate vnitur: ergo quantũ ad hoc nulla est differentia inter formam substantialem, & aliqua accidentia.

2. Sentent. Secunda aliorum sententia est primum principium materiale, non habere propriam existentiam, sed illam recipere à quadam forma, cũ qua vnitur, & ideo hanc formam esse substantialem non verò reliquas. Quæ sententia similiter non placet, quia supponit materiam primam non habere propriam existẽtiam, quod in ipsa impugnandũ est.

3. Sentent. Tertia sententia esse potest materiam primam, non habere propriam subsistentiam, sed illam recipere ab aliqua ex formis, quæ in se recipit, & illam esse substantialẽ, quę est principium subsistentiæ substãtialis, reliquas vero formas esse accidentales, quia adhærent alteri, & nõ sunt principia subsistendi. Quæ sententia probabilior est omnibus præcedentibus, & indicatur à D. Thom. 4. cõtra gent. cap. 81. non tamen est omnino vera, quia infra etiam probabimus materiam primam ex se ipsa habere propriũ modum subsistendi.

4. Sentent. Quarta aliorũ sententia est, materiam primã sicut habet naturã substantialem in completam diuersam à forma, habere etiam diuersam subsistẽtiam partialem & incõpletam quę completur per partialem subsistentiam prouenientẽ à forma substantiali, sicut natura incompleta illius completur per naturam partialẽ formæ, quam recipit, ideo formam illam per quam completur subsistentia materiæ esse substantialem, quia est principium subsistendi completè;

reli-

reliquas vero formas esse accidentales.

Quæ respõsio licet optime declaret differentiã inter formam substantialẽ, & accidẽtalem, tamẽ supponit dubiam sententiã, de subsistentia partiali proueniẽte à forma qualibet substãtiali, quæ licet fortasse sit probabilis, tamẽ veritas substãtię, quę reperitur in formis substantialibus, pendere non potest ex illa, vtpote maior, & ab omnib⁹ Philosophis recte sẽtiẽtibus cõcessa.

Quid tenendum est. Quare pro núc magis placet in hac re aliorũ sententia, qui declarãt hãc differentiã essendi in aliõ inter formas substãtiales, & accidẽtales, per hoc, quod forma substãtialis est in materia, tanquã pars intrinseca, & essentialis totius cõpositi substãtialis per se subsistentis, siue sit immediatũ principiũ subsistendi, siue nõ: at accidẽtalis forma, est in materia nõ tanquã pars intrinseca: suppositi vel naturę substãtialis. Quæ differẽtia essendi in subiecto, colligitur ex Aris. qui in ante prædi. c. 2. definit propriũ modũ essendi in subiecto, qui conuenit accidentalibus formis: hac ratione. *In subiecto esse dico, quod cum in aliquo sit, sit non sicut quædã pars, impossibile est esse sine eo in quo est,* quæ deffinitio sic est intelligenda; vt esse in subiecto sit esse in substantia, hæc enim est quæ dicitur aliquid simpliciter, non tanquam partem ipsius substantiæ, nomine autem partis substantiæ intelligendum est, quidquid ad cõstitutionem substãtiæ intrinsece concurrit, vt cõprehendantur modus vnionis, materiæ, & formæ, & modus subsistentiæ, qui intrinsece concurrunt ad constitutionem substantiæ perfectæ, & completæ subsistentis, igitur omnis forma existens in substantia, non tanquam pars substãtiæ, nec tanquam quid intrinsece constituens substantiam est accidentalis, reliquæ vero, quæ substantiam intrinsece constituunt sunt vere substantiales, quia his non conuenit definitio tradita ab Aristot. huius quod est accidentaliter esse in subiecto.

Per hæc solutũ manet fundamentum illius sententiæ, quia non omne quod fit ex præsupposito subiecto, & illi inhæret tanquam per se subsistenti, est forma accidentalis, sed illud tãtum quod cũ hoc modo fiat non pertinet vllo modo ad intrinsecã, vel essentialẽ constitutionẽ substãtiæ, & iam probatum est necessario ponendũ esse aliquod, quod fiat in principiis materiali, tã

quam pars intrinsecæ constituens totalem, & perfectam substantiam per se subsistentem simul cum illo.

QVAESTIO III.

Vtrum partes corporis naturalis vniantur per vnionem, ex natura rei diuersam ab ipsis.

Quid not. Notandú est vnionem dupliciter sumi posse: primo pro vnitione, id est pro actione vniendi aliquid, de qua vnione non intelligitur præsens quæstio, est enim actio de prædicamẽto actionis, de qua alio loco disputabimus, an differat à subiecto in quo est, & à termino producto per ipsam.

Secundo modo sumi potest vnio pro forma facta per vnitionem, à qua forma extrema denominantur vnita transacta actione, sicut corpus denominatur ab albedine albú, transacta de albatione, de hac autem forma vnionis in facto esse intelligitur pręsens quęstio, an differat ex natura rei ab entitate vtriusque partis, in qua est illa vnio.

Prima sent. Prima sententia est, hanc vnionem non esse ex natura rei diuersam à partibus vnitis, sed cum illis idẽtificari. v.g. vnionem materiæ cum ipsa materia, & vnionem formæ cum ipsa forma. Quam sententiam insinuauit Soncin. 5. Met. q. 31. ad tertiú, dum dicit vnionem materiæ non esse entitatem additam materiæ, & multi hoc tempore sequútur, vt deffendant totum non differre ex natura rei ab omnibus partibus collectiue sumptis. Fundamentum esse potest, quia frustra ponuntur plura vbi pautiora sufficiunt: sed vnio intelligi potest absque entitate addita partibus vnitis: ergo propter vnionem non est addendum partibus aliquid diuersum ab illis.

Dicendum est primò materiam, & formam entis naturalis vniri inter se per formam vnionis infacto esse diuersam ab vtraque ex natura rei. Hãc cõclusionem supponit venet 1. Phys. tex. 17. dum ait totú distingui realiter ab omnibus partibus propter vnionẽ partiú quá includit diuersam ab omnibus partibus. Eandẽ similiter supponút reliqui Doctores, qui sentiút totú distingui realiter ab omnibus partibus collectiue sumptis, quia hoc nequit intelligi nisi ratione vnionis, quam præter partes

partes totum includit, & optime hanc conclusionem explicat Pater Suarez 3.p.tom. 1.disp. 8.sect.2.agens de simili vnione humanitatis cum diuinitate in Christo.

Et probatur efficaciter duplici ratione, quarum prima sumitur ex generatione hominis, quia noua actio diuersa ex natura rei ab alijs diuersum terminum habere debet: sed generatio per quam fit homo est noua quædam actio diuersa ex natura rei à creatione materiæ & animæ rationalis: ergo habet terminum diuersum ex natura rei, à materia & anima rationali: sed hic terminus diuersus esse non potest alius, quã vnio materiæ cũ forma: ergo vnio materiæ cum forma diuersa est ab vtraque ex natura rei.

Respondent aliqui per generationem produci totum hominẽ, qui vt totum quoddam est differt ex natura rei à materia & anima rationali, quæ fiũt per creationem: vnde etiamsi non producatur vnio diuersa à partibus assignatur terminus generationis humanæ diuersus à partibus quæ fiunt per creationẽ: quę solutio hac ratione impugnanda est. Quia totus homo non fit secundum totam suam entitatem per generationem, quia entitas materiæ & animæ, quæ in illo includuntur fiunt per creationẽ: ergo homo nõ potest esse terminus generationis humanę, nisi secundum aliquid in ipso inclusum, distinctũ à materia & anima, hoc autem esse non potest nisi vnio partium: ergo hæc vnio diuersa est ab vtraque parte.

Secunda ratio huius cõclusionis sumitur ab existentia omnium partium sine vnione, quia illa entia realia, quorum alterum sine altero potest existere, & manere in rerum natura distingui debẽt ex natura rei, sed entitas omnium partium corporis naturalis manere potest in rerum natura sine vnione: ergo entitas ipsarum partium diuersa est ex natura rei ab eadem vnione. Maior propositio videtur per se nota, cũ idem non possit à se ipso separari, aut sine se ipso seorsum consistere. Minor vero probatur in homine in cuius morte materia prima & forma substantialis manent in rerum natura sine vnione.

Hic modus colligendi diuersitatem ex natura rei inter aliqua per existẽtiã vnius sine alio est omnium efficacissimus, quo in tota Philosophia frequentius vtemur, *Quid not.*

 & ideo

& ideo hoc loco vim eius explicabo. Probatur ergo primo authoritate: nam Scotus in 2. d. 1. quæstion. 5. & 3. d. 8. quæstio. 1. Durand. in 1. dist. 30. quæst. 2. n. 14. Iauel. 10. met. quæst. 10. & plerique alij docent hoc argumento colligi diuersitatem ex natura rei. Alexand. quoque Afrodis. libr. 1. naturali quæst. cap. 8. dicit hoc argumento probari ceram differre à figura. Præterea inter Sanctos Patres Bern. serm. 80. in Canti. hoc argumento probat distinctionem animæ à sua rectitudine & à capacitate bonorum æternorũ, & August. 6. de Trinit. cap. 6. hoc argumento inquit conuinci magnitudinem distingui à calore & figura, quia eadem manente magnitudine calor & figura perire possunt. Deinde etiam Arist. 7. Topic capit. 1. tradit locos colligendi & inueniendi diuersitatem 16. locum statuit dicens: *Si potest alterum sine altero esse, non erit idem ad idem.* Vnde in hoc lib. cap. 7. text. 60. vtens hoc argumẽto probat hominẽ distingui à musico, & immusico, quia homo sine musico esse potest & 7. met. cap. 17. probat syllabam esse diuersam ab elemẽtis ex quibus cõponitur, quia syllaba potest corrũpi, etiã si maneant elementa ab inuicẽ separata. Deniq; à Theologis hoc solo argumento probatur subsistentiá distingui ex natura rei à natura, quia in Christo humanitas extitit sine creata subsistẽtia, & eodẽ argumento probant quantitatem differre ex natura rei à substantia, quia in Sacramento altaris quantitas existit sine substantia panis, neq; etiã est aliud argumentũ quo probemus frigiditatẽ differre ab aqua, nisi quia substãtia aquę sine intensa frigiditate manere solet.

Secundo vero declaratur vis eiusdẽ argumẽti impugnando solutiones, quibus solui solet. Respõdẽt enim aliqui ad maiorem entia realia quorũ vtrũq; esse potest sine alio esse diuersa ex natura rei, non tñ illa, quorũ alterũ solum sine altero esse potest, & quia vnio nõ potest separari à partibus corporis naturalis, licet partes separẽtur ab illa nõ probabitur distinctio ex natura rei inter partes, & vnionẽ. Quæ solutio primo ex eo impugnatur, quia si mutua separatio necessaria est ad colligendã distinctionẽ realẽ inter aliqua duo, sequeretur personalitatẽ vel subsistentiã nõ esse diuersam

Declaratur argum.

ex

ex natura rei à natura, cuius oppositū docēt omnes Theologi. Patet sequella, quia licèt natura separari possit à propria subsistentia, subsistentia tamen non potest existere sine propria natura quàm terminat.

Secundo sic argumentor. Quia tota ratio propter quā ex separatione colligitur distinctio, est quia implicat idē à se ipso separari, & sine se ipso existere: sed eadē implicatio contradictionis cernitur in existentia vnius sine altero, quę apparet in existētia vtriusq; sine altero: ergo ex existentia vni⁹ sine alio optime colligitur diuersitas ex natura rei.

Dices. Genus & differentia non differūt ex natura rei, & tamen potest vnum separari ab altero: ergo separatio vni⁹ tantum extremi non infert distinctionem ex natura rei inter duo extrema. Respondendum est huiusmodi principium non esse accommodandum his rebus, quę solum habent esse per intellectum qualia sunt genus & differentia, nam hęc sicut per intellectum habent esse, ita solum per intellectum differunt.

Vtendum est igitur hoc principio ad probandam distinctionem realem in rebus singularibus, quæ existunt à parte rei, sicut nos modo illo vtimur. Deinde etiam addi potest, licèt genus, quia commune est multis conseruari posset in vno sine alijs, tamē propriè loquēdo nunquam separatur à differentia, cum nunquam corrumpatur differentia in aliquò singulari; in quo simul non corrumpatur genus differentiæ coniunctum, cum tamen in præsenti materia, corrupta vnione non corrumpantur partes vnitæ: ergo nunquam dari poterit aliqua instantia quæ ostendat separationem esse etiam non mutuam inter aliqua duo, quæ non differāt ex natura rei.

Addendum est tamen hoc loco ex hac duplici rerum separatione mutua, & non mutua duplicem colligi distinctionem ex natura rei, vnam inter rem & rem alteram vero inter rem & modum, vel formalitatem ipsius, huius duplicis distinctionis realis meminit expresse Sotus 5. Physicor. quæstion. 2. post 5. conclusionem. *Quid addendam.* Illa dicuntur distingui sicut res, & res, quorum quodlibet habet entitatem ad existendum sufficientem absq; coniunctione cum altero, saltem de

de potentia Dei absoluta; cuius generis sunt partes physicæ corporis naturalis, materia & forma, substantia, & quantitas &c. & ad hanc distinctionem ex natura rei rerequiritur mutua separatio vtriusq; extremi, ita vt nó repugnet saltem secundum diuinam potentiam quodlibet ab altero separari. Ea vero distinguuntur ex natura rei sicut res & modus, quorum alterum non potest separari ab altero, etiam de potentia absoluta, quia est tam minimæ entitatis vt non sit sufficiens secundum illam existere, nisi alteri vniatur, alterum tamen extremum separabile est ab isto, & huiusmodi generis sũt quãtitas, & eius figura, vel situs, fundamẽtum & relatio, licèt enim quantitas separari possit ab hac figura & situ quem modo habet, & fundamentum à relatione tamen figura & relatio separari nequeunt à quantitate & fundamento, quia non habent entitatem sufficiẽtem vt existant separata ab alijs etiam de potentia absoluta, propter quod non dicuntur res, sed modi rerum, & ad hanc distinctionem ex natura rei dicimus nó esse necessariam mutuam separationẽ eorum, quæ distinguuntur, sed sufficere separationem vnius ab altero nempe rei à suo modo, vt fundamenti à relatione, partium ab vnione ipsarum. Inter has autem distinctiones ex natura rei, maior est illa, quæ est inter rem & rem, quàm ea, quæ est inter rem & modum eius, quia maior separatio est inter duas res, quàm inter rem & modum eius, quia ibi intercedere potest mutua separatio vtriusque extremi, hic autem solum potest esse separatio non mutua.

Respondent alij ad minorem propositionem eiusdem argumenti negando partes entis naturalis manere realiter sine vnione quam dicunt identificari cum partibus, cõcedunt tamen partes manere sine vnione formaliter & propterea non denominari vnitas inter se sicut antea. Vnde dicũnt illo argumento solũ probari vnionem differre à partibus formaliter per intellectum, non vero ex natura rei.

Sed hæc solutio nihil meo iuditio intelligibile cótinet: nam quomodo intelligi potest formalitatẽ vnionis corrumpi & partes ipsas manere cum realitate vnionis. Secundo quia ex hac solutione sequitur aperte formalitatem vnionis

vnionis distingui ex natura rei à realitate eiusdẽ, quod quis non videat esse multo difficilius, quam ipsam realitatem vnionis distingui à realitate partium ex natura rei, patet consequentia: qui separatur realitas vnionis à formalitate eiusdem.

Tertio sic argumẽtor, aut formalitas vnionis quæ corrumpi dicitur, est aliquid reale, aut nihil: si nihil, ergo nihil corrumpitur reale in morte hominis, atque adeò non moritur homo vere. & realiter: si est aliquid, hoc esse debet essẽtiale ipsi modo vnionis, & ex natura rei à partibus distinctum, quia ab illo separantur partes: ergo modus vnionis distinguetur ex natura rei ab ipsis partibus, quia aliquid essentiale vnionis ab ipsis distinguitur, inde enim sequitur totam essentiam & entitatem vnionis simul quoque distingui.

2. Sentent.

Quarto, quia formalitates quæ sola ratione differunt à re non producuntur, nec corrũpuntur per se, sed cum entitate cum qua identificantur, vt patet in ratione animalis, corporis & substãtiæ: sed vnio corrumpitur per se in morte hominis, non corrupta entitate partium, & reproducitur etiam per se in resurrectione eiusdem non reproductis partibus: ergo hæc vnio non est formalitas partium sola ratione ab illis diuersa, sed ex natura rei distincta.

Quinto denique intellectus noster nõ potest tribuere rei nouam formalitatem, aut noua prædicata, quæ antea non tribuebat, nisi aliqua mutatio sit ex parte rei: ergo non posset concipere in partibus formalitatem vnionis, nec denominare illas vnitas, nisi in ipsis partibus facta esset aliqua mutatio per quam diuerso modo se habet in se ipsis: ergo aliquid additur partibus ab illis diuersum, quando vniuntur inter se, & aliquid etiam aufertur, quando separantur. Constat ergo ex his optimum esse argumẽtum ad probandam distinctionem ex natura rei inter aliqua, separationem eorum ad inuicem, vel saltem alterius ab altero, atq; adeò vnionem inter partes corporis naturalis diuersam esse ex natura rei ab ipsis partibus.

Iam quod attinet ad quiditatem & essentiam huius vnionis quorundam sententia est illam non esse formã aliquam absolutam, neque modum substantialem, sed relationem inter ipsas partes,

tes, quia relatio est forma superaddita rei, per quam res aliquomodo se habet ad aliam: sed vnio partis compositæ est huiusmodi: ergo hæc vnio est vera relatio per quã pars refertur ad alteram partem. Ita videtur supponere Iauelus 7. met. quæst. 20. Sõcin. quæst. vltim. eiusdẽ lib. & lib. 5. quæst. 31. in illa solutione ad 3. supracitata Scot. in 3. dist. 1. quæst. 1. & Durãd. in 3. d. 5. quæst. 2. quibus fauet D. Thom. 3. part. quæst. 2. art. 7. dum docet vnionem humanæ naturæ cum verbo esse relationem realem.

Quid sit vnio. Dicendum tamen est secundo in hac quæstione vnionem partium corporis naturalis esse in ipsis modũ substantialem absolutum à relatione secundum esse, ex quo tamen nascitur inter partes ipsas, relatio quędam secundum esse. Hanc conclusionẽ docent in simili Caiet. 3. p. quæst. 2. articul. 7. & 9. Pater Suarez loco citato. Et probare possumus ex dictis. Quia relatio secundum esse non potest esse terminus per se actionis vel mutationis, sed semper resultat ex mutatione, vel productione alicuius extremi: sed vnio materiæ cũ forma rationali est terminus per se generationis, & resurrectionis, & fit sine aliã mutatione extremorum: ergo modus vnionis qui fit per generationem non est relatio secũdum esse, sed modus aliquis absolutus.

Secundo quia totus homo in sua ratione & substantia non includit relationem nec modum accidentalem, sed in sua ratione includit vnionẽ partium vt docet S. Thom. 3. p. q. 2. art. 5. & q. 50. artic. 4. ergo vnio partium non est relatio vel modus aliquis accidentalis, sed modus substantialis inclusus inquiditate hominis. Ex hoc autem substãtiali modo oritur relatio vnionis secũdum esse inter ipsas partes vt D. Thom. supra citatus docuit per quam relationem vna pars refertur ad alteram cui vnitur.

Circa hanc conclusionem multa quæri possunt. Primo quæret aliquis, cur appelletur à nobis hæc vnio modus substantiæ & non substantia siue res substantialis. Pro cuius rei intelligentia notandũ est inter entia realia, aliqua esse, quæ essentialiter nõ sunt alijs vnita, sed existere possunt separata saltem per diuinam & supernaturalem potẽtiam, quę entia, quia per se habere possunt existentiam specialí modo dicuntur res, hu- *Cur appelletur vnio modus substantia.*

ius-

Differentia inter rē, & modum.

iusmodi sunt substantiæ, formæ substantiales, & nonnullæ etiam accidentaleces. Alia vero sunt entia, quę in sua essentia includunt actualem coniunctionem cum alijs, à quibus nec per diuinam potentiam separari possunt, & huiusmodi entia realia dicũtur modi, quia eorum essentia est actu modificare alia, & non possunt per se constituere aliquod ens, cuius generis est vnio inter materiã & formam, quæ in sua essentia includit coniunctionem cum ipsis, & ideo non potest non illis esse vnita.

Ex hac differentia inter entia realia, quæ dicuntur res siue entitates, & illa quæ dicũtur modi colligitur ratio propter quam forma substantialis v.g. indiget super addita vnione, vt coniungatur materiæ; & similiter materia vt coniungatur formæ: modus autem ipse vnionis non indiget aliquo alio super addito, vt coniungatur materiæ & formæ, quia nimirũ vnioni essentiale est actu esse in illo in quo recipitur, vel cui adiungitur, quod autem res habet per suam essentiam non potest habere per aliquid extrinsecum, at vero formæ substantiali nõ est essentiale vnitam esse materiæ, quia cum tota sua essentia existere potest separata, ac propterea indiget aliquo super addito vt vnita sit, nam ea prædicata, quæ res non habet per intrinsecam entitatem & essentiam habere debet ratione alterius formæ superadditæ. Sicut substantia quia per suam essentiam non habet partes extra partes hoc habet per super additam quantitatem.

Secundo circa hunc modum vnionis quæri potest, esto sit modus absolutus, & non relatio secundum esse, cur dicatur esse modus substantialis: nam si ex eo dicatur substantialis, quia recipitur in substantia, etiam relatio creaturæ ad Deum, & aliæ, quæ immete fundantur in substantia erunt modi substantiales, & non pertinebunt ad prædicamentum relationis, sed substantiæ, maxime quod Aristotel. 2. de anima in principio diuidit substantiam in totalem & partialem: & partialem in materiam solum & formam, modus autem iste vnionis non est substantia totalis, neq; materia nec forma: non est ergo substantia, sed accidens.

Respõdeo sicut supra dicebam

bam ex Arist. non omnẽ formam existentem in subiecto esse accidentalem, sed quæ est in subiecto non vt pars intrinseca constitutiua substantiæ totalis & completæ, quæ autem est in materia tãquam pars intrinsecè & essentialiter constituens substantiam perfectam est forma substantialis. Pari ratione non omnis modus existẽs in substantia est substantialis, sed is qui est in substantia tanquam quid intriesece pertinens ad constitutionem substantiæ completæ, vel per se subsistentis: in quo genere duo esse tantum videntur, nimirum modus iste vnionis, & modus etiam subsistentię, reliqui omnes modi, etiamsi in substantia existant accidẽtales sunt, quia non pertinẽt ad intrinsecam & essentialẽ constitutionem substantiæ completæ, vel per se subsistentis.

Ad Ari. vero dicitur eo loci, nõ cõprehẽdisse nec diuisisse substãtiã in tota sua latitudine secũdum quam, quidquid ad intrinsecam substantiæ constitutionem spectat dicitur substantia, vnde cõprehendit modos etiam substantiales, sed solum diuisisse substantiam, prout supponit pro substantia totali, vel partiali tantum, & ideo non meminit alicuius modi substantialis, nec vnionis: quia vnio non est propriè loquendo pars substantiæ, sed vinculum partium, per quã partes ipsæ vniuntur, & ideo etiam propriè loquendo totũ compositum substantiale ex duplici tantum parte componi dicendum est, materia scilicet & forma, vnionem enim includit, non vt partem, sed vt vinculum partium.

Duo alia inquiri possent hoc loco circa hunc modum vnionis, alterum circa simplicitatem vel compositionem eius, sitne vnus tãtum, an duplex, alter quo materia recipiat formam, & alter quo forma informet materiã, alterũ vero circa illius subiectum, an scilicet sit in materia, vel in forma, vel in vtraque parte de quibus 2. lib. commodius agemus, disputantes dẽ causalitate materię & formę.

QVÆSTIO. IIII.

Vtrum totum compositum naturale differat ex natura rei ab omnibus suis partibus.

CVM hactenus dixerim' corpus naturale totum quod-

dam esse ex partibus compositum, videndum est an ab illis distinguatur, quā quæstionem attingit Arist. hic capit. text. 17. in solutam tamen eā reliquit propter quod Valles hoc loco controu. 4. & Tol. eodem textu existimant hāc quæstionem ad Metaphysicū pertinere, sed esto quęstio de toto in communi, an à partibus differat, pertineat ad Meta. quia ratio totius, communis est reb' corporeis de quibus agit Met. præsens tamen quæstio de toto corpore naturali ad Physicum pertinet cuius est agere de substantia corporea, cuius solutio facilis erit ex dictis in præcedentibus.

Quid certū. In qua quæstione certū est totum naturale distingui ex natura rei à qualibet parte per se sumpta, non quidē ratione totius entitatis, sed ratione alterius partis quam includit V. g. homo ex natura rei differt à materia ratione animæ, & ab anima ratione materiæ, & à qualibet distributiue loquendo ratione alterius, controuersia tamē est quomodo totum differat ab omnibus partibus collectiue loquendo, ita vt signum illud vniuersale non sumatur distributiue, sed copulatim.

Quid nu.

Sed notandum est partes totius copulatim sumptas duobus modis intelligi posse: primo solum includendo entitates partium, & quidquid cum ipsis identificatur ex natura rei: secundo includendo cum entitate partium simul etiam modum vnionis quo sunt vnitæ & vtroq; modo intelligi potest hæc quæstio.

Circa quam, prima sententia est totum distingui ex natura rei ab omnibus partib' etiam vnitis & intellectis cū vnione, quā defendit Scot. 8. met. q. 4 & memb. 3. 9. 2. q. 2. idem sentit Fons. lib. 5. cap. q. 2. sect. 2. *1. Sent.*

Secunda sententia huic opposita est asserentium totum non differre ab omnibus partibus collectiue sumptis, quam tuetur Durand. in 3. dist. 2. quæst. 2. *2. Sent.*

Tertia sententia est Pereira lib. 7. Physicor. capit. 10. in fine qui vtranque prędictam sententiam reputat probabilem, quem etiam sequuti sunt Patres Lusitani apud quos Autores & rationes vtriusq; sententiæ videri possunt cap. 2 quæst. 1. *3. Sent.*

Quarta sententia media est asserentium totum realiter differre à partibus simul sumptis, præcissa vnione, nō

tamen ab illis cum vnione sumptis quā defendūt Vallef. & Toletus supra & nos sequentibus conclusionibus explicabimus.

Qua ratione totum distinguatur à suis partibus.

Dicendum est primo: totum ex natura rei non distinguitur ab omnibus partibus collectiue sumptis includentibus vnionem, distinguitur tamen per intellectum. Iuxta primam partem huius conclusionis intelligendus est Aristotel. 2. de anima capit. 1. text. 10. dum ait. Sicut oculus & pupila est visus, ita anima & corpus est animal, videlicet quando corpus & anima vnita sunt, & eodem sensu loquitur Diu. Thom. 4. contra gent. capit. 81. dum asserit humanitatem non esse aliud quam materiā & formam. Et probatur hæc pars, huiusmodi ratione, quia totum nihil includit prẹter partes & vnionem: ergo non distinguitur ex natura rei à partibus vnitis: consequentia patet, quia quando aliquid differt ab alio ex natura rei tanquam includens ab incluso debet includere aliquid aliud præter id à quo distinguitur. Antecedens autem probatur: quia nihil aliud requiritur ad rationem totius compositi Physici, & quid quid aliud fingatur erit superfluum, partibus enim simul cum vnione apprehensis, sufficiēter intelligitur totum compositum.

Secunda verò pars de distinctione rationis probatur, quia ratione diuersi modi cōcipiendi confusse vel distincto definitio distinguitur per nostram considerationem à definito, quanuis definitum nihil includat quod non sit in definitione, neque è contra, ergo pari ratione totum Physicum, quia confusse cōcipi potest sine partium distinctione distinguitur ratione ab omnibus partibus vnitis distincte concep is.

Distinctio inter totum et partes.

Dicendum est secundo totū distinguitur ex natura rei ab omnibus partibus collectiue sumptis, non intellectis cum vnione. Hæc sun itur ex Aristotel. 7. metaph. in fine vbi docet syllabam, *Ba* non esse ipsa elementa B. & A ex quibus componitur, quia elementis separatis existētibus non manet syllaba, vbi optimam rationem attingit, quia omnes partes possunt existere in rerum natura, quanuis non existat totum. Item 8. metod. capit. 8. text. 15. docet in his quæ habent plures partes & non est totum quasi coaccruatio, ipsum totum esse aliquid præter

ter partes. Idem colligi potest ex 12. met. capit. 3. & 2. de anima capit. 1. vbi docet triplicem esse substantiam materiam, formam, & compositum ex vtraque: supponit ergo totam substantiam diuersam esse à suis partibus non vnitis.

Deinde probatur ratione, primo ex separatione, quia entitas omnium partium corporis naturalis existere potest sine toto: ergo entitas omnium partium differt ex natura rei à toto, antecedens patet in homine cuius partes manent post corruptionem illius, consequentia vero optima est, vt constat ex dictis supra dubio præcedenti.

Distinctio inter totum et partes

Secundò, quę fiunt per diuersas actiones diuersa esse debent, quia termini producti proportionantur actionibus: sed entitas partium & totius fiunt per diuersas actiones ex natura rei: ergo inter se differre debent. Minor patet in homine cuius partes fiunt per creationem à solo Deo, humanitas vero fit per generationem ab agēti naturali: & hunc modum modum probandi distinctionem inter aliqua ex actionibus adducit Aristot. 7. Topicor. cap. illo 1. 3. loc. Eodem argumento probat Aristotel. 4. metod. text. 7. ens & vnum esse idem realiter, quia non separantur in generatione & corruptione, nam eadem actione generatur ens & vnū ens, & similiter corrumpitur.

Ratio à priori.

Tertia ratio à priori colligitur ex dubio præcedenti, nam totum præter entitatem omnium partium includit modum vnionis diuersum ex natura rei à partibus: ergo totum distinguitur ab omnibus partibus ex natura rei. Patet consequentia à simili quod omnes concedūt, nam totum distinguitur ab altera parte ratione alterius partis, quam includit: ergo etiam distinguitur ab omnibus partibus collectiue, loquendo ratione vnionis quā includit: quam rationem insinuauit Aristot. 7. metod. in fine dum dixit syllabam distingui ab elementis, quia præter elementa includit vnionem & ordinem elementorum.

Ex qua ratione constat totum non distingui à partibus adæquate, idest, ratione suæ integræ entitatis, sed inadæquate ratione vnionis quā præter partes in-

cludit, constat etiamnon distingui sicut rem à rebus, sed solum modaliter, vel formaliter ex natura rei: quia ille modus vnionis non distinguitur à partibus sicut res à rebus, sed sicut modus inseparabilis à rebus quarum est modus. Argumenta autem quæ contra has duas conclusiones fieri possunt multa sunt, quæ quoniam ex dictis facile solui possunt libenter omitto, ea potest qui vellit apud Pereir. & Lusit. supra videre.

Aliud dubiu. Occasione totius Physici, & naturalis de quo hactenus egimus disputant quoq; hoc loco Doctores de alijs totis, an à partibus distinguantur, & supposita diuisione totius in varia genera, quā recte explicat Tolet. hoc loco quest. 8 solum est dificultas de toto actuali, quod esse potest, vel per aggregationem partium, quod diciturvnum per accidens, vt cumulus tritici, vel pervnionem partiū quod est vnum per se; & hoc est duplex, aliud accidentale, quod constat aliqua parte accidentali, vt album : aliud est substantiale: & hoc preter totum physicum adhuc est duplex; alterum compositum ex natura & modo subsistendi, quod dicitur suppositum, aliud compositum ex partibus substantialibus integrantibus.

1. Notat. Deinde notandum est partes alicuius totius duobus modis posse distingui ad inuicem ex natura rei, vel sicut rem à re, vt quantitas distinguitur à substantia, vel sicut modum à re cuius est modus, vt figura distinguitur á quantita e.

3. Notat. Hoc supposito tertio dicendum est in hoc dubio; totum cuius partes differunt inter se, sicut res à re distinguitur ex natura rei ab omnibus partibus si partes eius inter se vniantur. Hæc conclusio cōstat ex præcedentibus : quia omnes partes quæ inter se differunt sicut res à re vniuntur int r se per modum vnionis ab ipsis ex natura rei diue sum: sed totum compositum ex his partibus præter partes includit etiam modū illud vnionis: ergo huiusmodi totum diuersum est ex natura rei ab omnibus suis partibus sine vnione sumptis. Addidi hoc esse intelligendum quando partes totius vniūtur inter se, vt excludatur numerus, qui quanuis cōponatur ex vnitatibus nō differt ab illis ex natura rei: quia

vnitates

vnitates nó vniuntur inter se vnione physica vt componant numerum.

4. Dicēdū. Dicendum est quartò; totum quod componitur ex partibus, quarum altera distinguitur ab altera formaliter tantum, sicut modus à re cuius est modus non distinguitur ex natura rei à suis partibus. Hæc etiam sequitur ex dictis, quia totum nó potest differre à partibus ex natura rei, nisi per modum vnionis diuersum à partibus, sed quādo partes totius distinguntur sicut res & modus illius nó includunt modum vnionis diuersum ab ipsis, quia vt dixi dubio precedenti, illa tantum entia dicuntur esse modi aliorū, quę in sua essentia includūt coniunctionem cum alijs & per suam essentiam sunt illis vnita: quæ totū compositum ex his partibus non potest distingui ab illis.

Notio. I. Ex his duabus conclusionibus sequitur primò, totū integrale, siue substantiale, quantitatiuū differre ex natura rei à suis partibus, quia partes huius totius inter se distinguuntur, sicut res à re, & inter se vniuntur per modos vnionis, idest per indiuisibilia quantitatiua, vel substantialia, quæ sunt puncta lineæ, vel superficies ab ipsis partibus quātitatiuis, vel substantialibus ex natura rei diuersa: eadem ratione plura tota accidentalia. v. g. quantū & album diuersa sunt ex natura rei à suis partibus, quia quantitas, & albedo in subiectis recipiūtur media vnione ab ipsis diuersa ex natura rei.

2. Notio. Secundo sequitur suppositum substantiale, quod cōponitur ex natura, & subsistentia, non distingui à partibus ex natura rei, quia subsistentia non est res quæ possit existere sine natura, sed modus per suam essentiā ipsi naturæ vnitus, atque adeò sine interiecta vnione: ergo totum compositum ex natura, & subsistentia non habet per quid distinguatur à suis partibus copulatim sumptis. Pari ratione in concretis accidentalibus circulus. v. g. non differt ex natura rei à suis partibus, quia quantitas & figura, ex quibus cōponitur se habent sicut modus, & res, & idem dicendum est de concretis relatiuis. v g. de simili, patri, &c. quia relationes, & subiecta, ex quibus hæc concreta componuntur solum differunt sicut res & modi, & inter se vniuntur, absq; vllo medio, & ideo non habet per quid distin-

guantur ex natura rei à toto

Quid dicendum de toto per aggregationem

Vltimo denique de toto per aggregationem dicendũ est quoties in huiusmodi toto est aliqua vnio extrinseca partium diuersa ab illis, totum differre ab illis ex natura rei v.g. cumulum ab omnibus granis. Probatur, quia omnes partes cumuli existere possunt in rerum natura disiunctim positæ & tunc nõ erit cumulus: ergo omnes illæ copulatim sumptæ differunt ex natura rei ab ipso cumulo. Ratio autem à priori est, quia cumulus præter entitates granorum includit eorum simultatem & præsentiam localem, quæ est quædã vnio extrinseca: ergo per hãc vnionem distinguitur cumulus ex natura rei ab vnitatibus omnium granorum.

Obijci solet contra hoc Aristot. 8 meta. tex. 15. vbi insinuare videtur totum per coaceruationẽ nihil esse præter partes, sed ibi Arist. solũ vult huiusmodi totum non esse vnã essentiam diuersãm ab essentijs omnium partiũ, quia componitur ex pluribus entibus completis non habẽtibus inter se vnionem intrinsecam, & ideo illud non est vna simplex essentia, sed plures inter se aggregatæ per accidens per extrinsecam simultatem partium secundũ locum.

DISPVTATIO TERTIA, DE MAXICO ET MINIMO corporum naturalium.

EGIMVS hactenus de substãtia, & partibus substantialibus corporum naturalium, modo vero disputandum est vtrum habeant corporea naturalia aliquem certum terminum quoad magnitudinem, & quoad paruitatem: quam rẽ attingit Aristotel. hoc libro textu 36. & deinceps contra Anaxgoram; & ita disputatio hæc propriam hic habet sedem.

QVAES-

QVAESTIO I.

Vtrúm viuentia natura sua habeant aliquem certum terminum magnitudinis & paruitatis.

1. Certum. HAEc quęstio nõ procedit de potentia absoluta Dei, nam cũ Dei omni potentia infinita sit potestDeus substantiam aliquã corpoream conseruare sub quauis maiori & maiori quãtitate,& similiter sub quauis minori & minori; loquimur ergo de potentia naturali & iuxtaſexigentiam rerum.

2. Certum. Secundo certũ est in quauis specie dari de facto aliquod corpus maximum omnibus alijs,& similiter aliquod corpus minimũ:nã in specie hominis de facto proculdubio datur aliquis homo omnibus maior,vel posſitiue, scilicet qui omnes excedat,vel negatiuè,idest,quo nullus est maior,& eodem modo datur aliquis homo omnibus minor. Solúm ergo est dubium, vtrum viuentia natura sua postulent aliquem certum terminum magnitudinis & paruitatis, & loquimur per se, nam per accidens certum est habere aliquem terminum extrinsecum; qualiter nullum corpus potest extra cœlum crescere.

Rationes dubii. Et ratio dubitandi est in hac quæstione, quia videtur viuentia nullum habere certum terminum paruitatis: nam ponamus terminum paruitatis hominis esse quantitatem bipedalem. Tunc sic: omne agens naturale prius agit in propinquum, quàm in remotum: ergo cum illa quantitas bipedalis sit diuisibilis in partem priorem, & posteriorem, agens naturale quod disposuit illam materiam ad introductionem formæ hominis, prius disposuit partem sibi propinquam, quàm distantem: ergo prius debuit introduci forma viuentis in illa parte iam disposita, quàm in alia magis distinti, atque adeò quantitas bipedalis non est minima, in qua potest introduci forma viuentis: ergo viuentia nullum habent minimum quoad paruitatem.

Secũdo quia de facto in quauis parte minori & minori reperitur forma viuẽtis v.g. in homine: ergo etiãsi illa pars separata esset ab alijs posset etiam introduci in ea forma viuentis, atque adeò viuentia non petunt minimũ:pro-

bo consequentiam, quia non videtur maior ratio de illa parte coniuncta cum alijs partibus viuentis, quàm si esset separata ab illis.

Tertio videtur quòd viuētia non postulent certum aliquem terminum magnitudinis, quia si postularent talem terminum, ponamus ergo tale viuens habere iam illā maximam quātitatem: tunc sic, si illud viuens summat alimētum proculdubio nutritur tali alimento, & ita producitur aliqua noua pars; ergo illa quantitas non erat maxima, atque adeò viuentia nullum habent terminum certū magnitudinis.

Viuētia natura sua postulant certum terminum magnitudinis, & paruitatis.

Cōmunis tñ & receptissima omniū sentētia est viuentia natura sua postulare aliquem terminum certū magnitudinis & paruitatis. Sic tenet Arist. hoc lib. text. 36. & 2. lib. de anima text. 41. vbi ait quod *omnium natura constātium certus est terminus augmenti, & decrementi*, quod de viuētibus communiter exponūt interpretes, dixerat enim paulò antea in eodem textu ignem qui inanimatus est posse in infinitum crescere idē docet lib. 4. de gener. anim. cap. 4. & 7. Politicorum c. 4. quē eisdē locis omnes expositores secuntur.

Pro cuius sententiæ & omniū, quæ in hac materia dicēda sunt exacta intelligentia. Aduertendū est, quòd terminus magnitudinis & paruitatis duplex esse potest, alter intrinsecus, alter vero extrinsecus: terminus intrinsecus paruitatis appellatur, *minimū quod sic*, & est illa quātitas sub qua viuens potest cōseruari, & sub minori nō potest propter nimiā paruitatē; terminus vero extrinsecus versus paruitatē appellatur, *maximū quod non* & est illa quantitas sub qua viuens nō potest conseruari propter nimiā paruitatē, & sub quauis maiori potest appellatur autē *maximū quod non* qu a inter quantitates in quibus viuens non potest cōseruari propter paruitatē illa est maxima, nā sub quauis maiori reuera cōseruatur. Similiter versus magnitudinē sunt duo termini, alter intrinsecus & appellatur, *maximū quod sic*, & est illa quātitas maxima in qua viuēs potest cōseruari & in maiori nō potest propter nimiā magnitudinē. Terminus verò extrinsecus magnitudinis appellatur *minimū quod nō*, & est illa quantitas in qua viuēs nō potest cōseruari propter nimiā magnitudinē & sub quauis minori potest: appellatur autē minimū quod nō, quia inter

1. Aduerte.

inter quãtitates in quib' nõ potest cõseruari propter magnitudinẽ, illa est minima, cũ sub quauis minori posset cõseruari. Appellãtur autẽ termini intrinseci *maximũ quod sic, & minimũ quod sic*, quia cũ illis optimè cõseruatur viuẽs; at verò *maximũ quod nõ, & minimũ quod nõ* appellãtur termini extrinseci, quia cum illis non conseruatur viuens & ita sunt illi extrinseci.

2. Aduer. Secũdò aduertẽdũ est, quod duo sunt modi quibus res incipere & desinere possunt, alter intrinsecus, alter verò extrinsecus modus intrinsecus incipiẽdi est per primũ sui esse, & est quãdo res incipit in instãti, in quo sit verũ dicere nũc est res, & immediate antea nõ erat, qua ratione vt dicemus lib. 6. Physicorũ incipiũt viuẽtia: nã de illis est verũ dicere: nũc est viuens, & immediatè antea non erat.

Primus modus incipiẽdi res.

3 Modus incip. Secũdò modus incipiendi est per vltimũ non esse, & est quãdo est verũ dicere de re, nunc non est res, & immediatè post hoc erit, & hoc modo dicemus incipere motũ: nam cũ motus sit aliquid successiuũ, nõ potest esse in instanti indiuisibili, & ita non potest incipere per primũ sui esse, ita vt sit verũ dicere. Nũc est motus & immediate antea non erat, & ita incipit extrinsece per vltimũ nõ esse, nam est verũ dicere: nunc non est motus & immediatè post hoc erit in tẽpore sequenti: similiter duo sunt modi desinendi, primus est intrinsecus, scilicet per vltimum sui esse, & est quando est verum dicere de re, nũc est res & immediatè post hoc non erit, & ita appellatur vltimũ sui esse, quia est vltimum instans in quo res habet esse.

Secundus modus desinendi est extrinsecus scilicet per primum non esse, & est quãdo est verum dicere de re, nunc non est res & immediatè antea fuit, & ideo appellatur. Primum non esse, quia est primum instãs in quo res incipit non esse. *Primus modus desinẽdi res.*

Inter quos modos hæc est differentia, quòd primum sui esse, & vltimum sui esse sunt modi incipiendi & desinendi intrinsecè, quia in illo instanti verificatur, nunc est res, & ita instans illud appellatur intrinsecum tali rei, quia in illo adhuc res durat, at verò primũ nõ esse, & vltimum non esse sunt modi incipiendi, & desinendi extrinseci, quia tunc nõ est res, & ita instans, illud est extrinsecum rei: ex quo etiam patet quod omnia incipiunt, & de-

sinunt esse in instanti, siue intrinseco, siue extrinseco.

His suppositis dico primò corpora viuentia natura sua postulant certum terminum magnitudinis, & paruitatis, vt naturaliter conseruentur. Hæc est communis omnium sententia cum Aristot. locis supra allegatis: & ratione probatur primò: quia viuentia natura sua postulant organa, & instrumēta ad suas operationes exercendas, vt pedes ad ambulandum, manus ad alia opera exercenda, & sic de reliquis organis: sed huiusmodi organa postulāt certam quantitatem: nam si pedes essēt ita magni sicut mōs non potest homo ita facile moueri, nec si essent ita parui sicut formica: ergo viuentia postulant certam quantitatem, vt conseruentur.

Quem terminum postulent viuentia.

Et si respondeas, quod si homo ille habens pedes, ita maximos, haberet etiam maximum corpus, & caput, & reliqua mēbra, in eadē maxima proportione optime posset exercere suas operationes, quia haberet mēbra proportionata, iuxta quantitatē maximam corporis quod habet.

Contra hoc est, quod partes viuentis ad inuicem dependent, quo ad nutritionē, & alias operationes; qualiter omnia membra dependent à corde, & cerebro animalis; vnde dicunt esse indebita distantia, vt ab illis possint recipere in fluxum, & ita si homo esset, ita maximus sicut mons, non posset illius caput influere ad mouendos pedes & manus distantes.

Secundo probatur conclusio, quia augmentum viuentis fit mediante calore naturali, qui concoquit alimentum, & illud conuertit in substantiam ipsius viuentis: sed iste calor naturalis continuo minuitur, & debilitatur; nam cum re patiatur a qualitatibus ipsius alimēti, continuò minuitur: ergo viuens non potest in infinitum augeri, atque adeò postulat certum aliquem terminum ipsius augmenti.

Sed obiicies contra hanc rationem: nam etiam calor ignis est finitus, & quando conuertit combustibilia re patitur ab illis, cum hoc tamen si igni infinita addas combustibilia in infinitum crescet, vt docuit Aristot. 2. lib. de anima, textu. 41. & experientia constat, quod quando plura combustibilia igni applicantur fit maior, & potentior sine termino: ergo etiam quanuis calor viuentium re patiatur à qualitatibus alimenti

poterit

poterit sine termino crescere, si semper sumat alimentum.

Respondetur esse longe diuersam rationem; nam quanuis ignis aliquantulum re patiatur à qualitatibus combustibiliū, tamen statim reducitur ad suum pristinum calorem, qui est eius qualitas natiua, sicut videmus aquam calefactam, statim si suæ naturæ reliquatur, reduci ad suam præstinam frigiditatem, at vero calor naturalis viuentis semel amisus nunquam iterum acquirit robur antiquum, & vires quas habebat, & ita paulatim minuitur, quod ex diuersitate naturali, quæ est inter viuentia, & non viuentia prouenit.

Tertio probatur conclusio ab experientia, quia numquā est visus homo, ita magnus sicut mons, nec ita paruus sicut formica; signum ergo est viuentia ex sua natura habere terminum augmenti, & decrementi: nam vt habet commune Philosophorum axioma, *Quod natura nunquam fecit, signum est facere non posse*, nam aliàs esset illa potētia frustra si nunquam esset ad actum reducenda, natura autem nihil facit frustra.

Addo tamen secundo adhuc intra eandem speciē non omnia indiuidua postulare eandem quantitatē, sed quædam postulare minorem quātitatem, quàm alia, vel ratione propriæ differentiæ indiuidualis, vel ex maiori semine, quo tale viuēs genitū sit.

Supposito ergo, quod viuentia habeant terminū magnitudinis, & paruitatis adhuc restat nobis difficultas, an terminentur intrinsecè per maximum quod sic, & minimum quod sic, vel potius extrinsecè per maximum quod non, & minimum quod non. Pro cuius intelligentia aduertendum est, quòd viuens duobus modis cōsiderari potest. Primo in statu naturalis dispositionis, quod alij appellāt via generationis naturalis, & naturalis dispositionis, & est quando viuens est in statu sibi connaturali, iuxta exigentiam suæ naturæ.

Secundo potest considerari in statu præternaturali, & via corruptionis, etiam quando non rectè se habet iuxta exigentiam suæ naturæ, sed iam incipit disponi ad corruptionem.

Quo supposito dico secundo in hac quæstione in statu naturalis dispositionis viuentia terminātur intrinsecè, scilicet quo ad magnitudinem per maximum quod sic, ita

Assert. 2. vt sit verum dicere, sub hac quantitate potest viuens naturaliter conseruari, & sub quacumque maiori non potest. Et similiter quoad paruitatẽ terminatur per minimũ q̃ sic, ita vt sit verũ dicere. In hac quantitate minima, potest esse viuens iuxta exigentiam suæ naturæ, & in minori non potest. Hanc conclusionem, quæ communis est tenent Toletus hic quęst. 10. *1. Aduert.* Sotus quæst. 4. Paulus Venetus text. 98. & plures alij. Ad cuius probationem, & rectã intelligentiam aduertẽdum est, quantitatem aliquam túc terminari intrinsece, quando habet aliquod indiuisibile terminatiuum intrinsecũ, v.g. in vlna palmus, vt sic, habet terminum intrinsecum, quia habet quoddam indiuisibile vltimum terminatiuum quantitatis palmi, quando verò consideramus aliquam quantitatem excludendo vltimum indiuisibile terminatiuum illius, tunc nõ habet terminum intrinsecũ, sed extrinsecum, quia terminatur per illud indiuisibile, quod extra talem quantitatem consideratur.

2. Aduert. Secundo aduertendum est quò [?] sicut quantitas habet proprias partes quantitatiuas, & propria indiuisibilia continuatiua, & terminatiua illius, ita qualitates graduales habent proprias partes quo ad intensionem, & propria indiuisibilia continuatiua, & terminatiua illarum partium gradualium, vt latius alibi dicam.

Quo supposito probatur conclusio, quia potentia augmentatiua, & nutritiua viuẽtis est determinata intrinsece, per sua indiuisibilia terminatiua intrinseca, nam vel est intensa, vt quatuor, vel vt quinque, &c. ergo augmentum productum à tali potentia debet esse terminatum intrinsece: patet consequentia, quia effectus debet assimilari suæ causæ producenti.

Secundo, nam experientia constat hominem in certa magnitudine esse agilem, & ad quamlibet operationẽ esse maxime aptum vltra quã sit tardus, & ad suas operationes impeditus: postulat ergo certam aliquam quantitatem terminatam termino intrinseco.

Dico tertio in hac quęstione viuentia via corruptionis & præternaturalis dispositionis, habent terminum extrinsecum magnitudinis, & paruitatis, ita vt versus magnitudinem terminentur per minimum quod non; ita vt sit verum *Assertio 3.*

verum dicere. In hac quantitate non potest viuens conseruari propter nimiam paruitatē, & in quacumque maiori potest; illa tamen nō est certa. Hæc conclusio etiam est communis: tenet Paulus Venetus 1. Physicorum, super textum 38. Sotus hic. q. 3. Toletus. q. 9. & Valles cōtrouersia 5. & probatur efficaciter, quia aliàs sequeretur viuentia posse desinire per vltimum sui esse: cuius contrarium cum communi omniū sententia probabimus 6. libro Physicorum: probatur sequella; quia si viuentia via corruptionis, & præternaturalis dispositionis habēt terminum intrinsecum. v.g magnitudinis: ponamus ergo viuens iam esse in summa illa quantitate, & deinde tale viuens morsu viperę intumescat: tunc sic, ille motus alterationis, quo intumescit incipit in tempore, nam motus cum successiuus sit, non potest incipere esse in instanti; ergo erit verum dicere. Nūc viuens est in maximo quo esse potest, & immediate post hoc habebit per tumorē maiorem quantitatem, sub qua iam non potest cōseruari, atque adeò immediate post hoc instans corrumpetur: ergo iam viuens desinet per vltimum sui esse; probo consequentiam, nam desinere per vltimum sui esse, est desinere in instanti in quo sit verum dicere. Nunc est res, & immediate post hoc non erit: & simile argumentum fieri potest versus paruitatem, nam si ponant Autores contrarij viuens via corruptionis esse posse in minimo quod sic fingamus immediatè post, hoc condensari per motum condensationis, ab aliquo à gente nimis frigido, & tunc currit similis ratio ad probandum, quod desinat per vltimum sui esse.

Assert. 3.

Est tamen aduertendum, quod hæc ratio non probat viuentia via naturalis dispositionis, non habere terminum intrinsecum magnitudinis, & paruitatis, nam etiā si fingamus viuens iam esse in maximo quod sic, & deinde intumescere morsu viperæ non corrumpetur, ex eo quod habeat aliquam maiorem quantitatem, quam in via naturalis conseruatio. is requiratur, quia via præternaturalis dispositionis, vt iam tunc inciperet esse, bene posset conseruari cū aliqua maiori quantitate; sicut quanuis aqua natura sua sit frigida, bene potest conseruari in præternaturali dispositio

Quia nitur

ne

ne cũ aliquo calore, vnde solũ probat argumentũ, quod viuens desinat esse in statu naturali per vltimum sui esse, non tamẽ quod absolutè desinat per vltimum sui esse.

Tamen ad hoc argumentũ, quia reuera difficile est auctores contrarij variis modis respondent, Primo quidam dicũt, quòd in eo casu, quod viuens intumesceret quantum versus vnam partem acquireret tumoris, tantum quantitatis deperderet versus aliam, vt semper esset im maximo: veruntamen præterquam, quod hoc gratis dicitur probari potest esse falsum. Quia nulla pars viuentis potest corrumpi, nisi præcedente aliqua alteratione, vel diuisione: ponamus ergo illam partem, quam isti dicunt, unc corrumpendam esse, non diuidi à suo toto, neque dispositam fuisse ad corruptionem, sed in sua integra naturali dispositione semper permansisse; idemq; fingi potest de omnibus aliis partibus viuentis: ergo tunc nulla pars corrumpetur, ex eo quod altera intumescat, cum illa pars fuerit disposita ad corruptionem. Præterea, quia nulla est maior ratio vnius partis quàm alterius: ergo vel omnes partes corrumperentur, & iam ipsum viuẽs desineret esse, vel nulla.

Quare secundo alij respõdent, quod etiã si tale viuens intumesceret, & ita rarefieret, non tamẽ corrũperetur: nam ex hoc non acquireret maiorem quantitatem: quia vt tenet communis opinio 4. lib. Physic. per rarefactionẽ non producitur aliqua maior quantitas, sed eadẽ magis dilatatur in ordine ad locũ.

Sed neq; hoc satis facit, nã quamuis per rarefactionẽ nõ producatur maior quantitas, tamen proculdubio ille homo iam constitutus sub maxima quantitate conuerteret in propriam substantiam, exiguam saltem, aliquam partẽ alimenti, & tunc per augmẽtationem produceretur noua quantitas.

Neque valet quod iterũ respondet, quòd tunc viuens nõ cõuerteret tale alimentũ in propriam substantiam, quia illo non indigeret, cum iam sit cũstitutus in maxima quãtitate, & ita illud alimentum dicunt nõ fore conuertendũ in propriam substantiã. Hoc inquã non valet, quia si in tali alimẽto introducãtur dispositiones disponẽtes ad substantiam carnis, vt solent in quouis alio alimẽto introduci

ci à viuēte perfecto, incredibile est, quod nō cōuertatur alimentū in carnē viuentē, nā cū illæ dispositiones sint sufficientes ad expellendam formā alimenti, si nō conuertunt alimentū in carnē, iam daretur illa materia alimenti absq; omni forma, quod est impossibile. Patet sequella, quia non habet formā alimēti cū sit expulsa per dispositiones, neq; formā viuentis, vt isti asserunt, neque aliā formā, quia tales dispositiones solum disponebant ad formā viuentis, & non ad aliā: ergo iam posset dari materia sine omni forma.

Sed obiiciunt Autores cōtrarij, quia forma nō potest informare quantitatē impossibilē per naturā, debet enim esse in quātitate quam informat: sed saltē de potentia naturali, impossibile est dari quantitatē non habentē indiuisibile terminatiuū intrinsecū, sicut linea habet quoddā punctū illi intrinsecū quo terminatur: ergo impossibile est dari in viuentibus aliquē terminū tantum extrinsecum.

Respondetur nos nō asserere aliquādo viuēs esse in quātitate, nō habente indiuisibile terminatiuū intrinsecum, asserimus tamen hanc quantitatem esse indeterminatā, ita vt possit esse viuēs in maiori, & minori, donec per veniamus ad aliquā quantitatē, in qua propter eximiā magnitudinē nullo modo potest cōseruari viuens, potest tamen in qualibet minori, tamen illa quātitas numquam potest certo assignari. Neq; etiā intelligendū est quod si viuēs nō potest vllo modo conseruari sub quātitate. v.g. bipedali propter eximimiā eius magnitudinē, q possit informare omnes partes illius quātitatis bipedalis citra vltimū indiuisibile, ita quod quāuis possit esse in tota illa quātitate se cludēdo vltimū indiuisibile, nō tamē in illa vt in voluit vltimū indiuisibile terminatiuū: nā indiuisibile nō facit maius, & ita non arguit maiorem virtutem informatiuam: & ita sicut viuens, nō potest informare totam illā quantitatem inuoluendo vltimum indiuisibile, ita neque potest citra indiuisibile illud terminatiuum informare omnes partes illius quantitatis, sed solum asserimus posse informare quamlibet quantitatem minorem, illa bipedali, non tamen quantitatem ipsam bipedalem.

Superest respondeamus ad rationes dubitandi in principio quæstionis adductas ad *Ad I. rationes in principio quæst.*

ad primã respondetur quod vna ex dispositionibus necessarijs ad introductionem formæ viuentis, est quantitas sufficiens, vt possint esse organa, & instrumenta requisita, ad exercendas operationes viuẽtis, & ita donec qualitates, quæ disponunt materiam ad formam viuentis, disposuerint totam illam quantitatem requisitam, non est sufficiẽs dispositio, vt introducatur forma viuentis.

Sed instabis, nam ex hoc sequitur dari materiã sine omni forma: probatur sequella, nam ponamus minimã quantitatem requisitam, vt introducatur forma viuentis esse quantitatem bipedalem: tũc sic, cum omne agens prius agat in propinquum, quàm in re motum, prius disponit per qualitates primã medietatem illius materiæ quã secundam: ergo prius expellet dispositiones conseruatiuas formæ præ existentis in illa medietate quam in alia, adq; adeò prius expellet ab illa medietate formam præexistentem, & tunc illa medietas non habet formam viuentis, quia non est quantitas sufficiens, vt introducatur talis forma, vt supponimus: neq; etiam potest introduci alia forma, quia illæ dispositiones non disponunt, nisi ad formam viuentis: ergo tunc esset illa materia sine omni forma.

Respondetur, quod illa medietas materiæ manet cum antiqua forma, quia illa non potest expelli donec adueniat forma viuentis, quæ aduenire non possunt, donec illæ dispositiones informauerint sufficientẽ quantitatem: nec mirum est antiquam formam conseruari sub dispositionibus alterius formę, quia cum expellenda sit per formam aduenientem, & nondũ sit introducta dispositio sufficiens, & necessaria ad formam viuentis, ideo antiqua forma conseruatur cum illis dispositionibus, præsertim, quia cum ad formam viuentis requirantur plures qualitates, vt calor, frigus, humiditas, in certo gradu contemperatæ, aliqua ex illis est connaturalis formæ præexistẽti.

Ad secundam respondetur verum esse, quod in quauis minima parte reperitur forma viuentis de facto, quia illa pars est vnita cum aliis, ex quibus omnibus resultat quãtitas necessario ad organa viuentis, inde tamen non potest colligi, quod in illa parte separata ab aliis posset introduci forma viuentis, quia

iam

tam deficit quantitas requisita ad talia organa viuentis.

In quo differat generatio viuentis à nutritione eius.

Ex quo aduertenda est differentia inter generationem viuetis & nutritionem eius, quia nutritio cum supponat ipsum viuens iam genitum in debita & requisita quantitate potest per nutritionem produci minor, & minor pars substātiæ viuentis, quin sit opus produci aliquam certam quantitatem, quæ sit minimum quod sic: ita vt non possit produci minor, quia quæuis pars quantumuis minor, & minor iam supponit viuens ipsum habere perfectam quantitatem per generationem: generatio verò, quia primo producit viuens requirit certam & determinatam quantitatem sufficientem ad organa ipsius viuentis, & ita requirit certā quantitatē quæ sit minimū quod sic, ita vt sub minori nō possit produci.

Sed obijcies, nam ex dictis sequi videtur posse aliquam substantiam desinere nulla præcedente alteratione corruptiua: probatur sequela, nam si viuens requirit certam quantitatem, ita vt sub minori esse non possit, ponamus ergo viuens habere illam quantitatem, & deinde diuidatur in duas partes medias, proculdubio per solam diuisionem corrumpetur absque alia præuia alteratione cū iam non sit quantitas requisita ad illius cōseruationem.

Respondetur, nullum esse inconueniens quod aliquid corrumpatur absque præuia alteratione, dummodo hoc fiat per diuisionem. Cuius ratio est, quia in tantum aliquid corrumpitur, in quantum ab eo auferuntur dispositiones necessariæ ad eius conseruationem: vnde quia per diuisionem non manet quantitas illa, quæ tota requiritur ad conseruationem viuentis, ideò absque præuia alteratione corrumpitur tale viuens: verum est hanc diuisionem in viuentibus sensitiuis semper fieri cū dolore, qui est quædam alteratio, tamen in viuentibus non sensitiuis, vt implantis non est talis dolor, sed sola diuisio.

Ad

Ad tertiam respondetur, quòd vt antea probauimus, si viuens iam cōstitutum sub maxima quantitate sumeret alimētum proculdubio illud cōuerteret in propriam substantiam, & ita augmentaretur: esset tamen iam in statu præternaturali & in via corruptionis, quia haberet quātitatem

titatem maiorem illa, quàm ex sua naturali cõseruatione postulat, cũ hoc tamen prior quantitas erat maximũ quod, sic via naturalis dispositionis & conseruationis, vii tamen corruptionis non habent viuentia terminum intrinsecũ, sed terminantur extrinsecè per minimum quod non, ita vt sit verum dicere. Sub hac quãtitate nullo modo potest viuens conseruari & sub minori potest, illa tamen est incerta, ita vt possit esse maior, & maior citra illum terminũ ex intrinsecum.

QVAESTIO II.

Vtrum, inanimata habeãt certum terminum magnitudinis & paruitatis.

IN Hac quęstione duo examinanda sunt: primo vtrum corpora inanimata habeant terminum quoad magnitudinẽ, secundo vtrũ, habeant etiam terminum quoad paruitatem quod difficilius est.

Circa primum, certum est corpora non viuentia per accidens & ab extrinseco habere terminũ magnitudinis, in quãtum nullũ corpus potest extra cælum crescere: solùm ergo est dubium, an ex sua natura habeant talẽ terminum?

In qua re prima sententia affirmat corpora non viuentia habere terminũ magnitudinis. Tenet Iauellus hoc lib. quæst. 16. Ferr. q. 7. & fundamẽtũ esse potest: primo, quia forma corporis in animati, v. g. forma ignis finita est & limitata, & ita illius virtus informatiua etiam est finita & limitata: ergo nõ potest informare nisi certam & determinatam materiam, atq; adeò talia corpora inanimata habent terminũ magnitudinis.

Secundo, nam si non viuentia non habẽt terminũ magnitudinis: ergo possunt crescere in infinitum: ex quo sequi videtur possibile esse aliquod corpus infinitum.

Tertio, quia cadauer quod inanimatum est cum generetur ex viuenti necessario est in eadem quantitate in qua fuit viuens: sed, viuentia habent terminũ magnitudinis: ergo & cadauer.

Veratamen & cõmunis sententia est corpora inanimata natura sua nullum habere terminũ magnitudinis: sic docuit expressè Arist. 2. de anima. text. 41, dicens, quod si igni infinita cõbustibilia addãtur in infinitũ crescet: & super eũdem locum. S. Thom.

[Marginal notes: 1. Sent. — Rationes dub. — Corpora inanimata natura sua nullum habẽt terminũ magnitudinis. — [illegible]]

& reliqui expositores, tenet, etiam Scotus in 2. dist. 2. q. 9. & probatur planè; primò, nã non viuentia non habent organa diuersa ad suas operationes, sicut de viuentibus dictum est: ergo non requirunt certam & determinatã quantitaté, sed subquæcunq; quãtumuis magna esse poterunt.

Ratio dub.

Secundò, quia experientia docet quod quantò ignis maior est, tantò est fortior & potentior, quod tamen in viuẽtibus secus contingit, nã ita magnus posset homo aliquis esse, vt ad actiones suas exercẽdas nimis esset impeditus.

Tertiò, quia si ignis habet maximum: fingamus dari maximum ignem, & illi applicetur stupa, quæ facilime comburitur, profectò incredibile est, quod illam non cõburat: nã si dicatur quod quãuis illã cõbureret, non tamen illã sibi vniret, profectò gratis & sine fundamento fingitur, nã quare alia priora cõbustibilia sibi vniret, non vero stupam, quę longe facilius cõburitur.

Et si respondeas, secũdo ꝙ quãuis illã cõbureret, tñ hoc ipso inciperet esse in statu prę ternaturali, & via corruptionis. Contra facit experientia, quia ignis quò maior est, tantò fortior, & potẽtior est vt experimur.

R. Sõdetur ad rationes dub.

Neque argumenta facta aliquid conuincunt, ad primum respõdetur verum esse, quod omnis forma finita est, & ita non potest informare infinitã materiam, quia tam materia, quàm forma infinita extensiuè impossibilis est, cum infinitum saltem per naturã sit impossibile, cũ hoc tamen sicut materia intra limites finiti potest esse maior & maior, ita nõ viuentiũ potest extrinsece esse maior & maior, & ita materiam quantumuis magnam informare, nam in augmento non viuẽtium cũ noua parte materiæ aduenit noua pars formæ: quidquid sit de viuentibus suo loco dicetur.

Ad secundum ex dictis patet solutio, non enim asserimus posse dari corpus aliquod infinitũ, sed quod intra limites finiti possit esse maius & maius, quin peruenire possim' ad maximũ quod sic.

Ad tertium respondetur, quod quanuis cadauer natura sua generetur ex viuenti, tamen natura sua non petit illã quantitaté quam habuit viuẽs, ita vt non possit esse in maiori, nam si daremus viuẽs habuisse maiorem quantitatem, optimè posset sub illa esse cadauer, quia cadauer vere & proprie non habet partes orga-

...ra in natura ...suam habet ...inimam ...duas.

organicas sicut viuens, nam caput cadaueris æquiuocè est caput, & manus æquiuocè est manus, quia carent anima, quæ est forma corporis organici, vt Aristoteles docuit 2. de anima. c. 2.

Circa 2. difficult.

Maiorem ergo habet difficultatem, secunda pars quæstionis, scilicet, an inanimata natura sua habeant terminum quoad paruitatem: & conueniunt omnes inanimata saltem per accidens habere terminum paruitatis, quia potest ignis per diuisionem ad tam paruam quantitatem peruenire, vt à contrarijs se tueri non possit, tamen hoc est per accidens, quia quod illi applicetur agens contrarium ad illum corrumpendú accidentale est, nam possumus illum sine contrarijs considerare: solum ergo est dubium an ex sua natura petant terminum paruitatis.

1. Sent.

In qua re plures existimát corpora non viuentia natura sua habere terminum quoad paruitaté, postulareq; certá quantitaté, ita vt sub minori natura sua esse nó possint. Sic sentit Auerr. 8. Physic. Comment. 15. Fer. 8. Phys. quęst. 3. Sonc. 8. Meth. quæst. 3. Toletus hic, quæstione 9. Sotus, quæst. 3. citari etiam solet à quibusdam pro hac opinione sanctus Thomas 1. part. quæst. 7. articul. 3. & Durandus in 2. de 18. quæst. 1. immeritò tamen, quia sanctus Thomas solum asserit non posse dari corpus quod non habeat determinatam quantitatem secundúm magnitudinem & paruitatem, idest, quòd semper debet esse finita, potest tamen cum hoc, quantum ad magnitudinem esse maior & maior, & quantum ad paruitatem minor, & minor semper manens finita. Durandus vero non loquitur nisi determino per accidens, potest tamen hæc sententia probari his rationibus: Primò, quia sicut substantiæ corporeæ inanimatæ requirút ad suam conseruationem qualitates quasdam, vt ignis calorem, ita requirunt quantitatem, est enim quantitas passio substantiæ corporeæ: ergo sicut ignis ex natura sua requirit determinatum gradum caloris, quoad intensionem, ita vt si nimium caloris ab igne auferatur tandem periet ignis, ita debet requirere determinatam extensionem quantitatis, ita vt propter nimiam paruitatem extéĩonis etiam corrumpetur: patet consequentia, quia sicut se habent qualitates quoad

Circa rationes dub.

quoad intensionem, ita quantitas quoad extensionem.

Secundo quia vt Arist. docuit .2. de cœlo, text. 17. vnũquodque est propter suam operationem: ergo ex natura sua requirit eam quantitatem in qua posit operari: sed potest ignis ad tam exiguam quantitam peruenire vt nihil comburat: ergo natura sua requirit determinatam quantitatem quoad paruitatem, ita vt sub minori non possit conseruari.

Tertio quia granum tritici quod inanimatum est per nimiam diuisionem & contusionem in molendino factam, corrumpitur & in farinam conuertitur: requirit ergo determinatam quantitatem quoad paruitatem.

His tamen non obstantibus dicẽdum est in hac quęstione corpora inanimata natura sua nullum postulare terminum paruitatis, sed posse ex natura sua & in absentia contrariorum in quauis quantitate minori, & minori conseruari: sic tenet Scotus in 2. distin. 2. quæst. 8. maior in 1. distin. 17. quæst. 16. Pereir. lib. 10. cap. 22. Vallesi cõtrouer. 5. & ratione probatur. Primò, quia non viuentia habẽt formas diuisibiles, ita vt diuersis partibus materiæ correspondeant diuersæ partes formę, experimur enim quãdo diuidimus ignem, vel aquam, simul cum parte materiæ detrahimus partem formæ: sed partes materiæ possunt detrahi in infinitum cũ materia in infinitum sit diuisibilis: ergo similiter forma ignis est in infinitum diuisibilis: ita vt ab igne possint detrahi partes minores, & minores: ergo nullum habent minimum. Quæ ratio nõ probat de viuentibus, nam quamuis viuentia quorum forma est corporea habeãt formam diuisibilem, non tamen potest in qualibet minima parte separata conseruari; eo quod cum sit forma corporis organici requirit organa diuersa, quæ determinatam postulant quantitatem.

Secundo probatur conclusio, quia calor vt octo est dispositio vltima ad formam ignis: ergo in quacunque parte in qua potest esse calor vt octo, ibi etiam potest esse forma ignis: sed calor vt octo potest esse in quauis minima parte: ergo etiam ignis: probatur minor, nam in quauis minima parte potest esse calor vt vnum, ergo vt octo, probo consequentiam, quia calor vt vnum per additionẽ intensionis fit vt octo,

 & ita

& ita extensio per accidens est ad talem intensionem: tũ etiam, quia calor vt vnum, & calor vt octo non differunt specie, imo est idem numero calor magis vel minus intensus: ergo sicut potest esse in qualibet minima parte calor vt vnum, ita calor vt octo, atque adeò ignis.

Etsi respondeas sufficientem dispositionem ad formã ignis nõ solum esse calorem, sed etiam quantitatem certã vt de viuentibus insimili diximus. Contra est, quia viuentia ideo requirunt illam determinatam quãtitatem, quia habẽt diuersa organa ad suas operationes exercendas, quæ organa requirunt certã quantitatem: cum ergo in animata talia organa nõ habeant, gratis & sine fundamento dicitur requerere certam quantitatem, sed quælibet erit sufficiens.

Tertio aduersus hanc sententiam mihi non parum vrget quod ex ea sequi videtur, naturaliter posse dari materiam absque omni forma, nã si in animata habeant minimum, sumamus ergo illud in animatum, quod requirit quantitatem minorem omnibus alijs & diuidatur tale corpus, tunc per diuisionem corrumpetur tale corpus, cum iam quantitas illa sit minor alia, quam requirit, & in partibus diuisis non potest introduci alia forma, quia vt supponimus quæuis alia forma requirit maiorem quantitatem: ergo tunc dabitur illa materia sine forma.

Ex dictis sequitur in animata præter cadauer incipere successiuè per vltimum non esse, quia cum non habeant minimum, forma prius introducitur in minori, & minori parte, & ita successiuè, de quo latius dicam. 6. libro physicor. vbi etiam de cadauere fiet sermo.

Tandem ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur, ad primum verum esse, quod sicut qualitates sunt dispositiones quædam, quibus substantia corporea conseruatur, ita & quantitas; est namque quantitas passio substantiæ corporeæ, tamen nõ requirit ignis certam, & determinatam quantitatem, sicut natura sua requirit certum, & determinatum gradum caloris, nempe calorem vt octo. Cuius ratio differentiæ est, nam calor est causa efficiens productionis formæ ignis, est enim calor instrumentum ad producendum ignem, & quia non sufficit quælibet parua intensio

Resp. ad argum. contraria sent. Ad. 1.

tensio

tensio caloris ad producendum ignem, cum videamus aquam cum aliquo calore conseruari, ideo requirit ignis certum gradum caloris; quantitas verò solùm est dispositio materialis tenens se ex parte materiæ ad introductionem formę ignis, ad quod satis est quæuis parua quantitas cum non habeat ignis organa determinata sicut habent viuentia.

Ad 2. Ad secundum, quod ignis in quantumuis minima quantitate ponatur potest operari, potest enim vtcumque calefacere, verum est quòd tunc non poterit per multum tempus conseruari, quia circunstant agentia frigida in maiori quantitate, quæ facile illum corrumpent, hoc tamen est per accidens; nam si illa contraria remoueantur, vt si fingamus talem ignem poni iuxta corpora calida, ita vt vndequaque à corporibus calidis circundetur, optimè conseruabitur, quantumuis in minima quantitate ponatur.

Ad 3. Ad tertium in primis granum tritici per contusionem in molendino factam non corrumpi substantialiter, nā farina, probabile nimis est quòd solum accidentaliter differat à tritico per contusionem, sicut quando molē aliquam terrę per contusionem diuidimus, non differt specie illa magna molis à puluere in quem reducitur per contusionem, vtrumque enim est terra eiusdem speciei. Vel secundo si dicamus farinam specie differre à tritico, esseque substantialem transmutationem à tritico in farinam, dicendum est non esse per solam diuisionem, sed, quia simul est aliqua alteratio corruptiua mediante motu molendini facta, motus enim est causa caloris: verior tamen est proculdubio prima solutio.

Illud tamen hac in re animaduersione dignum est, aliquando per nimiam diuisionem liquores corrumpi, sicut videmus paucam aquam vino permixtam aliquo transacto tempore corrumpi, nō quidem, quia id sola diuisione fiat, sed per alterationem à vino factam, cum enim singulæ partes aquæ cū partibus vini sese intime misceant, faciliùs alterantur ab illo, & tandem post aliquod tempus corrumpuntur, nam virtus dispersa non est ita fortis ac si esset vnita. *Quid aduert.*

QVAESTIO III.

Vtrum, in accidentibus detur maximum & minimum.

Accidētia sunt in duplici differentia.

POSTQVAM de substantijs diximus, restat de earum accidentibus aliqua dicamus. Accidentia autem sunt in multiplici differentia, quędā enim sunt naturalia, vt quantitas & calor; quædam supernaturalia, qualia sunt habitus præternaturales gratiæ, & charitatis. & similes: secundo quędam sunt absoluta, vt quantitas, quædam relatiua vt paternitas.

Secundo aduertendum est, quòd in accidētibus duplex diuisibilitas considerari potest, nam accidentia. v.g. calor potest habere diuisibilitatem quoad extensionem, est enim extēsus & dispersus per partes subiecti, quæ diuisibilitas conuenit accidentibus ratione quantitatis, & ita per accidens, ideo enim habent hanc extensionem, quia recipiuntur in subiecto extenso, quę diuisibilitas conuenit omnibus accidentibus corporeis, recipiūtur enim in subiecto corporeo & extenso. Accidentia vero spiritualia vt intellectus & volūtas non habent hanc extensionem; quia non recipiuntur in subiecto corporeo & extenso: alio ergo modo possunt accidentia habere diuisibilitatē, nempe quoad intensionem, qua ratione calor in quauis parte subiecti potest esse magis vel minus intensus, ex eo quod plures vel pauciores habeat gradus caloris, & hæc diuisibilitas quoad intensionē propriè loquendo solúm cōuenit qualitatibus: nam sicut habere extēsionem & partes extra partes ratione sui inter omnia accidentia solum conuenit quantitati, ita habere intensionem solius qualitatis propriū est: vnde duplex difficultas in hac quęstione examinanda occurrit: prima, vtrū in accidētibus detur maximum & minimum quoad extensionem in subiecto: secunda vtrum etiam detur maximum & minimum quoad propriam intensionem.

Circa primam difficultatem, certum est in ea non comprehendi accidentia spiritualia, hæc enim non recipiuntur in subiecto extenso & corporeo. Inter accidentia verò corporea certum est quantitatem discretam habere minimum, neque enim potest *1. difficultas.*

test dari numerus minor binario, versus magnitudinem nullum habet terminum, potest enim dari numerus maior, & maior, addita noua vnitate: solum ergo est dubium de quantitate continua & de accidentibus, quæ recipiuntur in subiecto continuo. Sed rursus notandũ est, quod hæc accidentia possunt considerari duobus modis primo secundum suam naturam præcise: secundo vt sunt dispositiones conseruatiuæ subiecti, in quo sunt, nam ignis cõseruatur calore & aqua frigiditate.

Assertio. 1. Quibus suppositis dico primo si accidentia considerentur secundũm suam naturam præcise nullum habent terminum extensionis, neq; quo ad magnitudinẽ, neque quoad paruitatem: est res certa & probatur planè. Quia accidentia habent extẽsionem & partes extra partes ad extẽsionẽ quãtitatis: sed quãtitas secũdũ se potest crescere magis ac magis ac diminui: ergo accidẽtia quę iuxta illius extensionem extenduntur.

Et si obijcias, nam figura resultat ex quantitate tali modo terminata: ergo non potest crescere in infinitum.

Resp. Respondetur quod non potest dari figura infinita, vt ratio probat, tamen intra limites finiti & terminati potest esse maior, & maior figura.

Quid dicendũ de accidentibus vt sunt dispositiones cõseruatiuæ subiecti. Dico secundo, si huiusmodi accidentia considerentur vt sunt dispositiones conseruatiuæ subiecti in quo sunt, loquendum est de illis sicut de substantia ipsa, cuius sunt dispositiones, ita vt si sint dispositiones corporis inanimati nullum habeant terminum extẽsionis, neque quoad magnitudinẽ, neque quoad paruitatem: si vero sint dispositiones corporis animati terminantur, sicut animata ipsa terminari diximus.

Hæc etiam conclusio communis est, & probatur. Quia accidentia considerata, vt sunt dispositiones naturales conseruatiuæ subiecti debẽt extendi iuxta exigẽtiam ipsius subiecti: ergo quoad extensionem terminãtur, sicut ipsum subiectum terminatur.

2. difficultas, & quid certum circa illam. Maiorem habet controuersiam secũda difficultas scilicet, an accidentia habeant terminum intensionis & remissionis. Et certum est qualitates super naturales, qualis est gratia & charitas nullum habere terminum intensionis & remissionis, vt docuit optimè sanctus Thomas

Ff. 2.2.q.

2.1.quæst.24. art.7. & quidẽ de qualitatibus super naturalibus, quæ habent Deum pro obiecto, qualiter charitas diligit Deum, est facilis ratio: nam cum Deus sit obiectum infinitum semper potest perfectiori modo ab actu supernaturali attingi & ita charitas semper potest perfectiori modo sine termino diligere Deũ: ergo possunt huiusmodi qualitates habentes Deum pro obiecto in infinitum intendi: sed de omnibus probatur; quia huiusmodi qualitates super naturales cum supra naturam nostrã sint, non habemus ad illas aliquam naturalẽ inclinationem, sed potentiam solum obedientialem, idest, quod non repugnant naturæ nostræ, prout Deus illas infundere voluerit: sed potest Deus illas in quouis gradu maiori & maiori infundere: ergo natura sua nullum habent terminum intensionis & remissionis.

Dubium. Solum ergo est dubium, de qualitatibus naturalibus, vt de calore, frigore, & alijs, an habeant aliquem terminum intẽsionis & remissionis, vbi etiam loqui possumus de his qualitatibus dupliciter. Primo considerãdo illas vt sunt dispositiones naturales cõseruatiuæ subiecti in quo sunt, qua ratione ignis cõseruatur calore & aqua frigiditate: secũdo cõsiderando illas præcise secundum suam naturam.

Quo supposito, dico primo. *Assert. 1.* si huiusmodi qualitates cõsiderentur vt sunt dispositiones naturales conseruatiuæ subiecti habent certũ terminum, tam quo ad intensionẽ, quàm quoad remissionẽ quę conclusio cõmunis est: Et ratio est facilis nã aer ex natura sua non petit tantũ calorẽ quantũ ignis, neq; terra tantam frigiditatem sicut aqua. Prætereà, neque ignis potest quouis calore quantumuis minimo naturaliter conseruari: nam si multũ caloris ab ipso detrahamus tandem corrumpetur: ergo huiusmodi qualitates vt sunt dispositiones conseruatiuę subiecti in quo sunt habent certum terminum intensionis & remissionis.

Etsi inquiras, an huiusmodi accidentia hoc modo cõsiderata habeant terminũ intrinsecum, vel potius extrinsecum per maximum quod nõ, & minimum quod non Respondetur distinguẽdum esse, nam si loquamur de huiusmodi accidentibus conseruatiuis, prout conseruant subiectum, quod iam est via

corrup-

corruptionis, dicendum est non terminari intrinsecè, sed extrisece per maximũ quod non & minimum quod non.

Et probatur, quia aliàs viuentia & omnia alia corpora desinerent per vltimum sui esse. absolutè loquendo, cuius contrarium ostendemus. 6. lib. Physic. probatur sequella, quia si huiusmodi accidentia hoc modo habeant terminum intrinsecum, ita vt sit verum dicere: sub tanto calore potest aer, vel viuens conseruari & sub minori non potest: tunc sic calor ille intendatur: Ergo tunc, si ponamus iam habere illum maximũ calorem erit verum dicere: nunc est aer, vel viuẽs, & immediatè post hoc non erit, quia per intensionem de nouo factam habebit calorem maiorẽ sub quo iam non potest conseruari: ergo iam omnia desinerẽt per vltimum sui esse: & idem argumentum fieri potest quo ad remissionem: nam si ponamus minimum calorem sub quo potest aer cõseruari esse vt duo, ita vt sub minori non possit: ponamus deinde illũ calorem amplius remitti, tunc erit verum dicere: nũc est aer, vel viuens & immediate post hoc non erit: quia immediate post hoc fiet calor minor minimo, sub quo potest conseruari; iam ergo sequeretur omnia adhuc viuentia desinere per vltimum sui esse: si tamen loquamur via naturalis conseruationis, dicẽdum est, huiusmodi accidencia habere terminum intrinsecum per maximum quod sic & minimum quod sic, ita vt sit verum dicere cum tanto calore conseruatur aer iuxta exigentiam naturalem suæ naturę, & cum maiori non, sed iam est in statu præternaturali. Et probatur, quia ignis ex sua natura petit calorem vt octo, qui est summus calor per naturam possibilis, & aer calorem vt quatuor. v.g. ita vt cum maiori calore non bene conseruetur, neque enim postulat tantum calorem sicut ignis.

Restat ergo vltima difficultas an accidentia secundum naturam precise considerata & non prout sunt dispositiones conseruatiuæ subiecti habeãt aliquem terminum suę intensionis & remissionis: nam quamuis calor aeris vt illum naturaliter conseruet debeat esse tantũm vt quatuor. v.g. tamen calor secundum se maior esse potest. *Vltima difficultas.*

In qua re prima sẽtẽtia af- *1. sent.*

firmat huiusmodi accidentia habere aliquẽ terminum suæ intensionis, ita vt nõ possint nitendi in infinitum tenet Scotus in 3. distin. 13. Caietanus 1. part. quæst. 10. artic. 12. Alij vero asserunt talia accidentia habere terminum quoad remissionem, ita vt non possint in infinitum remitti tenet Sõcinas 8. metha. quæst. 23. cuius fundamentum est, quia existimat qualitates incipere per primum sui esse, atque adeò debere incipere incerta & determinata quantitate & non in minori, & minori successiuè. Quod tamen fundamẽtum falsum est (vt 6. phys. dicam,) tenet etiam Toletus 1. lib. de generatione cap. 4. q. 6. quod vero accidentia habeant terminum suæ intensionis, ex eo videtur probari, quia accidentia essentialiter dicunt ordinem ad subiectum: sed subiectum cum finitum sit habet potentiã receptiuam finitam & limitatã: ergo tantũ potest recipere calorem finitum & limitatum, atq; adeò calor cum secundùm se dicat ordinem ad tale subiectum, secũdum se postulat terminum finitum & limitatum: ergo non potest intendi in infinitum.

Via semit. Cõtraria tamẽ sententia nobis tenẽda est, nẽpe, accidentia secundũ suã naturam cõsiderata & nõ prout sunt dispositiones subiecti nullũ habere terminũ intensionis & remissionis, sed posse in infinitũ intendi & remitti: sic tenet Sotus hic quęst. 4. Vallesi controuersia 5. & probari potest: nam sicut se habet quantitas ad suas partes quoad extensionẽ, ita qualitas ad suas partes graduales, & quoad intensionẽ: sed quantitas potest sine termino crescere & minui, nam qualibet data potest illi fieri additio & detractio, salua natura quantitatis: ergo similiter qualitates natura sua nullum habẽt terminũ intensionis & remissionis, sed potest magis ac magis minui & remitti: & hinc primo fit quod alteratio per quã producitur qualitas fiat successiuè, nam cum non habeat minimum qualitas producta, non est dare primã partem, sed prius fuit producta in minori, & minori intensione successiue per actionem successiuam & continuã, eodẽ modo intẽsio & remssio fiunt successiue & paulatim.

Sequitur secundo falsam esse eorum doctrinam, qui asserunt, quod lumen non solum secundum suam naturam, sed nullo modo habet termi-

terminum intensionis & remissionis: quod falsum esse sic ostendo. Nam lumen si consideretur vt dispositio connaturalis luminosi terminum habet, sicut de aliis accidētibus diximus: nam Luna natura sua non postulat procuidubio tantum lumen, sicut Sol: ergo illud lumē prout est dispositio cōnaturalis lunæ terminum habet. Similiter Sol natura sua non postulat quodlibet lumen quātūuis remissum, sed maximè intensum: ergo vt est dispositio connaturalis Soli habet terminum remissionis: verū est lumen precisè secundùm suam naturam consideratum nullum habere terminum intensionis, sed posse magis ac magis intendi & remitti.

Respōd. ad fund. contrariæ sent.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quòd capacitas subiecti ad recipiendam aliquam qualitatē dupliciter distingui potest, saltem formaliter diuersa: quædam est physica, vt ita dicam, idest, in ordine ad suam conseruationem, & cū hæc conseruatio fiat ab accidētibus indeterminata quadam intensione, tantùm se extendit ad accidentia illa in tali intensionē considerata: alia verò est capacitas vt ita dicam Mathematica secundùm quā subiectum dicitur capax accidentium; nō vt ordinantur ad talis subiecti conseruationem, sed absolutè secundùm quod produci possit; & hæc nullum habet terminum, sicut accidentia ipsa absolutè loquendo nullum habet terminum ex sua natura.

Nec intelligendū est hanc capacitatem infinitam esse, neq; enim posset recipere calorem aliquē qui finitus non sit, cum infinitum sit impossibile, ille tamen potest esse maior & maior, semper tamē finitus.

Tandem hoc loco dubitari potest, an qualitates mediæ habeant terminum suæ intensionis & remissionis: appellantur autem qualitates mediæ illæ, quæ sunt mediæ inter qualitates extremas, qualiter color fuscus, vel viridis est medius inter album & nigrum, qui sunt colores extremi. Et plures existimāt huiusmodi medias qualitates habere terminum suæ intensionis & remissionis, nam viride tantum potest intendi vt fiat album, & fuscum tantùm potest intendi vt fiat nigrum. Et quod magis mirandum est in sententia sancti Thom. 2.2. quæst. 24. articulo 7. in corpore, fateor

tamen

tamen eius sententiam difficilè mihi apparere & prorsus falsam, si illo modo eã interpraetentur. Cuius ratio est, quia intensio vel remissio nõ variat speciem qualitatis, sed sunt accidentia eiusdẽ qualitatis, nam quod calor sit remissus vel intensus non variat speciem caloris: sed colores medij specie differũt à coloribus extremis, qualiter viride differt specie ab albo: ergo quantumuis intẽdatur, vel remittatur nõ potest transire ad speciẽ albi, sed adhuc manebit color viridis, tamen magis, vel minus intensus: ergo etiam huiusmodi qualitates mediæ nullum habent terminũ suæ intensionis & remissionis, secũdum suam naturam consideratæ. Et hæc de hac quæstione.

DISPVTATIO QVARTA, DE PRINCIPIIS ENTIS NATVRAlis in communi consideratis.

DE Hac re dispuTat late Aristot. cõtra Antiquos Phylosophos à cap. 2. vsque ad cap. 8. estque præcipua disputatio, quam Arist. hoc lib. intendit.

QVAESTIO. I.

Vtrum, principia rectè diffiniantur ab Aristotele.

1\. Aduert. CERTVM Est in hac re principiũ formaliter dicere relationem ad principiatũ, non secus quam pater dicit ordinem ad filiũ: nam principium in actu non potest intelligi sine principiato in actu, & principiũ in potẽtia sine principiato in potẽtia, quã relationẽ certũ est nõ semper esse realẽ, nam vt statim dicam principia rei naturalis sunt tria, scilicet materia, forma & priuatio, quãuis autem materia & forma dicant relationem realem, sicut partes ad totum quod componunt. tamen in priuatione, cum non sit ens reale non potest fundari relatio realis: loquimur ergo in hac quæstione de principijs materialiter

terialiter sumptis pro re ipsa quæ est principium.

2. Aduert. Secūdo aduertendum est, q̄ hęc tria, principium, causa & elementum se habent sicut superius inferius, ita vt vnum aliquid addat supra aliud, nam principium tantū dicit esse id ex quo aliud fit, causa vero supra principium dicit non solum esse id à quo aliud fit, sed dicit causalitatem & influxum realem in effectum, qua ratione causa efficiens influit in effectum producendo illum: vnde priuatio, vt dicemus infra, est principium rei naturalis, non tamē est causa, quia cum non habeat entitatem, sed sit nihil, non potest causare aliquid: elementum verò non solum dicit causam, sed causam intrinsece componentem rem cuius est causa.

Aduert. Pro quo aduertendum est, quod inter causas quædam sunt intrinsecę, scilicet quæ intrinsecę componunt rem, cuius sunt causæ, qua ratione materia & forma dicuntur causæ intrinsece substantiæ completæ, forma quidem causa formalis, materia vero causa materialis, & sunt causæ intrinsecæ, quia sunt partes intrinsece componentes substantiam illam completam. Aliæ vero sunt causæ extrinsecæ, scilicet, quæ intrinsecè non componunt rem quam causant, sed sunt extra illam, qualis est causa efficiens & finalis, nam homo qui effectiue generat alium hominem est extra ipsum hominem genitum, similiter finis propter quem aliquis operatur est res aliqua extra ipsum operantem; elementum ergo debet esse causa intrinsecè componens rem cuius est causa, & ita bene valet est elementum; ergo est causa; & est causa ergo est principium, non tamen ècontra, nam priuatio est principium & nō est causa; & causa efficiens aut finalis sunt causæ, nō tamen sunt elementum.

Diffinitio principiorū. Quo supposito principia definiuntur hoc modo ab Aristotele hoc libro textu 42 *à Principia sunt, quæ neque fiunt ex alijs, neque ex alterutris, sed omnia fiunt ex illis.* Et simile quid docuit postea 1. Meta. textu primo, dicens, principium esse id vnde aliquid fit.

Est tamē aduertēdū quod illa particula, *Ex*, ter repetita in definitione principiorum varias habitudines importare potest secundum Arist. 5. met. text. 29. nā primo significare potest habitudinē cau-

sæ efficientis, vt cum dicimus ex igne fit ignis: secundo habitudinem causæ materialis, vt cum dicimus, quod ex ligno fit cathedra tãquam ex materia: tertio habitudinem causæ formalis, vt cum dicimus, quòd ex anima fit homo: quarto habitudinem termini à quo, vt cum dicimus, quod ex nocte fit dies tanquam ex termino à quo: quinto habitudinem partis cõponentis, qua ratione dicimus domũ fieri ex lapidibus.

Dicẽdũ ergo est, quod particula, *Ex*, quando in hac diffinitione sumitur negatiuè (vt cũ dicitur, *Principia sunt, quæ nec fiunt ex aliis, neque ex alterutris*) significare habitudinẽ partis, ita vt sensus sit, principia sunt, quę non fiunt ex aliis, neque ex alterutris tanquã ex parte cõponẽte quod verissimũ est, nam quãuis forma fiat ex materia tanquã ex subiecto, non tamen tãquam ex parte componente. Similiter quãuis forma fiat ex priuatione tanqua ex termino a quo non tanquã ex parte cõponẽte. Quãdo vero particula, *Ex*, in prædicta diffinitionẽ sumitur positiuè vt cũ dicitur, *sed omnia fiunt ex illis*, tũc importat habitudinẽ, vel partis cõponentis, vel termini à quo disiunctiuè, nam omnes substãtiæ fiunt ex priuatione tanquã ex termino à quo, non vero tanquã ex parte cõponente: quia cum priuatio nihil sit non potest esse pars cõponẽs: ex materia verò & forma fiunt omnes substãtiæ corporeę tanquã ex partibus cõponentibus quanuis non tanquã ex termino à quo, sic explicat hãc definitionẽ Paulus Venetus super text. 42. & Burseus super text. 43.

Sed contra diffinitionẽ hoc modo explicatã obiici potest: nã ex dictis sequitur Aristotelẽ equiuocè vti illa particula, *ex*, repetita in hac definitione.

Secũdo quia etiã falsum est, qđ principia nõ fiãt ex aliis tãquã ex parte cõponẽte, nã vt supra vidimus materia, prima cõponitur ex suis partib^9 integralibus, & similiter omnes formę corporeę habẽt suas proprias partes integrales substantiales: ergo principia possunt fieri ex aliis tanquam ex parte componente.

Sed respondetur ad primum nullam esse ęquiuocationem, nam explicando illam particulam, eo modo quo debet intelligi tollitur omnis ambiguitas, nã re vera vtrũq; debuit explicari, quia cũ principia debeãt esse: prima nõ debẽt cõponi ex aliis, *Resp. ad 1. rationem.*

& cum

& cum etiam principium sit illud, vnde aliud inchoatur, quod vel potest esse, tanquã ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino à quo vtrãq; hæc habitudinẽ disiunctiue, explicare etiam oportuit.

Ad secundum quòd quando Arist. dicit principiũ non fieri ex alio, non significat principium aliquod non posse habere in se partes integrales ex quibus cõponatur, solum dicit principia non fieri ex aliis tanquam ex partibus essentialibus, quæ sunt materia, & forma: ita quod v.g. materia non possit fieri ex forma, tanquam ex parte essentiali, neq; ex alia materia diuersa, bene tamen potest habere suas proprias partes integrales.

Tandẽ ex dictis in hac quæstione infertur, quòd principiũ in cõmuni, nõ sit aliquid vniuocũ ad omnia principia rei naturalis; nã enti, & nõ enti, nihil potest dari cõmune vniuocum: sed materia & forma sunt ens, priuatio vero etiã in ratione principij nihil est, quia semper sumitur vt priuatio, atq; adeo nihil: ergo principiũ nõ est aliquid vniuocũ ad omnia principia: sed neq; est aliquid æquiuocum nam priuatio quãuis nihil sit verè, & propriè est principiũ & non tantũ æquiuocè. Cuius ratio est, quia principium absolutè loquendo non dicit essentialiter esse partẽ componentẽ, sed esse id vnde aliud inchoatur, vel tanquã ex parte cõponenti, vel tanquã ex termino à quo: & quia priuatio verè & propriè est id vnde aliquid inchoatur saltim tanquã ex termino à quo, ideo nõ æquiuocè, sed verè, & propriè est principiũ. Erit ergo principium in cõmuni analogũ attributionis ad materiã, formã, & priuationẽ, quia analogia in eo cõsistit, quod sicut materia, & forma est id vnde res naturales fiunt, quã uis tanquã ex parte cõponente; ita ex priuatione fiunt res naturales, suo modo, saltẽ tanquam ex termino à quo; analoga autem attributionis possunt esse proprie talia, vt suo loco diximus: qualiter ens est analogũ attributionis ad substantiam, & accidens, vtrunque tamen verè est ens, vt distinguitur contra nihil.

Quomodo se habeat principium in cõmuni ad principia.

QVAESTIO II.

Vtrum principia sint contraria.

PRO cuius intelligẽtia aduertendũ est, quòd in quauis generatione substã-

Quid aduerti.

tiali

tiali, tria considerari possunt scilicet terminus à quo, & ad quem, & subiectum: nã quando in materia ligni generatur ignis, terminus ad quem tẽdit illa actio, est forma substantialis ignis: terminus à quo est priuatio formę ignis: subiectum vero est materia prima: nam illa mutatio substãtialis fit in materia prima, nam eadem materia quę erat antea sub forma ligni, & ita habebat priuationem formæ ignis, postea per generationem recipit illam formam, & ita dici solet, *Quod materia prima est sub vtroque termino mutationis*; nam prius habuit priuationẽ illius formæ, postea verò per generationem acquirit talem formam ignis: quærimus ergo vtrum hæc tria principia entis naturalis, nempe materia, forma, & priuatio sint contraria, habetq; facilem solutionem.

Quæ principia sunt contraria. Dico primo aliqua principia sunt cõtraria, scilicet forma, & priuatio. Est cõmunis omniũ sententia cum Arist. hic lib. 1. tex. 42. & deinceps & probatur ratione, quia cõtraria sunt, quę ab eodẽ subiecto mutuo se expellunt, sed adueniẽte forma, in materia tollitur priuatio illius formæ: ergo forma, & priuatio illius contraria sunt.

Quid aduertendum. Est tamẽ aduertendũ non esse sermonem de propria cõtrarietate, qua ratione illa propriè appellantur contraria, quæ sunt extrema positiua, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt: nam cũ priuatio non sit aliquid positiuum, non potest propriè cõtrariari formæ. Tũ etiã, quia substantiæ nihil est propriè contrarium, ex Arist. cap. de substantia: ergo forma substantialis, & priuatio nõ sunt cõtraria: solũ ergo principia appellãtur cõtraria largo modo, idest opposita saltẽ, priuatiuè, nam forma, & priuatio formæ, priuatiuè opponũtur.

Assert. 2. Dico secundo non omnia principia sunt cõtraria adhuc loquendo de propria contrarietate. Probatur quia ea quę sunt simul, nõ sunt contraria neq; opposita, quia opposita expellũt se: sed forma & materia sunt simul dũ cõponũt corpus naturale: ergo non sunt cõtraria. Similiter idem probari potest de materia, & priuatione, nã etiã sunt simul qua ratione materia ligni, antequã reciperet formã ignis habebat priuationẽ formę ignis: ergo etiã materia, & priuatio nõ sunt contraria, atq; adeò solũ cõtrariantur inter se forma, & priuatio illius.

Et si inquiras, quare sicut datur

Quid de-
ueniēs.

datur priuatio formæ, nō datur priuatio materiæ. Respō deturrationem esse, quia priuatio debet præsuponere subiectū aliquod quod denominet priuatū, & quia materia prima, est primum subiectum, atq; adeò nō præsuponit aliud primum, ideo non datur priuatio illius, sed negatio, quæ nō sit in subiecto aliquo, vt non homo potest reperiri, absque subiecto aliquo in quo sit, nam chimera est non homo.

QVAESTIO. III.

Vtrum principia rei naturalis, sint tantum tria, scilicet materia, forma, & priuatio.

Assert. 1.

Rationes dubitandi.

Ratio dubitandi est: nā in primis videtur quod priuatio nō sit principium rei naturalis, nam vt habet cōmune Philosophorum axioma cum Arist. hoc lib. tex. 71. ex nihilo nihil fit: sed priuatio nihil est: ergo non est principium rei naturalis: patet consequentia, nā principium est id ex quo aliud fit.

Secundo, nam res naturales dantur à parte rei, & à parte rei producuntur: ergo debēt habere à parte rei sua principia: sed priuatio est ens rationis: ergo non est principium rei naturalis.

Tertio, quia quando. v. g. ex ligno fit ignis sicut ignis producitur ex priuatione sui tanquā ex termino à quo, ita fit ex ligno, tanquam ex termino à quo; nā generatio illa progreditur à ligno ad ignē: ergo pręter materiam, formā & priuationem, datur aliud principium, nēpe illud quod corrumpitur, dum aliud generatur.

Quarto quia in generatione substantiali, sicut in termino à quo præcedit priuatio formæ genitæ, ita in termino ad quē est priuatio formæ corruptæ. v. g. quando ex ligno fit ignis, sicut in termino à quo præcesit priuatio formæ ignis; ita in termino ad quē est priuatio formę ligni: nā adueniente forma ignis iā non est forma ligni: ergo sicut priuatio quæ est in termino à quo est principium rei naturalis; ita priuatio quæ est in termino ad quem, atque adeò sunt plura principia.

Quinto, quia etiā in termino à quo nō solū est priuatio formæ generandę, sed pluriū aliarum formarum, vt in eodē exēplo, quando ex ligno fit ignis, in materia ligni non solū pręcedit priuatio formę

 ignis,

ignis, sed pluriam aliarũ formarum, quarum est capax: ergo etiam illę omnes priuationes, quæ sunt in termino à quo erunt principia rei naturalis.

Sexto, quia vel loquimur de principiis intrinsecis rei naturalis, vel de principiis extrinsecis: si loquamur tãtum de principiis intrinsecis, sequitur quod priuatio, nõ sit principiũ rei naturalis, quia priuatio non est pars intrinsece componens ens naturale, cum nihil sit: tum etiã, quia quando est ignis, iam nõ est priuatio formæ ignis. Si autẽ loquamur de principiis etiã extrinsecis, tunc sequitur ꝙ sint plura principia, præter connumerata. Probatur sequel'a, quia causa rerum naturalium quadruplex est, scilicet materialis, formalis efficiens, & finalis: sed principiũ est quid superius ad causam vt supra vidimus: ergo si loquamur de principiis etiã extrinsecis, sicut sunt quatuor causæ, ita erunt quatuor principia præter priuationem.

1. Certum. In hac quæstione, vt in primis contra antiquos Philosophos disputemus. Primo certum esse debet falsam esse eorum sententiam qui infinita rerũ naturalium principia esse assignabãt, qualis fuit Anaxagoras, nam vt optimè arguit Arist. hoc lib. text. 35. ex hac sententia sequeretur, non posse haberi scientiã perfectã de ente naturali, quia scire est rem cognoscere per suas causas, & principia: si ergo talia principia infinita sunt, atque adeò impertransibilia non possemus rerum naturalium perfectam scientiam habere.

Secundo certũ debet esse, non esse vnicum tantũ principium rerum naturalium, vt Hæsiodus Heraclytus, & plures alij assignarunt. Ratio est quia vt supradiximus disput. 1. ostensum est corpora naturalia necessario cõponuntur ex partibus diuersæ rationis, quarũ alterã appellamus materiam, alteram vero formã: ergo necessario est constituere plura principia entium naturalium. 2. Certum.

Secũdo cõtra antiquos Philosophos, qui asserebant omnia fieri ex vno elemẽto qualiter Tales Millesius aquã esse omnium rerum principiũ. asseruit Anaximenes aerem Heraclitus ignem, Hesiodus terram. Contra hos quidẽ potest fieri euidens argumentũ: quia de ratione principij est quod non fiat ex aliis, nã cum de ratione principij sit ꝙ sit primũ in eo genere quo prin-

principiat non potest fieri ex alio principio, aliàs iā esset aliud prius ipso: sed quodlibet elementum habet sua propria principia, ex quibus integratur, nempe materiam & formam, vt supra ostendimus de omni corpore naturali: ergo nullum elementum potest habere rationem principij entium naturalium.

2. Contra. Et si obiicias; nam saltem omnia corpora mixta componuntur ex elementis: ergo elemēta saltem sunt principia, respectu mixtorū. Respondetur negando consequentiam, nam de ratione principij est quod non componatur ex aliis, vt dixi, & quia elemēta habent sua principia ex quibus componuntur, ideo non habent rationem principij, adhuc respectu mixti.

De quibus principijs fit quæst. Restat ergo ex dictis, quòd principia entium naturalium debeant esse plura; & finita: vnde oportet eorum numerum inuestigare: loquimur autem de principiis rerum generabilium, & corruptibilium; nam cœlum quod ingenerabile, & incorruptibile est, cum fuerit factum per creationem à Deo, non fuit factum ex priuatione, tanquā ex termino à quo, quia non præcessit materia illius priuata eius forma, sed tantum à Deo creatum est, & ideo Arist. dum hæc principia tradit apertè loquitur de rebus generabilibus, & corruptibilib. vt videre est tex. 71. & 78.

Sed rursus notandum est quod hic, vel possumus loqui de principiis rei naturalis, vel de principiis generationis rei naturalis, quod alij dicūt, quod possumus loqui de principiis rei naturalis in fieri dū generatur, vel in facto esse, quando iam consideratur facta, & secundum se.

Assertio. I. Dico ergo primo, duo tantū sunt principia rei naturalis secundum se consideratę; vel vt alij loquuntur in facto esse. Hanc sententiam docet cōmuniter interpretes cum Arist. hic à textu. 58. vsque ad 65. Et probatur, quia illa sunt principia rei naturalis in facto esse, & secundum se consideratæ, quæ illam cōponunt: sed omnia corpora naturalia, tantū componuntur ex materia, & forma: ergo tātū sunt duo principia rei naturalis in facto esse, scilicet materia, & forma.

Diffi. aliq. Sed statim oritur difficultas, quia vt supra vidimus disputat. 2. præter materiam, & formā, datur in quolibet corpore naturali, modus quidam substantialis, quo materia

2. 1. quæst. 24. art. 7. & quidẽ de qualitatibus super naturalibus, quæ habent Deum pro obiecto, qualiter charitas diligit Deum, est facilis ratio: nam cum Deus sit obiectum infinitum semper potest per fectiori modo ab actu supernaturali attingi & ita charitas semper potest perfectiori modo sine termino diligere Deũ: ergo possunt huiusmodi qualitates habentes Deum pro obiecto in infinitum intendi: sed de omnibus probatur; quia huiusmodi qualitates super naturales cum supra naturam nostrã sint, non habemus ad illas aliquam naturalẽ inclinationẽm, sed potentiam solum obedientialem, idest, quod non repugnant naturæ nostræ, prout Deus illas infundere voluerit: sed potest Deus illas in quouis gradu maiori & maiori infundere: ergo natura sua nullum habent terminum intensionis & remissionis.

Dubium. Solum ergo est dubium, de qualitatibus naturalibus, vt de calore, frigore, & alijs, an habeant aliquem terminum intẽsionis & remissionis, vbi etiam loqui possumus de his qualitatibus dupliciter. Primo considerãdo illas vt sunt dispositiones naturales cõseruatiuæ subiecti in quo sunt, qua ratione ignis cõseruatur calore & aqua frigiditate: secũdo cõsiderando illas præcise secundum suam naturam.

Quo supposito, dico primo. *Assert. 1.* si huiusmodi qualitates cõsiderentur vt sunt dispositiones naturales conseruatiuæ subiecti habent certũ terminum, tam quo ad intensionẽ, quàm quoad remissionẽ quę conclusio cõmunis est: Et ratio est facilis nã aer ex natura sua non petit tantũ calorẽ quantũ ignis, neq; terra tantam frigiditatem sicut aqua. Prętereà, neque ignis potest quouis calore quantumuis minimo naturaliter conseruari: nam si multũ caloris ab ipso detrahamus tandem corrumpetur: ergo huiusmodi qualitates vt sunt dispositiones conseruatiuę subiecti in quo sunt habent certum terminum intensionis & remissionis.

Etsi inquiras, an huiusmodi accidentia hoc modo considerata habeant terminũ intrinsecum, vel potius extrinsecum per maximum quod nõ, & minimum quod non Respondetur distinguẽdum esse, nam si loquamur de huiusmodi accidentibus conseruatiuis, prout conseruant subiectum, quod iam est via

corrup-

corruptionis, dicendum est non terminari intrinsecè, sed extrisece per maximũ quod non & minimum quod non.

Et probatur, quia aliàs viuentia & omnia alia corpora desinerent per vltimum sui esse absolutè loquendo, cuius contrarium ostendemus. 6. lib. Physic. probatur sequella, quia si huiusmodi accidentia hoc modo habeant terminum intrinsecum, ita vt sit verum dicere: sub tanto calore potest aer, vel viuens conseruari & sub minori non potest: tunc sic calor ille intendatur: Ergo tunc, si ponamus iam habere illum maximũ calorem erit verum dicere: nunc est aer, vel viuẽs, & immediatè post hoc non erit, quia per intensionem de nouo factam habebit calorem maiorẽ sub quo iam non potest conseruari: ergo iam omnia desinerẽt per vltimum sui esse: & idem argumentum fieri potest quo ad remissionem: nam si ponamus minimum calorem sub quo potest aer cõseruari esse vt duo, ita vt sub minori non possit: ponamus deindè illũ calorem amplius remitti, tunc erit verum dicere: núc est aer, vel viuens & immediate post hoc non erit: quia immediate post hoc fiet calor minor minimo, sub quo potest conseruari; iam ergo sequeretur omnia adhuc viuentia desinere per vltimum sui esse: si tamen loquamur via naturalis conseruationis, dicẽdum est, huiusmodi accidencia habere terminum intrinsecum per maximum quod sic & minimum quod sic, ita vt sit verum dicere cum tanto calore conseruatur aer iuxta exigentiam naturalem suæ naturę, & cum maiori non, sed iam est in statu præternaturali. Et probatur, quia ignis ex sua natura petit calorem vt octo, qui est summus calor per naturam possibilis, & aer calorem vt quatuor. v.g. ita vt cum maiori, calore non bene conseruetur, neque enim postulat tantum calorem sicut ignis.

Restat ergo vltima difficultas an accidentia secundum naturam pręcise considerata & non prout sunt dispositiones conseruatiuæ subiecti habeát aliquem terminum suę intensionis & remissionis: nam quamuis calor aeris vt illum naturaliter conseruet debeat esse tantúm vt quatuor. v. g. tamen calor secundum se maior esse potest. *Vltima difficultas.*

In qua re prima sẽtẽtia affirmat *1. sent.*

firmat huiusmodi accidentia habere aliquē terminum suæ intensionis, ita vt nō possint nitendi in infinitum tenet Scotus in 3. distin. 13. Caietanus 1. part. quæst. 10. artic. 12. Alij vero asserunt talia accidentia habere terminum quoad remissionem, ita vt non possint in infinitum remitti tenet Sócinas 8. metha. quæst. 23. cuius fundamentum est, quia existimat qualitates incipere per primum sui esse, atque adeò debere incipere in certa & determinata quantitate & non in minori, & minori successiuè. Quod tamen fundamētum falsum est (vt 6. phys. dicam,) tenet etiam Toletus. 1. lib. de generatione cap. 4. q. 6. quod vero accidentia habeant terminum suæ intensionis, ex eo videtur probari, quia accidentia essentialiter dicunt ordinem ad subiectum: sed subiectum cum finitum sit habet potentiā receptiuam finitam & limitatā: ergo tantū potest recipere calorem finitum & limitatum, atq; adeò calor cum secundùm se dicat ordinem ad tale subiectum, secūdum se postulat terminum finitum & limitatum: ergo non potest intendi in infinitum.

Vra sentēt. Cōtraria tamē sententia nobis tenēda est, nēpe, accidentia secundū suā naturam cōsiderata & nō prout sunt dispositiones subiecti nullū habere terminū intensionis & remissionis, sed posse in infinitū intendi & remitti: sic tenet Sotus hic quęst. 4. Vallesi controuersia 5. & probari potest: nam sicut se habet quantitas ad suas partes quoad extensionē, ita qualitas ad suas partes graduales, & quoad intensionē: sed quantitas potest sine termino crescere & minui, nam qualibet data potest illi fieri additio & detractio, salua natura quantitatis: ergo similiter qualitates natura sua nullum habēt terminū intensionis & remissionis, sed potest magis ac magis minui & remitti: & hinc primo fit quod alteratio per quā producitur qualitas fiat successiuè, nam cum non habeat minimum qualitas producta, non est dare primā partem, sed prius fuit producta in minori, & minori intensione successiue per actionem successiuam & continuā, eodē modo intēsio & remsio fiunt successiue & paulatim.

Sequitur secundo falsam esse eorum doctrinam, qui asserunt, quod lumen non solum secundum suam naturam, sed nullo modo habet termi-

terminum intensionis & remissionis: quod falsum esse sic ostendo. Nam lumen si consideretur vt dispositio connaturalis luminosi terminum habet, sicut de aliis accidẽtibus diximus: nam Luna natura sua non postulat procuidubio tantum lumen, sicut Sol: ergo illud lumẽ prout est dispositio cõnaturalis lunæ terminum habet. Similiter Sol natura sua non postulat quodlibet lumẽn quátũuis remissum, sed maximè intensum: ergo vt est dispositio connaturalis Soli habet terminum remissionis: verũ est lumen precisè secundúm suam naturam consideratum nullum habere terminum intensionis, sed posse magis ac magis intendi & remitti.

Respõd. ad fund. contrariæ sent. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quòd capacitas subiecti ad recipiendam aliquam qualitatẽ dupliciter distingui potest, saltem formaliter diuersa: quædam est physica, vt ita dicam, idest, in ordine ad suam conseruationem, & cũ hæc conseruatio fiat ab accidẽtibus indeterminata quadam intensione, tantúm se extendit ad accidentia illa in tali intensione considerata: alia veró est capacitas vt ita dicam Mathematica secundúm quá subiectum dicitur capax accidentium; nõ vt ordinantur ad talis subiecti conseruationem, sed absolutè secundúm quod produci possit, & hæc nullum habet terminum, sicut accidentia ipsa absolutè loquendo nullum habét terminum ex sua natura.

Nec intelligendũ est hanc capacitatem infinitam esse, neq; enim posset recipere calorem aliquẽ qui finitus non sit, cum infinitum sit impossibile, ille tamen potest esse maior & maior, semper tamẽ finitus.

Tandem hoc loco dubitari potest, an qualitates mediæ habeant terminum suæ intensionis & remissionis: appellantur autem qualitates mediæ illæ, quæ sunt mediæ inter qualitates extremas, qualiter color fuscus, vel viridis est medius inter album & nigrum, qui sunt colores extremi. Et plures existimãt huiusmodi medias qualitates habere terminum suæ intensionis & remissionis, nam viride tantum potest intendi vt fiat album, & fuscum tantúm potest intendi vt fiat nigrum. Et quod magis mirandum est in sententia sancti Thom. 2.2. quæst. 24. articulo 7. in corpore, fateor

tamen

tamen eius sententiam diffi-cilē mihi apparere & prorsus falsam, si illo modo eā inter-prætentur. Cuius ratio est, quia intensio vel remissio nō variat speciem qualitatis, sed sunt accidentia eiusdē qua-litatis, nam quod calor sit re-missus vel intensus non va-riat speciem caloris: sed co-lores medij specie differūt à coloribus extremis, qualiter viride differt specie ab albo: ergo quantumvis intēdatur, vel remittatur nō potest tran sire ad speciē albi, sed adhuc manebit color viridis, ta-men magis, vel minus inten-sus: ergo etiam huiusmodi qualitates mediæ nullum ha-bent terminū suæ intensio-nis & remissionis, secūdum suam naturam consideratæ. Et hæc de hac quæstione.

DISPVTATIO QVARTA,

DE PRINCIPIIS ENTIS NATVRA-lis in communi consideratis.

DE Hac re dispu-tat late Aristot. cōtra Antiquos Phylosophos à cap. 4. vsque ad cap. 8. estque præcipua disputatio, quam Arist hoc lib. intendit.

QVAESTIO. I.

Vtrum principia rectè diffiniantur ab Aristotele.

1. Aduert. CERTVM Est in hac re principiū formaliter dice-re relationem ad principiatū, non secus quam pater dicit ordinem ad filiū: nam principium in actu non potest intelligi sine princi-piato in actu, & principiū in potētia sine principiato in po tētia, quā relationē certū est nō semper esse realē, nam vt statim dicam principia rei na turalis sunt tria, scilicet ma-teria, forma & priuatio, quā-uis autem materia & forma dicant relationem realem, sicut partes ad totum quod componunt. tamen in priua-tione, cum non sit ens reale non potest fundari relatio realis: loquimur ergo in hac quæstione de principijs ma-terialiter

terialiter sumptis pro re ipsa quæ est principium.

2. Aduert. Secũdo aduertendum est, q hęc tria, principium, causa & elementum se habent sicut superius inferius, ita vt vnum aliquid addat supra aliud, nam principium tantũ dicit esse id ex quo aliud fit, causa vero supra principium dicit non solum esse id à quo aliud fit, sed dicit causalitatem & influxum realem in effectum, qua ratione causa efficiens influit in effectum producendo illum: vnde priuatio, vt dicemus infra, est principium rei naturalis, non tamẽ est causa, quia cum non habeat entitatem, sed sit nihil, non potest causare aliquid: elementum verò non solum dicit causam, sed causam intrinsece componentem rem cuius est causa.

3. Aduert. Pro quo aduertendum est, quod inter causas quædam sunt intrinsecę, scilicet quæ intrinsece componunt rem, cuius sunt causæ, qua ratione materia & forma dicuntur causæ intrinsece substantiæ completæ, forma quidem causa formalis, materia vero causa materialis, & sunt causæ intrinsecæ, quia sunt partes intrinsece componentes substantiam illam completam. Aliæ vero sunt causæ extrinsecæ, scilicet, quæ intrinsecè non componunt rem quam causant, sed sunt extra illam, qualis est causa efficiens & finalis, nam homo qui effectiue generat alium hominem est extra ipsum hominem genitum, similiter finis propter quem aliquis operatur est res aliqua extra ipsum operantem; elementum ergo debet esse causa intrinsecè componens rem cuius est causa, & ita bene valet est elementum; ergo est causa; & est causa ergo est principium, non tamen ècontra, nam priuatio est principium & nõ est causa, & causa efficiens aut finalis sunt causæ, nõ tamen sunt elementum.

Diffinitio principiorũ. Quo supposito principia definiuntur hoc modo ab Aristotele hoc libro textu 42. *Principia sunt, quæ neque fiunt ex aliis, neque ex aliorum, sed omnia fiunt ex illis*. Et simile quid docuit postea 1. Meta. textu. primo, dicens, principium esse id vnde aliquid fit.

Est tamẽ aduertẽdũ quod illa particula, *Ex*, ter repetita in definitione principiorum, varias habitudines importare potest secundum Arist. 5. met. text. 29. nã primo significare potest habitudinẽ cau-

sæ efficientis, vt cum dicimus ex igne fit ignis: secundo habitudinem causæ materialis, vt cum dicimus, quod ex ligno fit cathedra tãquam ex materia: tertio habitudinem causæ formalis, vt cum dicimus, quòd ex anima fit homo: quarto habitudinem termini à quo, vt cum dicimus, quod ex nocte fit dies tanquam ex termino à quo: quinto habitudinem partis cõponentis, qua ratione dicimus domũ fieri ex lapidibus.

Dicẽdũ ergo est, quod particula, *Ex*, quando in hac diffinitione sumitur negatiuè (vt cũ dicitur, *Principia sunt, quæ nec fiunt ex aliis, neque ex alterutris*) significare habitudinẽ partis, ita vt sensus sit, principia sunt, quę non fiunt ex aliis, neque ex alterutris tanquã ex parte cõponẽte quod verissimũ est, nam quãuis forma fiat ex materia tanquã ex subiecto, non tamen tãquam ex parte componente. Similiter quãuis forma fiat ex priuatione tanqua ex termino a quo non tanquã ex parte cõponẽte. Quãdo vero particula, *Ex*, in prædicta diffinitionẽ sumitur positiuè vt cũ dicitur, *sed omnia fiunt ex illis*, tũc importat habitudinẽ, vel partis cõponentis, vel termini à quo disiunctiuè, nam omnes substãtiæ fiunt ex priuatione tanquã ex termino à quo, non vero tanquã ex parte cõponente: quia cum priuatio nihil sit non potest esse pars cõponẽs: ex materia verò & forma fiunt omnes substãtiæ corporeę tanquã ex partibus cõponentibus quanuis non tanquã ex termino à quo, sic explicat hãc definitionẽ Paulus Venetus super text. 42. & Burseus super text. 43.

Sed contra diffinitionẽ hoc modo explicatã obiici potest: nã ex dictis sequitur Aristotelẽ equiuocè vti illa particula, *ex*, repetita in hac defini ione.

Secũdo quia etiã falsum est, qđ principia nõ fiãt ex aliis tãquã ex parte cõponẽte, nã vt supra vidimus materia, prima cõponitur ex suis partib⁹ integralibus, & similiter omnes formę corporeę habẽt suas proprias partes integrales substantiales: ergo principia possunt fieri ex aliis tanquam ex parte componente.

Sed respondetur ad primum nullam esse ęquiuocationem, nam explicando illam particulam, eo modo quo debet intelligi tollitur omnis ambiguitas, nã re vera vtrũq; debuit explicari, quia cũ principia debeãt esse: prima nõ debẽt cõponi ex aliis, *Resp. ad rationes.*

& cum

& cum etiam principium sit illud, vnde aliud inchoatur, quod vel potest esse, tanquã ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino à quo vtráq; hæc habitudinẽ disiunctiue, explicare etiam oportuit.

Ad secundum quòd quando Arist. dicit principiũ non fieri ex alio, non significat principium aliquod non posse habere in se partes integrales ex quibus cõponatur, solum dicit principia non fieri ex aliis tanquam ex partibus essentialibus, quæ sunt materia,& forma: ita quod v.g. materia non possit fieri ex forma, tanquam ex parte essentiali, neq; ex alia materia diuersa, bene tamen potest habere suas proprias partes integrales.

Tandẽ ex dictis in hac quæstione infertur, quòd principiũ in cõmuni, nõ sit aliquid vniuocũ ad omnia principia rei naturalis; nã enti, & nõ enti, nihil potest dari cõmune vniuocum: sed materia & forma sunt ens, priuatio vero etiã in ratione principij nihil est, quia semper sumitur vt priuatio, atq; adeo nihil: ergo principiũ nõ est aliquid vniuocũ ad omnia principia: sed neq; est aliquid æquiuocum: nam priuatio quãuis nihil sit verè, & propriè est principiũ & non tantũ æquiuocè. Cuius ratio est, quia principium absolutè loquendo non dicit essentialiter esse partẽ componentẽ, sed esse id vnde aliud inchoatur, vel tanquã ex parte cõponenti, vel tanquã ex termino à quo: & quia priuatio verè & propriè est id vnde aliquid inchoatur saltim tanquã ex termino à quo, ideo nõ æquiuocè, sed verè, & propriè est principiũ. Erit ergo principium in cõmuni analogũ attributionis ad materiã, formã, & priuationẽ, quia analogia in eo cõsistit, quod sicut materia, & forma est id vnde res naturales fiunt, quã uis tanquã ex parte cõponente; ita ex priuatione fiunt res naturales, suo modo, saltẽ tãquam ex termino à quo; analoga autem attributionis possunt esse proprie talia, vt suo loco diximus: qualiter ens est analogũ attributionis ad substantiam, & accidens, vtrumque tamen verè est ens, vt distinguitur contra nihil.

Quomodo se habeat principium in cõmuni ad omnia principia.

QVAESTIO II.

Vtrum principia sint contraria.

PRO cuius intelligẽtia aduertendũ est, quòd in quauis generatione substãtiali

Quid aduert.

tiali, tria considerari possunt scilicet terminus à quo, & ad quem, & subiectum: nā quando in materia ligni generatur ignis, terminus ad quem tēdit illa actio, est forma substantialis ignis: terminus à quo est priuatio formę ignis: subiectum vero est materia prima: nam illa mutatio substātialis fit in materia prima, nam eadem materia quę erat antea sub forma ligni, & ita habebat priuationem formæ ignis, postea per generationem recipit illam formam, & ita dici solet, *Quod materia prima est sub vtroque termino mutationis*; nam prius habuit priuationē illius formæ, postea verò per generationem acquirit talem formam ignis: quærimus ergo vtrum hæc tria principia entis naturalis, nempe materia, forma, & priuatio sint contraria, habetq; facilem solutionem.

Quæ principia sunt contraria.

Dico primo aliqua principia sunt cōtraria, scilicet forma, & priuatio. Est cōmunis omniū sententia cum Arist. hoc lib. 1. tex. 42. & deinceps & probatur ratione, quia cōtraria sunt, quę ab eodē subiecto mutuo se expellunt, sed adueniēte forma, in materia tollitur priuatio illius formæ: ergo forma, & priuatio illius contraria sunt.

Quid aduertendum.

Est tamē aduertendū non esse sermonem de propria cōtrarietate, qua ratione illa propriè appellantur contraria, quæ sunt extrema positiua, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt: nam cū priuatio non sit aliquid positiuum, non potest propriè cōtrariari formæ. Tū etiā, quia substantiæ nihil est propriè contrarium, ex Arist. cap. de substantia: ergo forma substantialis, & priuatio nō sunt cōtraria: solū ergo principia appellātur cōtraria largo modo, idest opposita saltē, priuatiuè, nam forma, & priuatio formæ, priuatiuè opponūtur.

Assert. 2.

Dico secundo non omnia principia sunt cōtraria adhuc loquendo de propria contrarietate. Probatur quia ea quę sunt simul, nō sunt contraria, neq; opposita, quia opposita expellūt se: sed forma & materia sunt simul dū cōponūt corpus naturale: ergo non sunt cōtraria. Similiter idem probari potest de materia, & priuatione, nā etiā sunt simul qua ratione materia ligni, antequā reciperet formā ignis habebat priuationē formę ignis: ergo etiā materia, & priuatio nō sunt contraria, atq; adeò solū cōtrariantur inter se forma, & priuatio illius.

Et si inquiras, quare sicut datur

datur priuatio formæ, nō datur priuatio materiæ. Respōdetur rationem esse, quia priuatio debet præsuponere subiectū aliquod quod denominet priuatū, & quia materia prima, est primum subiectum, atq; adeò nō præsuponit aliud primum, ideo non datur priuatio illius, sed negatio, quæ nō sit in subiecto aliquo, vt non homo potest reperiri, absque subiecto aliquo in quo sit, nam chimera est non homo.

QVAESTIO. III.

Vtrum principia rei naturalis, sint tantum tria. scilicet materia, forma, & priuatio.

Rationes dubitandi.

RAtio dubitandi est: nā in primis videtur quod priuatio nō sit principium rei naturalis, nam vt habet cōmune Philosophorum axioma cum Arist. hoc lib. tex. 71. ex nihilo nihil fit: sed priuatio nihil est: ergo non est principium rei naturalis: patet consequentia, nā principium est id ex quo aliud fit.

Secundo, nam res naturales dantur à parte rei, & à parte rei producuntur: ergo debēt habere à parte rei sua principia: sed priuatio est ens rationis: ergo non est principium rei naturalis.

Tertio, quia quando. v. g. ex ligno fit ignis sicut ignis producitur ex priuatione sui tanquā ex termino à quo, ita fit ex ligno, tanquam ex termino à quo; nā generatio illa progreditur à ligno ad ignē: ergo pręter materiam, formā & priuationem, datur aliud principium, nēpe illud quod corrumpitur, dum aliud generatur.

Quarto quia in generatione substantiali, sicut in termino à quo præcedit priuatio formæ genitæ, ita in termino ad quē est priuatio formæ corruptæ. v. g. quando ex ligno fit ignis, sicut in termino à quo præcesit priuatio formæ ignis; ita in termino ad quē est priuatio formę ligni: nā adueniente forma ignis iā non est forma ligni: ergo sicut priuatio quæ est in termino à quo est principium rei naturalis; ita priuatio quæ est in termino ad quem, atque adeò sunt plura principia.

Quinto, quia etiā in termino à quo nō solū est priuatio formæ generandę, sed pluriū aliarum formarum, vt in eodē exēplo, quando ex ligno fit ignis, in materia ligni non solū pręcedit priuatio formę ignis,

ignis, sed plurium aliarū formarum, quarum est capax: ergo etiam illę omnes priuationes, quæ sunt in termino à quo erunt principia rei naturalis.

Sexto, quia vel loquimur de principiis intrinsecis rei naturalis, vel de principiis extrinsecis: si loquamur tātum de principiis intrinsecis, sequitur quod priuatio, nō sit principiū rei naturalis, quia priuatio non est pars intrinsece componens ens naturale, cum nihil sit: tum etiā, quia quando est ignis, iam nō est priuatio formæ ignis. Si autē loquamur de principiis etiā extrinsecis, tunc sequitur quod sint plura principia, præter connumerata. Probatur sequel'a, quia causa rerum naturalium quadruplex est, scilicet materialis, formalis efficiens, & finalis: sed principiū est quid superius ad causam vt supra vidimus: ergo si loquamur de principiis etiā extrinsecis, sicut sunt quatuor causæ, ita erunt quatuor principia præter priuationem.

1. Certum. In hac quæstione, vt in primis contra antiquos Phylosophos disputemus. Primo certum esse debet falsam esse eorum sententiam qui infinita rerū naturalium principia esse assignabāt, qualis fuit Anaxagoras, nam vt optimè arguit Arist. hoc lib. text. 35. ex hac sententia sequeretur, non posse haberi scientiā perfectā de ente naturali, quia scire est rem cognoscere per suas causas, & principia: si ergo talia principia infinita sunt, atque adeò impertransibilia non possemus rerum naturalium perfectam scientiam habere.

2. Certum. Secundo certū debet esse, non esse vnicum tantū principium rerum naturalium, vt Hæsiodus Heraclytus, & plures alij assignarūt. Ratio est quia vt supradiximus disput. 1. ostensum est corpora naturalia necessario cōponuntur ex partibus diuersæ rationis, quarū alterā appellamus materiam, alteram vero formā: ergo necessario est constituere plura principia entium naturalium.

Secūdo cōtra antiquos Philosophos, qui asserebant omnia fieri ex vno elemēto qualiter Tales Millesius aquā esse omnium rerum principiū. asseruit Anaximenes aerem Heraclitus ignem, Hesiodus terram. Contra hos quidē potest fieri euidens argumentū: quia de ratione principij est quod non fiat ex aliis, nā cum de ratione principij sit quod sit primū in eo genere quo prin-

principiat non potest fieri ex alio principio, aliàs iã esset aliud prius ipso: sed quodlibet elementum habet sua propria principia, ex quibus integratur, nempe materiam & formam, vt supra ostendimus de omni corpore naturali: ergo nullum elementum potest habere rationem principij entium naturalium.

Et si obiicias; nam saltem omnia corpora mixta componuntur ex elementis: ergo elemẽta saltem sunt principia, respectu mixtorũ. Respondetur negando consequentiam, nam de ratione principij est quod non componatur ex aliis, vt dixi, & quia elemẽta habent sua principia ex quibus componuntur, ideo non habent rationem principij, adhuc respectu mixti.

Restat ergo ex dictis, quòd principia entium naturalium debeant esse plura; & finita; vnde oportet eorum numerum inuestigare: loquimur autem de principiis rerum generabilium, & corruptibilium; nam cœlum quod ingenerabile, & incorruptibile est, cum fuerit factum per creationem à Deo, non fuit factum ex priuatione, tanquã ex termino à quo, quia non præcessit materia illius priuata eius forma; sed tantum à Deo creatum est, & ideo Arist. dum hæc principia tradit apertè loquitur de rebus generabilibus, & corruptibilib. vt videre est tex. 71. & 78

De quibus principiis fit quæst.

Sed rursus notandum est quod hic, vel possumus loqui de principiis rei naturalis, vel de principiis generationis rei naturalis, quod alij dicũt, quod possumus loqui de principiis rei naturalis in fieri dũ generatur, vel in facto esse, quando iam consideratur facta, & secundum se.

Assertio 1.

Dico ergo primo, duo tantũ sunt principia rei naturalis secundum se consideratę; vel vt alij loquuntur in facto esse. Hanc sententiam docet cõmuniter interpretes cum Arist. hic à textu 58. vsque ad 65. Et probatur, quia illa sunt principia rei naturalis in facto esse, & secundum se consideratæ, quæ illam cõponunt: sed omnia corpora naturalia, tantũ componuntur ex materia, & forma: ergo tãtũ sunt duo principia rei naturalis in facto esse, scilicet materia, & forma.

Difficultas.

Sed statim oritur difficultas, quia vt supra vidimus disputat. 2. præter materiam, & formã, datur in quolibet corpore naturali, modus quidam substantialis, quo ma-

teria, & forma inter se vniuntur, qui appellatur modus vnionis, qui modus vnionis, etiam pertinet ad integritatem corporũ naturalium, cũ talia corpora resultẽt ex vnione materiæ cum forma: ergo præter materiam, & formam, datur aliud principium, nempe iste modus vnionis.

2. Argum. Secundo, quia corpora naturalia, etiam dicunt subsistẽtiam, quæ vt infrà dicemus, est etiam modus quidã substantialis distinctus à naturalium corporũ, & vltimum cõplementũ substantiale ipsius substãtiæ, & ita pertinẽs ad eius integritatem perfectã substantialẽ: ergo præter materiam, & formã datur aliud principium rei naturalis etiã in facto esse consideratæ.

Resp. ad 1. assfinit. Sed respondetur ad primũ, quòd quãuis modus vnionis sit de integritate corporis naturalis, non tamen tanquam pars propriè loquendo, sed tanquam vnitiuum partium, & ita propriè loquendo non debet appellari principium rei naturalis in facto esse, quia principia in facto esse sunt illa, quæ sunt partes essentiales componentes ipsum corpus naturale. Vnde sicut quanuis punctum initiatiuum lineæ dicatur principium lineæ, quia illam initiat, tamen puncta continuatiua, nulla ratione possunt dici principium lineæ, quia nõ sunt in illa sicut partes componentes illam, sed sicut vnitiuum partium: ita ille modus vnionis, quia solum est vnitiuũ partium, ex quibus componitur corpus naturale, ideo non appellatur principium rei naturalis.

2. Responsi. Vel secundo respondetur illum modum reduci ad materiã, quia est modus ipsius materiæ ab illa inseparabilis, quod secus est de forma, quę vt infra dicam saltem per Diuinam potentiam, à materia separari potest.

Ad 2. sere. Et similiter respõdetur ad aliud de subsistentia, verum esse pertinere ad integritatem substantialem corporis naturalis, & ita deberi connumerari inter principia illius, tamẽ reducitur ad formam, quia subsistentia suppositi oritur à forma substantiali illius statim ex natura rei, & ita vsurpatur idẽ principium quod forma, quamuis vero forma fiat ex materia, sed non statim eo ipso, quod materia est, donec disponatur ad habendã talem formam; & ita forma, & materia, appellantur diuersa principia.

Dico secundo principia gene-

generationis rei naturalis, vel vt alij locuntur principia rei naturalis in fieri sunt tria, scilicet, materia, forma, & priuatio. Hanc conclusionem docuit Aristoteles, textu 67. & deinceps, cui iam omnes hac in parte consentiunt. Et ratio est, quia omnis mutatio essentialiter requirit duos terminos, alterum, à quo, alterum vero ad quem: nam transmutatio fit ab vno ad aliud. Similiter mutatio essentialiter requirit subiectum, quod transmutetur ab vno termino ad alium: sed generatio est quędam mutatio substantialis, nam per illam materia prima transmutatur abiiciendo vnam formam, aliamque de nouo recipiendo: ergo necessario requiruntur tria principia ad generationem rei naturalis, nempe terminus à quo, qui est priuatio formæ generandæ, & terminus ad quem, qui est forma genita, & subiectum manens sub vtroque termino, quod est materia prima, quæ cum antea esset sub priuatione formæ generandæ, deinde per generationem illam recipit.

Quid aduerte. Est tamen aduertendum, quod hæc principia dicuntur essentialia, & intrinseca generationis rei naturalis, nó quidem, quia sint illi intrinseca tanquam prædicatum essentiale, vel pars essentialis. Cuius ratio est, quia generatio est quædam actio de prædicamento actionis, & ita est accidens quoddam: ergo cũ materia, & forma sint substátia, non possunt hoc modo esse de essentia illius. Tum etiam, quia priuatio non est in instáti generationis, cum tunc iam sit forma producta per generationem, sed potius fuit tempore immediato ante generationem: ergo nó est de intrinseca illius essentia: solum ergo dicũtur hæc tria principia essentialia generationi, quia nullo modo potest intelligi, ꝙ fiat generatio sine his tribus principiis.

Illat. I. Ex quo etiam infero quod ad creationem non concurrunt hæc tria principia, nisi tantum terminus à quo, & terminus ad quem. Cuius ratio est, quia cum creatio fiat ex nullo præsupposito subiecto non datur subiectum aliquod, quod sit principium illius, & ita ad illam solum concurrit terminus ad quem, qui est res producta, terminus verò a quo est negatio illius rei productæ, & nó priuatio quia priuatio præsupponit subiectum, quod sit priuatum; in

creatione autem nullum subiectum præsupponitur, sed totum fit de nouo.

Illatio 2. Infero secundo, quod etiã in quauis mutatione accidentali, vt quando aliquod subiectum fit calidum, etiam concurrũt tria principia, scilicet terminus à quo, & ad quem, & subiectũ mutationis, quia nulla mutatio potest intelligi sine his tribus: est tamẽ differentia, quod in mutatione substantiali, qualis est generatio, producitur aliquid substantiale; in mutatione verò accidentali, solum producitur aliquid accidẽtale. Verũ vero terminus à quo in omni mutatione accidẽtali debeat esse aliquid positiuum, vel potius priuatio, alibi dicam.

Tandem aduertẽdum est, quòd cum dicimus principia rei naturalis esse tria, non loquimur in specie, sed in genere; nam inter formas quæ generãtur sunt variæ species, qualiter forma equi differt specie à forma ignis, & ita ex parte termini à quo diuersa est priuatio formæ equi à priuatione formę ignis: quia priuationes distinguuntur specie per diuersum habitum quo priuant.

Ad rationes dubitandi in principio quæstionis adductas respondetur: ad primá illud commune Philosophorum axioma, *quod ex nihilo nihil fit*, debere intelligi tanquam ex subiecto; ita vt sensus sit ex nullo subiecto præsupposito nihil fit, naturaliter loquendo, non tamen debet intelligi, tanquam ex termino à quo, nam hac ratione ex priuatione, quæ nihil est, fit ens naturale.

Ad secundam verum esse, quòd principia rei naturalis debent dari à parte rei, sicut ipsum ens naturale datur à parte rei, & ita priuatio non est principium rei naturalis, quatenus est ens rationis habens esse per intellectũ, sed quatenus est quædam carentia existens à parte rei, nõ existentia positiua, cum nihil sit, sed negatiua, vt dictum est in Logica. *Resp. ad ratio. dub.*

Ad tertiam, quod quando ex ligno fit ignis, terminus à quo per se, de quo nũc loquimur, tantum est priuatio ignis, quia per se loquendo fit ignis ex non igne, forma vero ligni, appellatur terminus à quo per accidẽs, quia, vt ignis fiat per accidens est, quod fiat ex ligno, vel ex aere, per se verò tantum requiritur, vt materia recipiat formam ignis, quòd antea non habuerit illam.

Sed

Sed instabis, nam ex hoc sequitur quod quando generatur equus, terminus à quo per se illius generationes sit forma embrionis. Probatur seque la, quia cũ forma equi habeat ex natura rei sub ordinationem ad formam embrionis, ita vt non possit generari nisi præcedenti embrione, sequitur quod termi nus à quo per se illius generationis sit forma embrionis. Respondetur negando sequellam, nam quod forma equi non possit generari, nisi præcedenti embrione prouenit ex naturali sub ordinatione, quam habet ad formá embrionis, tamen per se loquendo non est terminus à quo generationis illius, quia si per impossibile daremus materiam in qua introducitur forma equi non habuisse antea formam embrionis, habuisse tamé dispositiones requisitas & sufficientes ad formam equi, ita bene posset recipere formam illam, ac si habuisset formam embrionis, & ita solúm est terminus à quo per se priuatio formę generandæ.

Ad quartam respondetur, quod quando aliquid generatur duplex actio considerari potest; altera productiua formæ, cuius terminus ad quem est ipsa forma genita, altera vero corruptiua formę præexistentis, nam vt Arist. docuit 1. lib. de generatione cap. 3. *generatio vnius est corruptio alterius*, & terminus ad qué huius corruptionis est priuatio formæ præexistentis, terminus vero à quo est ipsa forma, quæ postea corrumpitur nam cum sit actio destructiua tendit ab esse formę ad nõ esse illius: sicut è contra generatio quæ est actio productiua tendit ex non esse ad esse, & ita priuatio formæ corruptæ, quæ consequitur ex productione formæ genitæ non est terminus ad quem generationis, sed corruptionis.

Ad quintam, quod quanuis in termino à quo generationis non solum præcedat priuatio formæ generandæ, sed plurium aliorum formarum, quibus materia priuata est, tamé terminus à quo per se generationis solum est priuatio formę generandę, quia illud est terminus à quo ad quod per se dicit ordinem terminus ad quem, forma vero genita per se solúm dicit ordiné ad priuationem sui, ex qua tanquam ex termino à quo fit, non vero ad priuationem aliarum formarum, quia si fingeremus non præ-

cessisse illas priuationes, præcessisse tamé priuationé formę genitæ, optimè posset fieri generatio talis formæ, quia vt materia recipiat aliquam formam, satis est quod nó habuerit illam.

Ad sextam quod hic loquimur de principijs, siue sint intrinseca, siue extrinseca, & ita priuatio est principium generationis intrinsecum, quia quanuis sit necessario requisitum ad illam, & ita hoc modo dici posset intrinsecum, tamen absolute appellatur principium extrinsecum. Primo quia est extra essentiam generationis cum talis actio aliquid sit, priuatio vero nihil.

Secundo, quia priuatio nó est in eo instanti in quo est generatio, quia in actionibus instantaneis simul est actio & terminus productus, qua ratione cum intellectio sit actio instantanea in eodem instanti in quo est intellectio, est terminus productus per intellectionem: ergo in instanti generationis est forma producta, quæ est terminus ad quem: ergo in instanti generationis nó est priuatio formę, alias in eodé instanti temporis eadem forma esset & non esset: ergo priuatio non est in instanti generationis, sed fuit tempore immediato ante illud instãs; & re uera hoc sufficit ad ratioʼné principij, quia ab illa priuatione quę fuit tempore immediato ante instans generationis inchoatur generatió rei naturalis tanquam ex termino à quo.

Ad aliud vero quod dicitur quod si loquamur de principijs etiam extrinsecis sequitur quod sint plura principia, scilicet causa efficiens & finalis. Respondetur negando sequellam, quia generatio rei naturalis duobus modis considerari potest; vno modo vt actio, & hoc modo verum est quod dicit essentialé ordinem ad agens; alio vero modo consideratur pręcisse, vt mutatio est, & hoc modo tantúm dicit ordiné ad subiectum quod mutatur & ad terminos mutationis, quia mutatio, vt sic, præcissè tantum dicit esse transmutationem subiecti ab vno termino ad alium terminum, & ita vt mutatio est, tantum respicit subiectú & terminos mutationis, scilicet à quo & ad quem. Vnde ad argumétum respondetur quod hic loquimur de generatione vt mutatio est non vero vt actio.

Obiectio. Sed instabis. Ideo actio, vt actio est, dicit essentialem ordi-

ordinem ad agens, quia actio vt actio non potest considerari nisi proueniat ab agenti: sed etiam mutatio, vt mutatio est, non potest intelligi quin proueniat ab aliquo mutante effectiue: ergo etiam vt mutatio est dicit intrinsecum ordinem ad causam efficientem.

Respond. Respondetur negando minorem nam mutatio solum dicit habitudinem essentialem ad id quod mutatur ex vno termino ad alium, quod secus est de actione. Cuius rei argumentum est: quia in diffinitione actionis ponitur agens nam diffinitur actio, hoc modo, *actio est fluxus proueniens ab agente*, in diffinitione vero mutationis nulla fit métio agentis, sed subiecti: nam mutatio diffinitur hoc modo: *mutatio est qua subiectum se habet aliter ac antea se habebat.* Vbi etiam significatur habitudo mutationis ad terminũ à quo, qui erat antea, & ad terminum ad quem, ratione cuius aliter nunc se habet.

Illud tandem in hac quæstione animaduersione maxime dignum est, quòd terminus à quo in generatione substantiali non semper est, priuatio formæ substantialis, nisi quando per generationé producitur talis forma substantialis, non vero in homine in quo forma substãtialis eius: nempe anima rationalis non fit per generationem, sed per creationem. Ratio est aperta: quia terminus ad quem generationis hominis non est anima rationalis, sed modus vnionis vt supra disputatione 2. ostensum est: ergo terminus à quo in generatione hominis non est priuatio animæ rationalis, sed priuatio vnionis materiæ ad animam rationalé. Patet consequentia, quia terminus à quò in generatione substantiali est priuatio termini ad quem, tamen in omnibus alijs rebus, præter hominem cum forma generetur de nouo, & non fiat per creationem terminus à quo est priuatio formæ generandæ.

(?.)

DIS-

DISPVTATIO QVINTA, DE MATERIA PRIMA QVÆ est alterum ex principijs rei naturalis.

PERGIMVS iam ad disputandum de singulis principijs rei naturalis in particulari considératis, & quidem de materia prima disputat Aristot. hoc lib. text. 79. vsque ad finem libri; huius autem materiæ considerationem ad physicũ pertinere docuit Arist. 2. Physicorum text. 21. & 26. nam cum sit pars substantialis entis naturalis de quo agit philosophus, materię disputatio ad philosophum attinet, nam distincta cognitio totius pédet ex cognitione partium: verum est etiam Metaphisicũ agere de materia, vt videre est 7. Met. hoc tamen est sub præcissa ratione entitatis quam habet, non vero prout est pars entis naturalis, & ad eius cognitionem ordinatur, hac enim ratione agit Philosophus de illa.

QVÆSTIO. I.

Vtrùm materia prima sit in rerum natura, vel non.

MAteria multipliciter solet diuidi primo alia est materia alterationis tãtúm, ex qua mutata & nõ permanente, res aliqua efficitur, qua ratione, lignum dicitur materia ex qua fit ignis, quia ex illo alterato & non manente fit ignis. Alia est materia compositionis tãtum ex qua manente & non alterata fit res aliqua, qua ratione, lapides dicuntur materia domus, quia ex illis manentibus, & non alteratis, domus construi potest. Alia vero est materia alterationis & compositionis simul, scilicet ex qua manente & aliquo modo alterata fit res aliqua, qua ratione, elementa dicuntur materia mixti, quia ex illis alteratis

Multipliciter diuiditur materia.

alteratis & quodàmodo manentibus fit mixtum. Hanc distinctioné docuit Auerr. 2. Physicor. text. 31.

Secundo potest diuidi materia in materiam ex qua, in qua, & circa quam: materia ex qua illa est ex qua aliquid fit, vt domus ex lapidibus: materia vero in qua, est in qua aliquid recipitur, qua ratione substantia appellatur materia in qua recipiuntur accidentia: materia verò circa quam est obiectum circa quod versatur sciétia aliqua, vel potentia, & ita appellatur obiectum materiale.

Multipliciter diuiditur materia.

Tertio tandem ad nostrú propositum diuiditur materia in primam, & secundam: materia secunda appellatur ipsa substantia completa integrata ex materia prima, & forma substantiali, quá plures existimát, ideo appellari materiam secúdam, eo quod omnia accidentia non subiectentur in sola materia prima, sed potius in toto composito substantiali, de quo tamen, vt fit verùm infra dicã: melius ergo dici potest, ideo substantiam completam appellari materiã secúdã, quia cum saltem sit subiectũ prædicatorum superiorũ, vt homo, respectu hominis & animalis, ideo quodãmodo respectu illorum habet rationẽ materiæ, & quia integratur ex alia materia prima ideo appellatur materia secunda, in hac ergo disputatione solum loquimur de materia prima, quæ est pars compositi naturalis.

His suppositis Parmenides, & Milesius qui existimabant omnia esse vnum ens, cõsequenter negabant dari generationes, & corruptiones substantiales, solúmque admittebant accidentales quasdam transmutationes, & ita consequenter negabant materiam, quæ sit primum subiectum transmutationũ substantialium Hanc tamen sententiam falsam esse facile cõuinci potest, nam in primis dicere quod omnia sunt vnum ens, vt homo & equus, & lapis, ita est ridiculum, vt non egeat impugnatione; quod si entia sunt diuersa, cum homo V. g. de nouo generetur, necessario illa generatio substantialis debet esse, cum generetur quædam substantia animata ex embrione, qui inanimatus est.

Parmenid. & Milesi.

Secundo, quia cũ ignis genitus ex ligno habeat proprietates, & operationes maxime diuersas ab illo signum est habere essentiam, & substantiam diuersam, atq; adeò genera-

generationē illam substantialem fuisse & non tantum accidentalem transmutationem.

Ex hoc principio omnes Philosophi Peripatetici scilicet qui Aristotel. doctrinam secuntur euidenter demonstrant dari à parte rei materiam primā quæ sit pars substantialis corporis naturalis, & primum subiectum transmutationis substantialis. Probatur, nā ex nihilo nihil fit: ergo formæ substātiales, quę fiunt de nouo necessariò debent fieri ex aliquo præsupposito subiecto, aliàs productio illarum formarum non esset generatio, sed creatio: ergo dandum est primum subiectum substantiale ex quo omnes formę producantur, hoc autem appellatur materia prima; ergo.

Datur materia prima in rerū natura.

Secundo, quia si ad generationem formarum non esset necessarium aliquod subiectum ex quo tales formæ fierent: ergo non essent necessariæ dispositiones præuiæ ad expellendam priorem formam. Patet consequentia, quia si non datur aliquod subiectum quod debeat disponi ad abijciendam à se formam præexistentem, aliamque de nouo recipiendam, dispositiones præuiæ omnino impertinentes sunt: sed experimur quod vt lignum fiat ignis prius disponitur per calorem, ergo.

Et si dicas esse ad corrumpendam substantiam præexistentem v.g. lignum vt deinde generetur ignis. Cōtra est nam si forma ignis non introducitur in materia ligni non esset cur lignum corrumperetur, vt fieret ignis, ideo enim corrumpitur, quia forma ignis adueniens expellit formam ligni, natura autem nō intendit corruptionē per se, sed propter generationē alterius rei: ergo ideo est vt in materia rei corrumpendæ introducatur de nouo forma geniti: datur ergo primū subiectum transmutationis formarum quod appellatur materia prima.

Tertio, quia si generationes substantiales fiunt nullo præsupposito subiecto, sequitur quod omnes generationes fiant in instanti quod tamen est contra experientiā: nam experimur ignem in ligno paulatim introduci. Sequella vero probatur, nam tota ratio assignabilis quare generatio aliqua sit successiua est, quia datur aliquod subiectum quod paulatim disponatur ad recipiendam nouam formam: nam si nullum

est

est subiectum quod indigeat disponi, quare generatio nō fiet in instanti ab agente naturali: ideo ergo successiuè fit quia datur subiectum aliquod quod successiue disponatur ad talem formam recipiendam; hoc autem subiectum formæ substantialis, est materia prima: ergo datur in rerum natura.

Differentia inter generat. & creationem.

Vt autē intelligatur, quæ sit differentia inter generationem, & creationem aduertendum est, substantiam aliquam tantúm tribus modis posse fieri de nouo: primo ita vt producatur prorsus ex nihilo, & tunc appellatur creatio. Secundo ita vt producatur ex aliquo subiecto præsupposito, & tunc est generatio. Tertio, ita vt fiat ex alio, non tanquam ex subiecto: sed veluti ex termino à quo, ita vt tota res, quę præfuit in termino à quo conuertatur in aliam de nouo productam, quæ actio appellatur transsubstantiatio, quia vna substantia transsubstantiatur in aliam de nouo productā, ita vt nihil maneat imutatū, qualis est illa miraculosa actio; quæ in sacramento Eucharistiæ panis conuertitur in Corpus Christi, nam nihil substantiæ panis manet, adhuc materiæ primæ, vt fides docet, sed totus panis conuertitur in Corpus Christi, ex quibus actibus sola generatio potest fieri ab agente naturali non vero creatio, aut transsubstātiatio, nisi fortasse miraculose, & de potentia Dei absoluta, vt instrumentum Dei. Quod vero nullum agens naturale vt causa principalis possit creare, aut, transsubstantiare probatur: quia omnis productio etiam si fit ex subiecto præsupposito arguit aliquā virtutem in causa producente; omnis enim operatio supponit virtutem aliquam actiuam, a qua proueniat: ergo operari ex minori subiecto argŭit maiorem virtutem, & ex minori maiorem: ergo producere aliquid ex nullo subiecto præsupposito, qualiter fit in creatione & transsubstantiatione arguit infinitam virtutem in causa principali: sed omnia agentia creata, finita sunt, & ita finitam, & limitatum habent virtutem productiuam: ergo non possunt in genere causæ principalis attinge creationem, aut transsubstantiationem, & ita signum est quod quando agentia naturalia producunt formam

formam aliquam substantialem est ex subiecto aliquo præsupposito, quod appellatur materia prima: datur ergo à parte rei materia prima quæ sit primum subiectum ex cuius potentia educũtur omnes formę saltem corporeæ, vt infra dicam.

QVAESTIO. II.

Quid sit materia prima.

CErtum debet esse in hac re materiã primam esse ens reale. Probatur, nam materia prima est pars corporis naturalis, pars autẽ vt componat totum reale necessario debet habere entitatem aliquam realem, quia totum habet esse à suis partib⁹. Pręterea, quia sequeretur formas omnes substãtiales creari, & non generari; fiunt enim vt diximus, ex materia prima: ergo si hæc nihil est, iam fierent ex nullo præsupposito subiecto, & ita crearentur: signum ergo est illud primum subiectum ex quo formæ substantiales fiũt esse aliquid reale.

Assert. I. Quo supposito dico primo in hac quæstione materia prima non est aliqua entitas accidentalis, sed substantialis. Sic docuit Aristot. 2. de anima cap. 1. & 7. met. text. 7. & 8. met. text. 2. & hoc lib. tex. 79. & ratio est, quia omne accidens natura sua præsupponit subiectum cui inhæreat, sed materia prima nõ potest præsupponere subiectũ cui inhęreat quia ipsa est primũ subiectũ: ergo nõest aliquod accidens, sed substantia.

Quid aduert. Est tamen aduertendum, quòd quanuis forma sit perfectior substantia quam materia, quia forma est actus substantialis perficiens materiã ipsam, cum hoc tamẽ potest materia appellari magis substantia quam forma in ratione substandi, quia materia non solum substat accidentibus, sed etiam ipsi formæ, & ita in ratione substãdi est magis substantia quàm forma: sicut Arist. cap. de substantia docet primam substantiam esse magis substantiam quam secundam, quia substat accidentibus & ipsis secũdis substantijs.

Assert. 2. Dico secundo materia prima est substantia incompleta natura sua ordinata ad cõponendum corpus naturale, quod est substantia completa: hæc etiam conclusio colligitur ex Aristot. locis citatis. Et probatur, quia corpus naturale est vnum per se: sed omnia

omnia corpora naturalia integrantur ex materia, & forma, vt supra ostensum est disputatione 2. ergo materia & forma sunt substantiae incompletae. Patet consequentia, quia ex duobus entibus completis non potest fieri vnum per se.

Assert. 3. Ex his dico tertio materiam esse partem essentialem corporis naturalis, ita quod sit pars essentiae illius. Sic docuit Boetius lib. de duabus naturis ex vna persona Christi, & Augustinus lib. 19. de ciuitate Dei capit. 30. Sanct. Thomas 1. part. quaestion. 75 articul. 4. & 1. contra gentes capit. 21. denique est communis sententia, quae hac ratione probatur, quia si integra essentia corporis naturalis in sola forma consisteret, homo ex sua essentia esset incorruptibilis, quia eius forma quae est anima rationalis incorruptibilis est: ergo integra essentia hominis non solum est forma, sed etiam materia illi vnita, & hinc optimè assignatur ratio, quare cum in homine non solum anima rationalis, sed etiam materia prima illius sit in generabilis, & in corruptibilis, vt dicemus postea, nihilominus ipse homo corruptibilis, & generabilis sit. Ratio in quàm est, quia corpora naturalia non solùm dicunt materiam, & formam, sed etiam modum illum substantialem vnionis, quo materia & forma vniuntur. Vnde quia vnio quae est inter materiam & formam dissolui potest, quantunuis tam materia quàm forma hominis incorruptibiles sint, nihilominus homo corruptibilis est. *Quare homo dicatur corruptibilis.*

Secundo probatur conclusio, quia si integra hominis essentia saluatur in sola forma, sequitur hominem spiritualem esse, quia anima rationalis spiritualis est; cum ergò homo ex sua essentia corporeus sit, ideo est quia materia includitur, in eius essentia, & ita ab illa materialis denominatur.

Vnde etiam intelligi potest quae sit ratio quare cum homo habeat alteram partem spiritualem scilicet animam rationalem. Alteram vero corpoream scilicet materiam primam potius denominatur corporeus, quàm spiritualis. Ratio est, quia in corporeũ dicit omnimodam negationẽ corporis, & ità quod aliqua ratione habet corpus corporeũ est, neque obstat quod vnum quodque habeat esse à sua forma, *Quare homo denominatur potius corporeus, quàm materialis.*

 quia

quia quamuis vltimate sumatur esse à forma, non tamen adæquate, cum etiam materia sit pars quidditatis rei naturalis: quamuis autem forma hominis sit spiritualis vt quod tamen est corpora vt quo, idest, est forma corporis.

Ex quibus infertur quod sicut materia in communi est de essentia corporis naturalis in communi considerati; ita hæc numero materia est de essentia indiuiduali huius numero corporis, hoc enim probant etiam rationes factæ: nam si integra essentia huius numero hominis saluatur in sola hac anima rationali, hic homo esset spiritualis, & incorruptibilis.

Secundò, quia sicut se habet corpus naturale in communi ad materiam in communi consideratam; ita hoc numero corpus ad hanc numero materiam: sed materia prima est de quidditate corporis naturalis: ergo hæc numero materia est de quidditate indiuiduali huius numero corporis.

Et si obijcias Aristotel. 5. metaphysic. capite 2. & sæpe alibi, vbi diffinit formam dicens: *forma est ratio & quod quid erat esse rei*, quasi dicat est quidditas & essentia rei.

Respondetur Aristotelem non excludere materiam à quidditate rei, sed præcipue appellat formam quidditatem rei, quia est vltimum complementum essentiale rei.

Dico quarto entitatem materiæ primæ esse realiter & essentialiter diuersam à forma, sicut duo entia partialia diuersæ rationis: hæc etiam conclusio communis est, quam tenet Sonzinas septimo met. quæstione dezima nona Pereir. libro quinto Physicorum capite vndezimo, & primo. *Assertio 4*

Quod materia, & forma distinguantur realiter tanquam res à re probatur: quia illa distinguuntur tanquam res à re, quæ possunt ad inuicem separari: sed materia, & forma possunt ad inuicem separari, vt patet de materia, & anima rationali, quarum vtraque manet separata ab alia, & idem est de alijs formis corporeis, istæ enim saltem de potentia Dei absoluta possunt conseruari separatæ à materia, vt infra ex communi omnium opinione dicemus: er-

go

go materia & forma distinguuntur, sicut duæ res saltem partiales: quod verò distinguantur essentialiter, probatur.

Nam materia habet essentiam diuersæ rationis à forma: nam materia est pura potentia receptiua formarum; quæ semper manet ingenerabilis, & incorruptibilis, quia cum sit primum subiectum non potest generari ex alio subiecto: sed omnes formæ præter animam rationalem sunt generabiles, & corruptibiles, & nulla illarum est primum subiectum, quod sit in pura potentia ad formam qualis est materia prima: ergo materia & forma distinguuntur essentialiter.

Hinc patent, quod materia & forma non faciunt, vnum per continuationem: nam continuatio solum fit inter ea, quæ sunt eiusdem rationis, qualiter pars aquæ de nouo adueniens continuatur cum præexistentibus, quia omnes sunt eiusdem rationis cum quælibet pars sit aqua: albedo vero non continuatur cum quantitate, quia sunt diuersæ rationis, sed vnitur illi sicut forma cum subiecto: cum ergo materia, & forma substantialis sint diuersæ rationis non possunt inter se continuari: solum ergo faciunt vnum per compositionem, quia vniuntur inter se, sicut actus & potentia ad componendum corpus naturale.

Sed contra hoc obijci potest, nam omnis distinctio fit per aliquem actum, omnis enim actus separat, & distinguit vt docuit Aristoteles septimo meta. textu quadragesimonono: sed materia est pura potentia: ergo nullum dicit actum, atque adeò non potest distingui à forma. Respondetur quod quanuis materia prima sit pura potentia in ordine ad actum formalem, ita quod nullam formam includat, habet tamen actum saltem entitatiuum, vt quæstione sequenti patebit.

Ex dictis hactenus colligitur vera diffinitio materiæ primæ quam tradit Aristoteles hoc libro textu vigesimo octauo in hunc modum: *Materia prima est primum subiectum ex quo aliud fit cũ insit primo, & per se & non secundum accidens*: Appellatur primum subiectũ ex quo aliud *Definitio materiæ primæ.*

H 2 fit

sit ad explicandam illam ex nullo alio præsupposito subiecto generari, & ita ingenerabilem, & incorruptibilem esse. Dicitur, *ex quo aliud fit*, ad significandum materiam primam esse partem substantialem ex qua componitur corpus naturale permanens in illo, & ita additur, *cum insit*, illa vero particula, *Per se & non secundum accidens*, significat totum substantiale, quod fit ex materia prima esse vnum per se, & substantiale non vero vnum per accidens. Aliter definiuit illam Aristoteles per negationes 7. Metaphysic. text. 8. dicens: *Materiam primam per se ipsam neq; esse quid, neq; quantum, neque quale, neq; aliquid alterum generum*; ad significandum materiam primam in nullo prædicamento directè poni, eo quod est substantia incompleta, reductiue tamen ponitur in prædicamento substantiæ.

QVÆSTIO. III.

Vtrum materia prima sit pura potentia nullum includens actum.

IN hac quæstione duo à nobis examinanda sunt primo, vtrum materia prima sit pura potentia quod nullum includat actū. Secundo vtrum hæc pura potentia sit de essentia materiæ. Circa primum prima sententia affirmat materiam primam ita esse puram potentiam, vt nullum omnino includat actum. Pro qua sentētia citari solet Toletus Sanctus Thomas 1. parte quæstione 66 articulo 1. ad 3. & quæstion. 115. articul. 1. ad 4 & hoc lib. super textum 79. tenet etiam eandem sententiā Durandus in 4. distinction. 44. quęstion. 1. Capreolus in 2. distinct. 13. articul. 3. ad 5. Scot. Sonzin. 7. met. quæstion. 116. & 17 & 19 Sotus 1. Physicorum quæstion. 6. & communiter Tomistæ, probantque suam sententiā primo ex Aristotele hoc libro textu 78. vbi dicit contra antiquos Philosophos, *Res naturales fieri ex non ente in actu, ente tamen in potentia*: appellat ergo materiam primam ens, non in actu aliquo modo, sed in potentia: & similia verba habet primo de generatione capite tertio. 1. Sentent.

Secundo, quia in rerū natura

ta datur aliquod ens, quod ita est purus actus, vt nullam prorsus dicat potentiam passiuam, Deus scilicet: ergo etiam debet dari aliquod ens quod ita sit pura potentia, quod nullum includat actū, hoc autem non potest esse aliud nisi materia prima, quę cum sit pura potentia passiua maximè distat à Deo: ergo materia prima nullum omnino actum includit.

Tertio, quia ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum per se, sed per accidens: ergo cum forma sit quidam actus substantialis, si etiam materia prima includit aliquem actum, sequitur ex materia & forma substantiali non fieri vnum per se.

Quartò, quia cum materia prima sit substantia, si in se includit aliquem actum debet actus ille esse substantialis, ergo male appellatur ab autoribus materia prima pura potentia substantialis siquidem includit aliquem actum substantialem.

Quintò, quia sequeretur materiam primam ex sua essentia esse actiuam & operatiuam, quod omnes negant. Probo consequentiam: nam omnis operatio prouenit ab actu aliquo, qualiter ignis calefactiuus est, quia habet actum caloris: si ergo materia prima habet aliquem actum, sequitur illam esse actiuam, & operatiuam.

Secunda tamen, & vera sententia à nobis tenenda est, quod quanuis materia prima sit pura potentia subiectiua in ordine ad formas substantiales, includat tamē aliquem actum entitatiuum. Sic docuit Scotus in 2. distinct. 12. quęstion. 1. & 2. Gregorius eadem distinction. 1. quæstion. 1. & ibidem Gabriel Antonius Andreas 7. Met. quæstion. 8. simplicius & Themistius 1. physicorum text. 61. & optimè Toletus quæst. 13. & Perei. 5. Physicorum cap. 13. *Ver. sent.* *Materia includit actū entitatiuū.*

Pro cuius explicatione aduertendum est, quòd cum omnis potentia dicat ordinem ad actum aliquem, sicut actus est triplex, ita & potentia: nam primo sumitur actus pro operatione aliqua, & potentia, quæ correspondet huic actui, appellatur potentia actiua, de qua modo non loquimur, sicut nec loquimur de actu, prout est idem quod operatio, nam vtrum materia prima ex se sit operatiua dicam in solutione quinti argumenti. *Quid aduertend.*

Secundo sumitur actus

pro actu formali, qui est forma præsupponés subiectum aliquod ex quo fiat, & huic actui correspondet potentia subiectiua: nam cum omnes formæ educantur ex potentia subiecti, ideo potentia, quę est receptaculum formarum appellatur potentia subiectiua.

Tertio sumitur actus pro actu entitatiuo, qua ratione quidquid ex se habet entitatem aliquam, ita quod non sit nihil appellatur actus entitatiuus, & huic actui correspondet potentia obiectiua quam habent omnes res ante quam producantur, vt sint actu entia in rerum natura.

Dubitat. Solet autem dubitari quid sit hæc potentia obiectiua, & respondetur breuiter potentiam obiectiuam nihil aliud esse quàm ipsam essentiam rei possibilis, quæ ex se non repugnat fieri à diuina potentia, & ita appellatur potentia obiectiua, quia est res ipsa, quæ est obiectum possibile fieri à diuina potentia: vel secundo appellatur potentia obiectiua, quia res ante quam sit actu nullũ habet esse nisi obiectiuè in mente diuina.

Neque valet dicere vt cõtrarij asserunt actum entitatiuum propriè non mereri nomen actus, dicunt enim apud Aristotel. talem actum non inveniri, quin potius Aristotel. 5. met. text. 14. diuidit ens, in actum & potentiam: sentit ergo esse aliquod ens, cuius ratio in sola potentia consistat absque eo quod sit actus. Hoc in quam nihil valet, quia quamuis Aristotel. non admittat actum entitatiuum sub hoc nomine, tamen rem ipsam reuera admittit, nam 7. met. text. 49. dicit quod omnis distinctio fit per aliquẽ actũ: sed materia habet entitatẽ diuersam à forma, & quodlibet ens ab alio ente: ergo admittit omnem entitatem esse aliquo modo actum, saltem entitatiuum, & ita apud Metaphysicos receptum axioma est, quòd omnis entitas est aliqua actualitas: quando vero Aristotel. diuisit ens in actum & potentiam, non distinguit contra actum entitatiuum, sed contra actum formalem, quasi dicat, ens, aliud esse actum formalem, aliud vero potentiam subiectiuam, totum vero compositum integratur ex potentia & actu.

Secundò, quod actus entitatiuus propriè mereatur nomen

nomen actus ex eo probari potest: quia postquam res est actu producta excluditur potentia obiectiua quam habet ad essendum: sed illa potentia non posset excludi, nisi per aliquem actum aduenientem: ergo actus entitatiuus proprie meretur nomen actus.

Assert. 1. Quo iacto fundamento dico primo in hac quæstione materia prima est pura potentia subiectiua, idest, ex sua essentia nullum includit actum formalem. Hac conclusionem docuit Aristotel. hoc libro textu 82. dum dicit materiam primam esse primum subiectum, & hoc modo intelligenda sunt loca Aristotel. adducta pro contraria sententia, cum dicit entia naturalia fieri ex non ente in actu, quod tamen est ens in potentia. Et ratio est quia omnis actus formalis præsupponit potentiam subiectiuam quam informet; & ex cuius potentia educatur: ergo si materia in sua essentia includeret actum aliquem formalem, daretur aliud subiectum prius, quod informaret, & ex quo fieret: ergo iam materia non esset primum subiectum. Dicendum ergo est primum subiectum qualis est materia prima non posse in sua essentia includere aliquem actum formalem.

Assert. 2. Dico tamen secundo, materia in sua essentia dicit aliquem actum entitatiuum: hanc conclusionem tenent Autores citati pro secunda sententia, & probatur ex dictis: nam omnis entitas est actus aliquis entitatiuus, vt probatum est; sed materia est aliqua entitas ex sua essentia, aliàs esset nihil, & ita res naturales fierent ex nihilo; ergo materia prima dicit aliquem actum entitatiuum.

2. Ratio. Secundo, quia si materia non haberet aliquam propriam entitatem ex sua intrinseca essentia non esset pars corporis naturalis compositio enim debet esse ex duobus entibus in actu: ergo dicit actum entitatiuum. Et hinc sequitur ratio, quare substantia secunda, quæ est totum compositum non posit appellari pura potentia subiectiua, quia cum compositum includat formam, quę est actus formalis non potest dici pura potētia, nisi fortasse cum addito diminuente, scilicet in ordine ad formas accidentales, quia substantia completa ex sua

sua essentia nullam involuit formam accidentalem. Addo tamen materiam primam absolute loquendo esse appellandam puram potentiam quia Aristotel. & omnes Philosophi dum illam appellant puram potentiam non significant ipsam non includere aliquam entitatem, & ita aliquem actum entitatiuum, sed solum intendunt illam carere omni actu formali, & ita esse puram potentiam subiectiuam.

Nec mihi placet hac in re modus loquendi aliquorum, qui tantum detrahunt ab entitate materiæ primæ vt illam merè nihil efficiant, dicentes omnem entitatem quam materia prima habet, habere à forma tanquam à causa formali. Quod falsum esse docuit optime Sonzin. 8. met. quæst. 5. & probatur: nam si entitas materiæ primæ prouenit à forma tanquam à causa formali, sequitur materiam primam esse generabilé, & de nouo produci, probatur sequella, quia agens quod producit formam aliquam effectiue, etiā effectiuè producit effectum formalem illius formæ V. g. agens quod producit albedinem in aliquo corpore, etiam producit album: ergo si entitas materiæ est effectus formalis prouenieris à forma, sequitur entitatem materiæ efficienter produci ab agente à quo producitur forma, & ita iam materia esset generabilis.

Secundò, quia si entitas materiæ esset effectus formalis formæ, sequeretur non esse eandem numero materiam in genito & in corrupto, quod est contra omnes, aliàs esset generabilis, si alia diuersa producitur: sequellam vero probo, quia diuersæ formæ in specie diuersum tribuunt effectum formalem: sed forma geniti differt specie à forma corrupti, vt quando ex ligno generatur ignis: ergo diuersam entitatem in specie haberet materia geniti, & materia corrupti.

Dicendum ergo est intrinsecam entitatem materię primæ non habere causam formalem, sicut neque materia prima habet causam materialem ex qua tanquam ex subiecto fiat, aliàs non esset primum subiectum: solum habet materia prima causam efficientem, quæ est Deus, qui per creationem illam à principio mundi produxit: nam cum sit ingenerabilis ex præsupposito subie-

cto

cto fieri non poteſt, & ita debuit fieri per creationem. Similiter habet cauſam finalẽ, eſt enim propter ipſum compoſitum ſubſtãtiale, ad quod componendũ natura ſua ordinatur. Verum eſt materiam primam quãtum ad informationem paſsiuam, qua informatur à forma pendere à forma tanquam à cauſa formali, non tamen quãtum ad ſuam intrinſecam entitatem, & eſſentiam; ſicut in formis accidentalibus. V.g. albedo, quæ eſt forma accidentalis corporis, non eſt cauſa entitatis ipſius corporis, hæc enim ante albedinem iam ſupponebatur exiſtens, ſed ſolũ eſt cauſa quantum ad informationẽ in hoc, quod eſt informari corpus ab albedine, nam in hoc quod eſt informari corpus ab albedine depẽdet corpus ab illa: ergo idem erit de forma ſubſtãtiali ſuo modo.

Sed obiicies: nam materia prima, eſt cauſa materialis entitatis ipſius formæ, cum forma fiat ex materia tanquam ex ſubiecto: ergo ſimiliter forma poterit eſſe cauſa formalis ipſius materiæ primæ. Probo conſequentiam quia nõ videtur maior ratio vnius quam alterius. Secundo quia vt docet Ariſtot. 2. Phyſicor. text. 3. & 5. Met. tex. 2. *Cauſæ ſibi inuicem ſunt cauſæ*, qua ratione ſanitas eſt cauſa finalis curationis, & curatio eſt cauſa efficiens ſanitatis ergo forma debet eſſe cauſa formalis materiæ, & materia cauſa materialis formæ.

Reſpondetur ad rationes dubiũ di. Sed reſpondetur ad primum, eſſe diuerſam rationẽ: nam materia prima præſupponitur exiſtens ante productionem formæ tanquam primum ſubiectum ex quo formæ ſubſtantiales fiunt, & ita poteſt eſſe cauſa ipſius formæ, at vero forma non ſupponitur producta ante materiam, cũ fiat ex illa, & ita non poteſt eſſe cauſa entitatis materiæ primę; omnis enim cauſa debet ſupponi producta antequam cauſet, atque adeò exiſtens.

Neque valet dicere, quòd forma eſt prior materia in genere cauſæ formalis, ſicut materia eſt prior forma in genere cauſæ materialis, nam reuera forma non eſt prior materia, quantum ad ſuã intrinſecom entitatem, ſed prior materia quantum ad informationem paſsiuam receptã in materia, nam informatio ſupponit formam à qua prouenit: è contra vero materia eſt prior forma, etiam ſecundum ſuam entitatem conſiderata, quia eſt cauſa mate-

rialis illius vt dictum est, & omnis causa est prior suo effectu: forma tamen, non est prior materia, considerando materiam, secundum suam entitatem, quia non est hoc modo causa materiæ, vt probatum est.

Ad secundum respondet optime Sanctus Thomas, super eumdem locum, quòd quando ait Aristot. causas sibi inuicem esse causas, non loquitur vniuersaliter: nam quando ignis producit in ligno calorem, lignũ quod est causa materialis non est causa causæ efficientis, nempe ignis: loquitur ergo indefinite, idest, quòd aliquæ causæ sibi inuicem sunt causæ, vt diximus de curatione, & sanitate: sed de hoc latius 2. Physic.

Et si instes, quòd materia habet depẽdentiam à forma, cum saltẽ naturaliter loquendo, non possit esse sine forma: sed omnis dependentia ab alio est in aliquo genere causæ: ergo forma est causa materiæ. Respondetur materiam ex eo dependere à forma, quia natura sua petit informari à forma, & ita solum probatur, quòd forma sit causa materię, quantum ad informationẽ passiuam, non tamẽ quantum ad eius entitatem.

Superest respõdeamus ad argumenta Thomistarum, & in primis falsum est Aristotelem, aut Sãctum Thomam locis ibi allegatis, vnquam negasse materiam habere actum entitatiuum, quin potius apertè docent materiam habere suam intrinsecam essentiam & entitatem. Nec video qua ratione hic negari possit: sed nomine puræ potentiæ intelligunt puram potentiam subiectiuam, quæ absolute vt dixi appellanda est pura potentia. *Ad argu. Thomistar.*

Ad secundum respondetur, esse lõge diuersam rationem; nam cum ratione entis, non repugnat esse purum actum, imò perfectior actus, est perfectius ens, tamen repugnat cum ratione entis, quod ita sit pura potentia, quod non dicat actum entitatiuum, quia actus entitatiuus est ipsa entitas rei, & ita esset ens, & non ens.

Ad tertium, quod ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum per se, idest, ex duobus entibus completis, & cõstitutis, iã per actus formales, tamẽ ex actu intitatiuo, & ex actu formali bene potest fieri vnũ per se, vt ex materia, & forma: quia non sunt duo entia completa, sed vtrumq; incompletum est, & in-

& inter se habent rationem actus, & potentiæ substantialis.

Ad quartum, quod quamuis actus entitatiuus, quem dicit materia prima, sit actus substantialis, meritò tamen appellatur ab autoribus pura potentia substantialis, quia vt dictum est nomine puræ potentiæ, non significant materiam primam, nullam habere entitatem substantialem, quæ est actus entitatiuus substantialis, sed solúm intendunt, illam nullum actum formalem, siue substantialem, siue accidentalem, includere in sua essentia.

Ad quintum plures existimant materiam primam, nullam prorsus habere actiuitatem, ita vt nulla actio ab illa prouenire posit. Quorum fundamentum est, quia actio siue operatio est actus secundus formalis, est enim forma quædam accidentalis: ergo debet præsupponere actum primum formalem, qui est forma substantialis: sed materia ex se, non includit in sua essentia aliquam formam substantialem, cum sit pura potentia: ergo neque potest habere aliquam actiuitatem, qua operationem aliquam posit efficere. Secundo quia materia habet esse incertum, & indeterminatum, cum sit indifferens ad omnes formas: ergo ab illa nulla certa operatio fieri potest. Probo consequentiam, quia operari, supponit esse: ergo operatio certa, & determinata, supponit esse determinatum, & certum in causa producente.

Nobis tamen dicendum est materiam primam, non solum habere causalitatem materialem, cum sit causa materialis, ex quo fiunt omnes formæ, sed etiam habere causalitatem efficientem, per actionem aliquam saltem respectu suarum passionum, & ita saltem respectu illarum esse actiuam. Ratio est, quia omnis essentia, est causa efficiens suarum passionum: qualiter risibilitas prouenit ab essentia hominis: sed quantitas est propria passio, materiæ primæ; nam vt infra ostendam; quantitas est coæua materiæ primæ, & immediatè in illa subiectatur: ergo respectu illius habet materia prima actiuitatem ad conseruandam quantitatē sibi coæuam, quæ est quædam passio materiæ. *Respectiuè materia prima habeat efficientiam.*

Secundo quia fundamentum est causa efficiens relationis

tionis, vt probatum est in capite de relatione: sed aliquę relationes fundantur immediatè in materia prima, vt relatio creaturæ ad Creatorem, & relatio diuersitatis, quam habet cum aliis entitatibus: iam ergo in se habet aliquam actiuitatem, vt in se producat huiusmodi accidentia actione immanenti.

Tertia ratio à priori huius est, quia materia prima habet aliquam essentiam, & entitatem: ergo per illam potest esse causa efficiens suarum passionum: verum est materiam primam, non esse actiuã actione aliqua transeunti, quia nulla est ratio, quæ probet talem actiuitatem, & ita non est asserendũ sine fundamẽto, & hac ratione fortasse locuntur, qui asserunt materiam primam non esse actiuam.

Respondetur ad fundamentum contrariæ sententiæ. Ad fundamenta contrariæ sententiæ respõdetur, ad primum, quod quanuis actio sit forma quędam acidentalis, & actus secundus, nõ sit necessarium, quod supponat actũ formalem primum, satis est supponere actum primum entitatiuum, & essentialẽ, quia essentia est sufficiens ad causandas suas passiones, & ita non est opus præsupponere actum formalem.

Ad secundum falsum esse, quod materia nõ habeat certam, & determinatam essentiam, quamuis incompletam nam sicut de essentia hominis, est esse animal rationale, ita de essentia materię est esse puram potentiam, ex qua fiant formæ substantiales, & cum hoc optime stat, quod sit indifferens ad omnes formas, sicut quanuis homo habeat determinatam essentiã, tamen indifferens est, vt sit magnus, vel paruus, calidus, vel frigidus.

Secunda difficultas in hac quæstione examinanda erat. *2. Difficultas.* Vtrum potentia sit de essentia materiæ; ostẽdimus enim hactenus materiam primam esse puram potentiam, statim *1. Sententia.* vero examinãdũ restat. Vtrũ hoc sit de illius essentia. In qua re prima sententia affirmat potentiam materiæ primę esse aliquid realiter ab illa diuersum, & ita esse extra essentiam illius. Sic docuit Aberroes 1. Physicor. comẽto 69. Themistius 1. Physicor. digressione vltima, Iandunus quæst. 25. Alexander, & Simplicius, quos refert, & sequitur Zimara, verbo *materia*. Et probari potest, primo quia materia prima est substãtia quædam saltem partialis: sed potentia est de secunda spe-

specie qualitatis, atque adeò accidens: ergo non est de essentia materiæ.

Secundo quia producta iã forma in materia tollitur potentia, quam habebat materia ad illam formam, quia non habet illam actu, & tamen manet materia prima: ergo potentia ad formas non est de essentia materiæ primæ.

Tertio, quia vt docuit Arist. 2. lib. de anima cap. 4. potentiæ distinguuntur per actus, & actus per obiecta. v. g. intellectus, & voluntas distinguuntur, quia actus intellectus est intellectio, actus vero voluntatis est volitio: sed sunt quamplurimæ formæ, quę sunt actus formales quos materia prima potest recipere: ergo erunt in materia quã plures potentiæ ad tales formas, atque adeò de essentia materiæ, non est vnica tantũ potentia.

Quarto quia forma semel corrupta, non potest redire per naturam: ergo nõ manet in materia prima potentia naturalis ad illam. Probo consequentiam, quia potẽtia naturalis, solũ est in ordine ad terminum possibilem per naturam: sed corrupta iam forma, manet materia prima, cũ ingenerabilis sit: ergo potentia ad formam, non est de essentia materiæ.

Quid adueruit. Tamen pro huius rei explicatione aduertẽdũ est, quòd potentia passiua, quam habet materia ad formas duplex est, alia radicalis, & est ipsa materia prima, secundum quod ex se habet potentiam ad formam: Alia vero est potentia proxima, nam quando materia incipit disponi ad recipiendam aliquam formam, tunc dicitur esse in potentia proxima ad illam, neque istæ sunt diuersæ potentiæ realiter, sed tantũ formaliter, nam eadẽ potentia radicalis, quãdo incipit disponi ad recipiẽdam aliquam formam appellatur potentia proxima.

Assert. 1. Quo supposito dico primo potentia passiua, ad formas substantiales, est de essentia materiæ primæ: hanc conclusionem docuit Sanctus Thomas. 1. par. quæst. 77. artic. 1. ad secundum. Durandus in 1. dist. 11. quæst. 2. Sotus 1. Physic. quæst. 6. denique est communis sentẽtia, quæ plane colligitur ex Arist. qui sæpe sæpius materiam, *potentiam* appellat, vt videre est 7. Metaph. text. 7. & 8. & 12. Meth. text. 7. & 2. Physic. textu 11. & 12. Et ratione probatur, quia de essentia materiæ est, quod sit primum subiectum

ctum formarum: sed de ratione subiecti est, quod sit receptiuum illius, cuius est subiectum: ergo de essentia materiæ primæ est, quod habeat potentiam passiuam, ad recipiendas formas substantiales.

Secundo quia de ratione formæ est, quod possit informare materiam, & in illa recipi: ergo etiam de essentia materiæ erit, quod possit recipere formam, & informari ab illa, atque adeo potentia passiua ad formam est de essentia materiæ.

Tertio, quia si talis potētia non est de essentia materiæ: ergo est accidens, vel cōmune, vel propriū: ergo semel cū forma substantiali aduenięte non fieret vnū per se substantiale: probo cōsequētiā, quia ex substantia & accidenti, nō potest fieri vnū per se substātiale: ergo cū forma recipiatur in materia mediante illa potentia passiua, iam ex materia, & forma, quæ in ea recipitur, non fieret vnum per se substantiale.

Assert. 2. Dico secūdo, quod hæc potentia sit proxima, accidentale est materiæ: probatur nam hæc materia tunc est proxima, quando incipit disponi ad hanc, vel illam formā: sed quod materia disponatur ad hanc, vel illam formam accidentale est illi: ergo hæc potentia proxima, non est de essentia materiæ, & ita sola potentia radicalis est de essentia materiæ, idest de essentia materię est quod ex se sit potens ad recipiendas formas.

Ex quo infero, quod materia essentialiter dicit relationem secundū dici ad formā. Ratio est quia omnis potentia habet essentialem habitudinem ad actum, ad quē per se ordinatur, & ita dixit Aristot. 2. de anima. c. 4. potentias specificari per actus, quod ab omnibus interpretari solet, quod specificentur per actus extrinsecè, & intrinsecè per ordinem ad tales actus; ergo cum ille ordo tribuat intrinsecam speciē potentiæ est de essentia illius, atque adeò cum materia prima essentialiter sit pura potentia in ordine ad actus formales, essentialiter dicit ordinem secundum dici ad formas, cū quo bene stat, quod materia sit quædam substantia absoluta, saltem incompleta, quia relatio secundum dici, vt diximus capite de relatione, non constituit rem absolute relatiuam, cum sit relatio transcendens per omnia prædicamenta. *Illatio. 1.*

Infero primo, materiam non *Illatio. 2.*

non posse intelligi, nisi per ordinem ad formam, quia dicit essentialem ordinem ad illam, sicut accidens nõ potest intelligi, nisi per ordinem ad subiectum, quia dicit essentialem ordinem ad illud.

Resp. ad argum. contra sentent. Tandem ad argumenta contrariæ sententiæ, respondetur ad primum, quod vt late ostendi capite de qualitate quæst. 3. potentia quæ est species qualitatis, non est potentia passiua, sed actiua: nam potentia passiua non est aliquod accidens super additum ipsi rei quæ recipitur. Et breuiter nunc probatur, nam si potentia passiua, quã habet substantia ad recipienda accidentia esset aliquod accidens: ergo ad recipiendum illud accidens, indigeret alia potentia passiua, & ad illam indigeret alia, & sic in infinitum. Similiter, si potentia passiua, quam habet quantitas ad recipienda accidentia, esset aliquod accidens illi super additum: ergo ad recipiendum illud accidens indigeret alia potentia, & sic in infinitum, & ita potentia passiua, transcendit per diuersa prædicamenta, nam in substantia est substãtia, & in quãtitate quãtitas.

Secundo probatur, quia potentia formalis causæ ad informandum, non distinguitur ab ipsa forma ex se, sed ipsa forma ex se est potens informare: ergo neque potentia causæ materialis ad recipiendum debet distingui, ab ipsa causa materiali: sola ergo potentia actiua est, quæ ponitur in prædicamento qualitatis, & non quæcumque, vt eodem loco dixi, sed illa quæ est accidens; nam potentia actiua, per quam substantia producit primam passionem, non potest esse accidens, quia ante primam passionem nullũ est accidens, & ita talis potentia non est aliquod super additum ipsi substantiæ.

Ex quo infertur, falsam esse aliquorum regulam, qui dicunt, tunc potentiam aliquam accidentalem esse, quã do ordinatur ad actum accidentalem, tunc vero substantialem, quando ordinatur ad actum substantialem, nam potentia qua substantia producit primam passionem est substantia, vt probatum est, tamen ordinatur ad actum accidentalem, nam passiones non sunt substantia, sed accidentia, saltem propria.

Et si dicas, quod potentiæ distin-

distinguuntur per actus: ergo quando actus ad quem potentia ordinatur accidentalis est, talis potentia accidentalis erit. Respondetur quod quando dicitur potentia specificatur per actus, non significatur quod habeat essentiã eiusdem rationis ac ipse actus: qualiter quamuis actus ad quem ordinatur potentia visiua sit visio, non sequitur quod potentia visiua sit visio, & ita fieri potest, quod principium productiuum sit substantia, ipsa vero operatio mediãte qua aliquid producitur sit accidens; solum significatur, quod tunc potentiæ sunt diuersæ, quando ordinantur ad actus adæquatos diuersæ rationis, qua ratione potentia visiua, & auditiua, sunt potentiæ diuersæ rationis, quia ordinantur ad actus diuersæ rationis, scilicet visionem, & auditionem.

Ad 2. Ad secundum argumentũ respondetur, quod adueniente forma, non destruitur potentia passiua materiæ primæ: imò perficitur per ipsam formam, solum enim tollitur priuatio formę quã habebat materia, non tamen potẽtia passiua, quia adhuc iã producta forma, illam in se receptam sustentat, & ita adhuc habet potentiam passiuam, respectu illius, sicut adhuc quando quis currit, habet potentiam ad currendum, aliàs si non haberet potentiam ad currendũ quomodo curret. Secundo, quia actus non destruit potentiam, sed illam perficit.

Et si dicas nam potentia, quã habet homo vt corrumpatur tollitur adueniẽte corruptione, nam per illam destruitur homo, qui est subiectum talis potentiæ. Respondetur verum esse actum corruptionis tollere potentiam quia est destructiuus talis potentiæ, cum destruat subiectum, in quo talis potentia residet, actus vero qui perficiunt potentiam ipsam, qualiter forma perficit materiam non destruunt illam.

Ad 3. Ad tertium respondetur, quod potentiæ distinguuntur per actus adæquatos non vero per inadæquatos. Qualiter visio albi, & visio nigri, quia sunt actus in adæquati potentiæ visiuę pertinent ad eandem potentiam visiuam, actus autẽ adæquatus ad quẽ ordinatur materia prima, nõ est determinate hæc forma, neque illa, sed vage hæc vel illa, & ita materia per vnicam tantum potentiam respicit plures formas tanquam

actus

actus in adæquatos suæ potentiæ.

Ad quartum respondetur, quod adhuc corrupta forma remanet in materia potentia naturalis ad recipiendam illam, quia quantum est ex se habet naturalem potentiam sicut antea, vt illam posſit recipere, quamuis talis forma ſemel corrupta, non poſsit per naturam reddire, quia nō eſt agens naturale, quod poſſit illam re producere, vt alibi dicam.

Sed dices cuicumque potentię paſsiuę naturali debet correſpondere agens naturale, quod poſsit reducere illā potentiam ad actum, aliàs talis potentia eſſet fruſtra, natura autē nihil facit fruſtra: ſed nullum eſt agens naturale, quod poſsit re producere formam ſemel corruptam: ergo neque eſt in materia prima potentia naturalis paſsiua ad recipiendam talem formam. Reſpondetur potentiā paſsiuam, quam habet materia prima, ad formam iam corrupſam, non eſſe omnino naturalem, ideſt, quod poſsit per naturam reduci ad actū: ſed appellatur naturalis ex parte termini, quia reſpicit formam connaturalem materiæ, quanuis talis forma ſit impoſsibilis: per naturā, non quidem, quia materia amiſſerit aliquid potentiæ, quam habebat antea, ſed quia non eſt agens naturale, quod poſſit illam reproducere.

Poteſt tandem in hac quęſtione dubitari. Vtrum appetitus ad formam ſit de eſſentia materiæ: poteſt autem appetitus ſumi duobus modis: primo pro quodam actu voluntatis, ſeu appetitus ſenſitiui, qui appellatur deſiderium, & certum eſt hunc appetitum non eſſe de eſſentia materiæ, cum talis appetitus ſit quædam actio propria voluntatis, vel appetitus ſenſitiui. Alio modo ſumitur appetitus, pro appetitu innato qui eſt quædam inclinatio ad rē aliquam, ſicut dicimus graue appetere cētrum, & hoc modo appetitus eſt de eſſentia materiæ. Ratio eſt, quia cum materia prima ex ſua eſſentia ſit pura potentia in ordine ad formas ſubſtantiales, ex ſua eſſentia dicit inclinationem ad formas, quia omnis potentia, dicit inclinationem ad ſuum actum, & ita hic appetitus manet in materia, adhuc quando iam habet formam, quia adhuc inclinatur ad continuò ſuſtentandam formam, & hoc eſt, quod docuit Ariſtoteles hoc libro, textu 81. dicens

Dub. de appetitu.

I materiæ

materiam apperere formam, sicut turpe appetit pulchrũ. Addo tamen hunc appetitum, non esse aliquid diuersum à potẽtia passiua materiæ, quia ipsa potentia materiæ primæ est, quædam inclinatio passiua, ad recipiendas formas, & hæc inclinatio est appetitus: sic docuit D. Thomas, hoc libro textu 81. & quæst. 4. de potentia, artic. 1. & hæc de hac quæst.

QVAESTIO IIII.

Vtrum materia prima ex se habeat propriam existentiam independentem a forma substantiali.

HAEC est secunda pars huius disputationis in qua de pertinentibus ad existentiam, & subsistentiam materiæ primæ disserendum est, & quò clarius procedamus explicare oportet, quid per existentiam intelligamus. Existere dicitur aliquid, cum est in rerum natura extra suas causas, quare existentia est illa forma, à qua habet res formaliter, quod sit extra causas, & extra nihil, vel à quâ habet esse actuale, prout actuale distinguitur à possibili, quæ nominis ratio nunc supponi debet ex Meta, & erudite exponitur, & comprobatur à Patre Suarez tomo 1. in 3. disput. 36. sectio. 1. colligiturque manifeste, ex D. Damasceno, lib. 3. cap. 3. vbi docet Verbum Diuinum assumpsisse humanitatem non existentia priuatam, quod alius eiusdem interpres vertit, ex Græco versiculo, redactam in nihilum, quia reuera idem est priuari existentia, & in nihilum redigi, & consequẽter idẽ est acquirere existentiam, ac habere actu esse extra nihil, vnde existentia supra essentiam possibilem addit actualitatem, seu existentiam, quæ fit per productionem ipsius rei à suis causis; productio enim rei propriè terminatur ad existentiam ipsius, nam quælibet actio in hoc tendit, vt res sit actualis entitas, seu vt habeat esse actuale extra causas producentes, res autem fit actualis entitas per existentiã, & ideo existentia nulli creaturę esse potest prædicatũ essentiale, quia esse actualiter in rerum natura nulli est essentiale prę ter Deum.

Quid sit existere.

Hinc primo sequitur essentiam

tiam non esse proprie subiectum, neque principium effectiuum exsistentiæ, quia tam in subiecto, quã in principio effectiuo præintelligi debet prius actualitas aliqua, vt possit aliquid aliud recipere, vel efficere; omnis enim causa habet aliquod esse actuale, antequam causet: hoc quoque confirmat alterum, quod sequitur, nimirum existentiam non distingui proprie, & realiter ab essentia, nõ enim differt ab essentia actuali, quæ neque esse, neque cõcipi potest sine existentia, neque ab essentia possibili, quia hæc antequam sit est vere nihil, vnde ab illo solum differre potest existentia, seu actualis entitas, sicut idem, cum est actu in rerum natura à se ipso, cum est in potentia obiectiua, licet igitur existẽtia concipiatur à nobis per modum cuiusdã formalitatis & modi essentiæ possibilis, sed nõ est ab illo aliquid ex natura rei diuersum, quia existentia sine essentia esse non potest, & essentia sine existẽtia est prorsus nihil.

His suppositis in hac quæstione circa primã partẽ huius dubij, cõmunis multorũ sententia est materiam non habere propriam existentiã, sed existere per existentiam formę cui vnitur, vnde dicũt existentiam materię esse effectum formalem ipsius formę substantialis. Ità communiter omnes Thomistæ Caiet. de ente, & essentia cap. 5. q. 8. Ferrar. 3. contra gent. cap. 4. & 1. Physic. q. 11. vbi etiã Aquarius Sonci. 7. Met. q. 17. & 8. Met. q. 1. Iauell. eodem lib. & quęs. & lib. 5. q. 5. Sotus hic q. 6. art. 2. concl. 1. Valles. eod. loc contr. 7. ac denique Durand. in 2. dist. 12. q. 2. cuĩ sententiæ multũ fauere videtur S. Thom. 1. p. q. 7 art. 2. ad 3. & q. 66. art. 1. & 12. q. 4. art. 5. ad 2. imo his, & aliis locis existimant eius discipuli hãc expresse docuisse sentẽtiam. *Sentẽ. multorum.* Fundamentum eorũ est, quia ex duobus entibus in actu nõ fit aliquid substãtiale, sed ex materia & forma fit vnũ substantiale: ergo materia, & forma nõ sunt duo entia in actu: ergo materia nõ est, neq; exĩstit propria existentia distincta ab existentia formæ.

Dicendum est tamẽ primò materiã primã ex se, & ex vi solius creationis, per quã producitur, habere propriam existentiam distinctã ab existentia formæ, hæc est sententia Scot. in 2. dist. 12. q. 2. Ricardi Gabri. Greg. Maronij, & Basilij, eadem distinctione, Henrici Gauda. quotlib. 1. q. 10. *Materia prima habet ex se propriam existentiam.*

 Antonij

Anto. Andr. tract. de tribus principiis quæst. 2. de materia Trombetæ 8. Metaphys. quæst. 1. Albert. de Saxo. & Marsilij hoc loc. Perei. lib. 5. suę Philosoph. cap. 14. Tole. hic quæst. 12. Patrum Lusit. Fonsecæ, & colligitur ex Aristot. cap. 8. & 9. docente, quod generatur, fieri ex non ente per accidens, quia materia est non ens per accidés, priuatio vero est non ens per se: sentit ergo Aristot. materiā ex se esse ens, aliàs quod fit ex materia, fieret ex non ente per se, quod Arist. improbat.

Ratione probatur primo, ex dictis de ratione existentiæ, quia existentia nó distinguitur realiter ab essentia, vel natura existente, sed omnino est idem cū illa, sed existentia formæ, nó potest iddentificari cum essentia materiæ existentis: ergo existentia formæ, non est existentia materiæ, habet ergo materia propriam existentiam, maior supra declarata est, minor vero probatur, quia existentia formæ iddentificatur cum ipsa forma, cui immediate, & proprie conuenit: ergo non potest iddentificari etiam cū materia, aliàs materia & forma iddentificarentur in aliquo tertio, & consequenter inter se.

Secunda ratio sumitur ex actionibus, quibus materia, & forma producuntur. Res habet existentiam per actionem, qua producitur: sed materia producta est, & conseruatur a Deo per actionem diuersam, ab actione qua producitur forma: ergo habet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, consequentia est euidens, quia diuersarum actionum diuersi sunt termini, saltem ex natura rei. Maior supra etiā declarata est, quia per actionem qua res fit exit à suis causis, & fit in genere causæ efficientis actualis entitas. Minor vero probatur, quia materia prima producta est à Deo per creationem, & conseruatur per conseruationem eiusdem rationis, forma vero substantialis si materialis sit, fit per generationem ex præsuppcsito subiecto.

Confirmatur hæc ratio, quia si materia nó habet propriam existentiam, sed existentiam tantum formæ, sequitur ipsam sæpe de nouo generari, & corrumpi, quod repugnat eius naturæ, secundum quam est ingenerabilis, & incorruptibilis. Sequela probatur, quoties forma cor rumpi-

rumpitur, & generatur toties deperditur existētia materiæ, & de nouo alia acquiritur: sed generari aliquam rem nihil est aliud, quam ipsam acquirere esse existentiæ, & corrumpi est amitere existentiam: ergo; imo sequeretur in eodem simul instanti generari, & corrumpi materiam, quia in eodem instanti amittit existentiam vnius formæ, & acquirit nouam existentiam alterius formæ.

Tertia ratio, huius conclusionis sumi potest, ex causalitate, quam materia habet in formam, & compositum, quia materia existens est prior natura productione formæ, & existentiæ eius: ergo non existit per formā, consequentia est euidens, antecedēs vero probatur: quia tam forma, quàm eius existentia educitur, de potentia materiæ primæ, non vt posibilis tantum, quia vt sic est nihil: ergo vt actualis: ergo vt existens: ergo materia, vt existens præsupponitur formæ, & existentiæ eius.

Confirmatur hæc ratio primo: quia materia causat realiter in genere causæ materialis formam substantialem materialem, & cum illa componit realiter totum: ergo differt realiter à forma secundum illud esse, secundum quod causat, & componit totum, dependentia enim, & compositio realis intelligi, non potest sine reali distinctione causæ ab effectu, & vnius partis componentis, ab altera comparte: sed non causat, neque componit materia, secundum esse posibile præcisse, sed secundum esse actuale, & existens: ergo secundum esse existentiæ differt realiter à forma existenti. Confirmatur secundo, quia nullū subiectū potest aliquid recipere, quim ipsum in se sit prius: ergo vt materia recipiat formam debet præintelligi existens: ergo habet distinctam existentiam, ab existentia formæ.

Confirmatur tertio, quia materia est vnum, & edem subiectum formarum substātialium: sed non secundum esse posibile tantum: ergo secundum esse actuale: ergo sub omnibus formis retinet vnam, & eandem actualitatem, & existentiam, non ergo existit per existentiam formæ.

Ex hac conclusione infero, existentiam materiæ, non solum esse realiter diuersam

ab existentia formæ, sed omnino ab ea independentem, quia materia secundum esse actuale est causa formæ, & illa prior: ergo illud esse actuale materiæ, seu illius existentia, non est effectus formæ in aliquo genere, & consequenter non dependet à forma.

Obiici tamen potest Arist. 1. de generat. cap. 3. tex. 12. dicens in generatione substantiali rem fieri ex nihilo actu, & ex substantia quæ nõ habet actum: ergo materia antequam vniatur formæ genitæ, non est aliquid actuale seu existens, item 7. Meta. cap. 8. ait animã esse causam existentiæ animalis: ergo sola forma est causa existentiæ, & non materia.

Respondendum est ad primum locum, nomine actus in eo loco non intelligi ab Aristot. actum entitatiuum incompletum, neq; actum existentiæ incompletæ, sed actum solum informatiuum formæ, vel actum completũ substantiæ totalis, & hunc negat habere actu materiam ante generationem formæ, sed tantum potentia, quia est in potentia ad illum recipiendum.

Ad secundum locũ ex Meta. respondetur ibi Arist. nõ negasse materiam esse causam existentiæ totius animalis, nam sicut essentia totius animalis componitur ex essentia partium, ita etiam existentia eiusdem componitur ex existentiis vtriusque partis, solum ergo ibi docere intendit, non solum ipsa composita esse substantiam, sed etiam partes ipsorũ, quæ sunt causæ vt composita existant, etiam esse substantiam, & exemplum posuit in anima. Sed similiter potuisset exemplum ponere etiam in materia. Adde quod sicut forma dicitur rei quidditas, non quod materia, non sit pars quidditatis, sed quia forma est præcipua pars quidditatis, similiter posse formam dici, causam existentiæ totius, non quia ipsa sola, sed quia præcipua causa est existentiæ totius.

Ad D. Thom. cui præcipue innititur sententia opposita, non existimo illũ negasse vnquam materiam habere propriam existentiam, nam 1. par. quæst. 46. art. 1. ad 3. docet materiam productam esse in esse per creationem, quam productioné materiæ in suo esse concedit præcessisse natura productionem formæ. quæst. 66. art. 1. & 3. p. quæs. 6. arrtic. 5. docet causam agétem, & materialem præexiste

re

re effectui, igitur D. Tho. solum negat materiam habuisse actum existentiæ completum, & perfectum, quia hunc dicit habere per solam formam, forma enim est quæ cōplet, & perficit imperfectum esse materiæ, sine quo materia existere non potest saltē naturaliter, & ideo dicitur esse, seu existere non per se ipsam, sed per formam.

Ad fundamentum deniq; illorum respondendū est, ex duobus entibus in actu completo, non posse cōponi vnū simpliciter, ex duobus tamē entibus in actu incompleto, quorum alterum est subiectum recipiens, alterum vero actus informatiuus optime fit vnum per se in genere substantiæ.

QVÆSTIO. V.

Vtrum materia prima, habeat partialem, & propriam subsistentiam.

Quid intelligant omnes per subsistentiam.

PER subsistentiā autem communi modo concipiendi, omnes intelligunt modū aliquē, seu rationem per se existendi: hæc autem ratio per se existendi, directe opponitur modo existendi in alio depēdenter ab illo, & ideo per ipsum explicanda est. Pro quo notādum est duobus modis posse aliquid esse in alio cū depēdētia ab illo, vel tāquā in subiecto, qua ratione forma accidentalis, & forma etiā substātialis materialis sunt in subiecto, à quo depēdent in suo esse, vel tāquā in supposito sustentāte, qua ratione humanitas Christ est in Verbo Diuino, nō quidē tanquā in subiecto, sed tanquā in supposito, à quo in suo esse depēdet de facto. His duobus modis essendi in alio cū dependētia, respōdet ex opposito duplex alius modus per se existendi idest indepēdēter ab alio. Primus modus per se existendi, est ratio existēdi independēter ab alio, tanquā à subiecto, quæ ratio cōuenit animæ rationali, & naturæ cuilibet substantiali completæ, & totali, vt statim probabo. Secūdus modus per se existendi est ratio existendi independenter ab alio, tanquā à supposito, qui modus conuenit cuicunque supposito substantiali, sicut natura substantialis completa, communicari non potest alteri, tanquam subiecto inhæsionis, seu informationis, à quo vt sic dependeat, ita cuicumque supposito repugnat communi-

1. Notab.

Aliquid esse in alio dupliciter.

municari alteri, vt supposito, à quo dependeat, vel substentetur.

Differentia inter hos duos modos

Secundo notanda est differentia inter hos duos modos subsistentiæ; siue per se existendi, quod primus conuenire potest, nonnullis rebus creatis, per suammet essentiam, illis videlicet, quibus per suam essentiam præcisse repugnat dependentia ab alio; tanquam à subiecto in genere causæ materialis, secundus vero nulli creaturæ conuenit per suam essentiam, sed per superadditum modum ex natura rei ab ipsa essentia, & exista distinctum. Primum membrum huius differentiæ probatur, quia anima rationalis. v. g. & quæuis natura substantialis cópleta, per suammet entitatem actualem, & essentialem, præcisse, independentes sunt à quocunq́ subiecto informationis, seu inhæsionis, anima rationalis, quia spiritualis est, substantiæ enim spirituali repugnat dependétia ab aliquo in genere causæ materialis, substantia vero completa quia totalis est, cui etiam, vt sic repugnat esse dependenter ab aliquo, ꝙ informet, vel cui inhæreat ad modum quo forma substantialis, vel accidentalis sunt in subiecto, à quo in suo esse dependent.

Cófirmatur hoc, quia si hęc dependentia à subiecto substentáte cóueniret animæ rationali, vel naturæ substantiali cópletę, non per suam met essentiam præcisse, sed per superadditum modú subsistentiæ, sequeretur quod isto modo ablato per Diuinam poténtiam, possent pédere à subiecto in genere causæ materialis, quod falsissimum est: consequentia patet à simili ex dicendis de secúdo modo subsistentiæ.

Quid maxime notand.

Secundú ergo membrú illius differétię, nimirú, modú per se subsistendi independéter ab aliquo, vt supposito cóuenire rebus creatis per super additú modum ex natura rei diuersum ab ipsa essentia actuali, cóstat euidéter ex facto incarnationis: ná si humanitas Christi, ex sua essentia actualiter existenti, præcisse haberet esse independens ab alio supposito, fieri nópotuisset Diuina potétia, vt illa supposita etur in Verbo, ꝙ auté de facto cótingit humanæ naturæ, vt nimirú impedito proprio modo existédi independenter ab alio supposito vniretur Verbo Diuino, & ab eodem, vt supposito dependeret. Idé docet cómunior,

& ve-

& verissima sententia Theol. possibile esse respectu cuiusque alterius naturæ creatæ, est igitur hic per se existendi modus super additus & ex natura rei distinctus ab essentia actuali cuiuscunque creaturæ. Imo addo in huius confirmationem, neque ipsi diuinæ essentiæ conuenire ratione sui, præcisse, modus iste existendi incommunicabiliter alteri supposito, sed per super additam relationẽ personalem, identificatum tamen cum ipsa, in quo diuina essentia differt ab essentia creaturarum.

Tertio notandum est proprium formalem effectũ primi modi per se existendi esse facere ipsam essentiam independentem ab aliquo, & incommunicabilem illi vt subiecto: effectum vero formalem secundi modi per se existendi esse facere actualem essentiam indepentem ab aliquo & in communicabilẽ vt supposito, qui effectus diuersi sunt inter se, & ex natura rei separabiles: nam humanitas Christi existit in Verbo independenter ab illo vt à subiecto, non tamen vt à supposito, & forma substantialis materialis vnita materiæ subsistenti est independens ab aliquo vt supposito, non tamen vt subiecto cum ab ipsa materia dependeat, quod exemplum disputatione sequenti amplius declarabitur.

Effectus primi modi.

Quartò notandum est vtrumque modum per se existendi in communicabilitatis vel indepentię dici posse sub sistentiam, quod sumi potest ex D. Thom. 1. p. q. 29. art. 2. vbi docet, nomen subsistentiæ sumptũ esse ex hoc quod est per se existere, & illa dici subsistentia, quæ non in alio, sed in se existunt: ergo cũ duplex sit modus per se existendi & non in alio, duplex etiã erit modus subsistentiæ. Et vtriusque exemplũ huiusmodi diuisionis est: nam essentia diuina ex vi suæ rationis formalis, & vt præcisa à relationibus dicitur subsistere, quasi primo modo, quia habet esse infinitum independens à quocunque extra essentiam, non tamẽ potest dici secundo modo subsistere, quia est de se communicabilis, & cõmunicata tribus personis: proprietates tamẽ personales sunt subsistẽtię, quasi secundo modo, quia non tribuunt essentię diuinę quã terminant independentiam ab alio, sed solũ incommunicabilitatẽ, nam essentia vt dixi ex se est indepẽdẽs in suo esse à quocunq; alio extra es-

4. Not.

sen-

sentiá, sed quia de se est com munis per subsistentias relatiuas, redditur omnino incómunicabilis. Quanuis tamen hoc ita sit, nimirum vtrumque hunc modum per se existendi appellari per se subsistentiam: primus tamen modus non ita proprie dicetur subsistentia si præscindatur à secundo; & ideo illa non simpliciter dicenda est subsistētia, sed independentia à subiecto.

De qua primo dicendū est materiam primam per suā essentiam præcisse esse per se existentem primo modo, id est, independentem ab alio tanquam à subiecto, seu incōmunicabilem alteri vt subiecto. Probatur hoc quia duplex est subiectum à quo aliquid potest in genere causæ materialis dependere, subiectum scilicet inhæsionis proprium accidētibus, à quo omnis substantia eo ipso quod substantia, vel pars substantiæ est, omnino est independens; sed materia prima est essentialiter substantia: ergo essentialiter est independens à subiecto inhæsionis. Alterum subiectum est informationis proprium formæ substantialis materialis, à quo illa solū pendere potest: cū ergo materia prima ex sua specifica ratione habeat vt nō sit forma, sed primū omniū formarum subiectum, necessario sequitur ipsam essentialiter esse independentem ab omni subiecto.

Confirmatur hoc primo, quia intellecta tantum entitate, seu essentia materiæ primæ sufficiēter absq; aliquo alio superaddito intelligitur hæc incómunicabilitas, & indepēdentia ab alio tanquā à subiecto, quæ nec per diuinā potētiam ab illa auferri potest ergo. Item etiam cōfirmari potest argumento facto in simili secundo notabili.

Materia prima habet propriā subsistentiam. Dicendū est secūdo materia primá habet propriā & partialē subsistentiā independētē à forma cui vnitur per quā redditur incómunicabilis alteri vt supposito. Hanc conclusionem docet P. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 17. sect. 2. & colligitur ex doctrin. D. Thom 3. p. q. 6. art. 5. ad primū vbi docet Verbū Diuinū ordine executionis prius natura assumpsisse partes humanæ naturæ v. g. corpus & animā, quā totā naturā humanā. Ex quo euidēter sequitur materiā corporis Christi pri' natura fuisse assumptā, quam informatā anima, quia si prius deberet informari, & media hac informatione assumi, cū

per

per hanc informationē cōstitueretur humanitas, prius natura assumeretur humanitas, quā materia & anima: docet ergo S. Thom. materiā prius esse vnitā verbo, quā animæ: ex quo aperte sequitur nostra cōclusio, nimirū, materiā habere subsistētiā partialem propriā independētem à forma, quia vt habet cōmunis & verior Theologorū sentētia, eodē ordine intelliguūtur istæ partes humanitatis assumptæ à verbo ad subsistēdū, quo in propria persona subsistebant: ergo sicut secūdum S. Thom. materia pri⁹ subsistit in Verbo quā vniatur animę, ita quoq; prius natura subsistit propria subsistētia materia, quā vniatur alijs formis, & cōsequēter independēter ab illis. Idem etiā sumitur ex eodem D. Thom. eadem quęstione iam cit. 4. ad 3. vbi docet materiam prius natura habere à Verbo esse eius, quā animari ab anima.

Materia prima habet propriā subsistentiam.

Probatur ratione primo à posteriori, quia materia prima talis est natura sua, vt non sit cōmunicabilis alteri, non modo tāquā subiecto, sed neque tanquā supposito subsistēti: sed hæc incōmunicabilitas est proprius effectus formalis modi subsistentiæ: ergo materia prima ex natura sua habet hunc modū subsistendi. Minor propositio constat ex notabili tertio: maior autem probatur: & primo, quod nō sit incōmunicabilis alteri vt subiecto, patet ex pręcedēti conclusione ad quā incommunicabilitatē non indiget materia super addito aliquo modo, quia per suam entitatem actualem pręcisse est primum subiectum substantiale. Quod verò etiam sit incōmunicabilis secundum suam naturam alteri vt supposito, probatur, quia natura sua solum communicari potest formæ substantiali, huic autem non communicatur tāquam supposito. Quod sic probo: quia quod communicatur alteri vt supposito subsistit subsistentia illius, cui communicatur: sed materia nō potest subsistere subsistentia formæ, quia subsistentia est modus, seu terminus intrinsecus vnius existentiæ, & ideo solum potest terminare illam existentiam, cum qua habet essentialem coniunctionem, & realem identitatem, idest à qua non distinguitur sicut res à re. Vnde Diu. Thom. 3. part. quæstion. 3. articul. 1. ad 2. & communiter cum illo Theologi præcipue Pater Suarez disputat. 13. section. 4. docent fieri nō posse

Confirmatur, quia iá quod esset possibile materiam, & formam eadem indiuisibili subsistentia terminari, potius dicendum esset formam sub sistere per subsistentiam materiæ, quàm è contra, quia materia supponitur prius natura existens, & extra causas quàm forma, & in illo priori intelligitur iam vt independens ab alio, vt à supposito: ergo in illo priori intelligitur, vt subsistens propria & vera subsistentia, qualis est, quæ constituit rem incommunicabilem alteri vt supposito. Ratio denique à priori huius conclusionis esse debet, quia sicut se habet actualis inhærentia ad naturam accidentalem, ita se habet subsistentia ad naturam substantialem; nam vt colligitur ex Diu. Thom. 3. part. quæst. 77. artic. 1. ad 2. & in 4. dist. 12. quæstion. 1. articul. 1. sequella. 1. ad 2. docet, sicut ad naturam accidentis consequitur modus essendi in subiecto, ita ad naturam substantiæ consequitur esse per se, & non in alio, sed naturam cuiuscunque accidentis consequitur modus inhærendi subiecto proprius, & illi accommodatus, idest accidens totale consequitur totalis inhærentia, & partiale partialis: ergo similiter naturam cuiuscunque substantiæ consequi debet propria & accommodata subsistentia: ergo cum materia sit substantia partialis, necessario dicenda est habere propriam partialem subsistentiam. Quod autem hanc subsistentiam habeat materia independenter à forma patet ex dictis, & declaratur. Quia subsistentia est modus quidam existentiæ substantialis, quæ ipsam substantiam existentem consequitur, nõ minus necessario, quàm passiones consequuntur essentiam: sed materia prima non dependet in sua existentia à forma vt probatum est: ergo neque in isto modo suæ existentiæ. Sicut ergo materia prima in suo esse existentiæ à solo Deo dependet, ita in termino intrinseco sui esse, qui est subsistentia à solo illo potest pendere.

Ratio à priori.

Sed vt hæc independentia materiæ primæ à forma quoad suam subsistentiam declaretur, queri potest quæ sit causa effectiua huius subsistentiæ materiæ, an scilicet ille effectiue proueniat à solo Deo creante materiá, an ab ipsa existentia materiæ prius natura creata. Ita quod subsistentia naturæ substantialis resultet actiue ex principijs ipsius

Quæ sit causa effectiua subsistentiæ materiæ primæ.

ipsius naturæ. Quiuis ratione hoc vltimum sit satis probabile: quia modus iste subsistentiæ materiæ primæ habet intrinsecam connexionem cum existentia ipsius, multo magis quam propriæ passiones cum forma vel essentia: quia posita in rerum natura existentiæ materiæ primæ ab ipso Deo, naturaliter resultat ex illa, hæc subsistentia, multo magis quam proprietas dimanet ab essentia.

Confirmatur, quia si aliqua naturalis resultātia vnius ex altero reperiri potest, maxime videtur esse ista, quia nulla maior connexio reperiri potest inter aliqua, quàm inter rem, & intrinsecum modum eius, & ita intrinsecum, sicut est subsistentia respectu existentiæ materię primæ. Quod si hoc dicatur addendum est, naturalem hanc resultantiam subsistentiæ ab existentia materiæ non esse actionem accidentalem de prædicamento actionis, sed simplicem tantum resultantiam, & dependentiam essentialem ipsimet subsistentiæ, qua immediate & per se ipsam dependeat ab existentia materiæ de quo latius in 3. libro.

Nihilominus etiam videtur probabile hanc subsistētiam materiæ immediate solum pendere in genere causæ efficientis ab ipso Deo creante materiam, quia esto verum sit subsistentiam esse quid ex natura rei distinctum ab ipsa existentia materiæ, & quid posterius illa secundum ordinem naturæ, non videtur tamen necessarium quod ab illa actiue dimanet, quia cum res producitur naturali modo, non videtur cōsentaneum, vt prius ab agenti producatur existētia illius, & posterius natura recipiat subsistentiam ab ipsa existentia manantem; sed immediate recipere debet vtrumque ab agente extrinseco à quo connaturali modo fit.

A quo pro nemat hæc subsistentia materiæ.

Et confirmatur, quia creatio per quam existentia materiæ producitur non solum postulat vt ex nullo fiat subiecto, sed etiam ex naturali sua efficacia habet vt vltimo terminetur ad rem subsistentem (nisi præueniatur quod dico propter animam rationalem Christi) quia subsistentia est modus intrinsecus & quasi complementum ipsius existentiæ, & ideo creatio per quā res producitur, vt existat eo modo, quem ex natura sua postulat

A qua in eamat hac subsistentia materiae.

de se terminatur ad rem subsistentem, & non tantum existentem.

Confirmatur secundo quia vnio hypostatica animae rationalis Christi ad Verbum qua impedita fuit illius creatio, ne perueniret vsque ad subsistentiam fuit quasi complementum quodam creationis eius, altiori modo quam per creationem fieret. Vnde propterea Sancti dicunt, animam Christi ita fuisse assumptã, vt ipsa assumptione crearetur ita Leo Papa epist. 11. & Augustinus contra sermones Arrianorum capit. 8. ergo subsistentia animae rationalis per creationem producitur, quando connaturali modo producitur illius existentia, idest, quando ipsa creatio non impeditur: sed eadem est ratio de subsistentia materiae primae: ergo Fauet huic modo dicendi Diu. Thom. 1. part. quaestion. 3. articul. 4.

Maxime notandum.

Addo tamen id quod ad rem nostram pertinet. Quocunque modo producatur subsistentia ipsam praesupponi in materia, non solum ante quodcunque accidens illius, sed etiam ante vnionem substantialem cum forma. Ratio huius est primo quia subsistentia est modus magis intrinsecus, & coniunctus materiae primae, quã quod vis eius accidens, cum subsistentia sit complementum suae existentiae tanquam terminus substantialis eius. Imo etiam est magis intrinsecus materiae, modus subsistentiae, quam modus substantialis vnionis ad formam substantialem. Cuius optimum signum est, quod licet materia possit diuina virtute separari ab omni vnione cum forma substantiali, separari tamen non potest ab omnimodo subsistendi, vel per se, vel in alio, vt sequenti quaestione declarabo.

Secunda eiusdem rei ratio est, quod subsistentia aliquo modo est causa cuiuscunque accidentis in materia recepti, & vnionis substantialis eius ad formam, nam subiectum tam accidentium, quam vnionis, & formae substantialis est ipsa substantia materiae primae; sed subsistentia est complementum huius substantiae materiae primae: ergo subsistentia materiae supponitur prius natura quocunque accidẽti & vnione ipsius materiae ad formam, nõ quidem

d m tanquã ratio causandi, sed tanquam conditio, complementum, & connaturalis modis essendi ipsius.

Quæ ratio confirmari potest à simili in causa efficienti substantiali cuius subsistẽtia supponitur prius natura ipsi operationi, non tanquã ratio formalis operandi, sed tanquam connaturalis modus ipsius causę magis intrinsecus quàm operatio.

Sed contra secundam conclusionem obijcipotest, quia effectus formalis subsistentiæ est facere naturam omnino incommunicabilem: sed materia prima non est omnino incommunicabilis, quia potius natura sua ordinatur ad compositionem substantialem cum forma: ergo materia non habet propriã subsistentiam ante vnionem cũ forma.

Sed tamen hoc argumentum æque etiam probaret de anima rationali non habere propriam subsistentiam, quia ordinata est ad substantialẽ compositionem hominis, ꝙ tamen est contra Diu. Thomæ, & communem sententiam. Respondendum est ergo proprium effectum subsistentiæ esse in communicabilitatem ad aliud tanquam ad suppositum sustentans, hæc tamen incommunicabilitas non tollit, quin si illa natura quæ subsistit sit partialis, & natura sua ordinata ad componendum aliquod vnum cũ altera parte vniatur & communicetur illi tanquam com parti.

Ad D. Thom. qui similiter obijcere potest, contra hanc subsistentiam materiæ sicut contra existentiam illius. Respondendũ est, quod quando D. Thom. videtur negare, materiæ primæ hoc ꝙ est esse vel subsistere, non negat illi omne esse, siue omnem subsistentiam, sed tantum esse perfectum per quod ipsa possit per se separata existere: nam habere esse, vel subsistere hoc modo proprium est compositæ, siue integræ naturæ, præter quam soli animæ rationali potest conuenire: hæc enim licet sit naturæ partialis, habet tamẽ esse perfectum quantum ad hoc quod est posse in suo esse separata subsistere, quod quia non habet materia dicitur à Diu. Thom. non habere esse, siue nõ esse per se. An vero ex subsistentia ista materiæ primæ, quę partialis est, cum sit modus naturæ partialis, fiat vnum integrum subsistens per complementum alterius partis subsi-

subsistentiæ prouenientis à forma, disputatione sequenti dicetur.

QVAESTIO. VI.

Vtrum materia prima possit existere in rerum natura sine omni forma substātiali.

Opinio aliquorum.

NON defuerunt Theologi, qui in præsenti quæstione docuerint materiam aliquando de facto extitisse sine vlla forma substantiali. Quidam eorum quos refert Argentinus in 2. dist. 12 q. vnica ar. 2. id accidisse docent in principio creationis mundi, quia existimant materiam primam creatam esse nudam omni substantiali forma fundantur in illo Genes. 1. terra autem erat innanis, & vacua, per terrā enim August. cap. 4. lib. imperfecti de Genes. ad literam materiam primam intelligit: per inanitionem vero, & vacuitatem, eiusdem informitatem.

Alij vero Theologi è quorum numero censetur Marsilius in 3. quæst. 13. artic. 1. & Gabrie. in 3. distin. 12. articulo 3. existimant in morte Christi mansisse diuinū Christi corpus sine vlla forma.

Verum hæc sententia secūdum vtranque partem illius falsa est, & quo ad primā partem legendus est D. Tho. 1. part. quæst. 6. 6. art. 1. vbi refert diui August. aliorumque patrum diuersas sententias, & recte exponit, & cōcordat. Nam D. August. posuit quidē materiam fuisse vacuam omni forma, non secundum ordinem temporis, sed solum origine, & naturæ ordine, secundum quem præcessit materia formas substantiales, simul tamen tempore fuit cū illis. Verum est non nullos ex Græcis Patribus quos D. Tho. refert dixisse: illā terrę siue materiæ informitatē tēpore præcessisse, sed huiusmodi Patres per informitatē materiæ non omnium formarum, sed decoris & pulchritudinis priuationē intelligunt, quæ modo apparet in corporea creatura vt D. Tho. exponit. Quod autem in morte Christi materia non fuerit sine aliqua forma cadaueris sicut in reliquorūhominū morte contingit communis est reliquorum Theologorū ac vera sententia, quam recte cōfirmat Pater Suarez tomo. 2. in 3. disp. 38. sect. 3. *Reijcitur.*

Secunda sententia asserit, etiamsi de facto materia nunquam extiterit omni substantiali forma priuata, posse tamen *2. sen*

 men

mē naturaliter sine omni forma produci & conseruari. Ita docet Marsi. supra Greg. in 2. dist. 12. q. 2. Bur. 1. physicor. q. 12. Fundamētum huius sententiæ esse potest, quia materia ex se habet propriam existentiam, & subsistentiam independētè à forma, preterquā nihil aliud desiderari potest in aliqua re, vt seorsum & per se separata existere possit.

Confirmatur hæc ratio: quia anima rationalis licèt sit substantia partialis, solū quia subsistit independēter à materia potest naturaliter à materia separari: sed materia etiam subsistit independenter à forma: ergo potest ab illa separata naturaliter cōseruari.

3. sent. Tertia sententia asserit, esse omnino impossibile etiam de potētia Dei absoluta materiā conseruari in rerū natura sine forma aliqua substātiali.

Hæc est D. Tho. expressa sent. 1. p. q. 66. ar. 1. supra citato quam sequuntur eius disci puli alijq; plures, quos referunt patres Lusitani q. 6. ar. 1.

Fundamēta huius sentētię sunt quidē plura, sed nullius sane roboris, vel efficaciæ, suppositis, quæ in superiori quæst. dicta sunt. Primū enim est quia materia non habet propriā existētiā, nec subsistētiā, sed à forma hoc habet quæ iā impugnatū est. Secundū simile etiā est huic, quia nimirū dato, materiā primā habere propriā subsistētiā illā tñ habet à forma depēdētē in genere causæ formalis, repugnat autē esse effectū formalē sine forma: quod etiā supra dub. 8 impugnatum est.

Et deinde licet effect⁹ formalis, qui formā ipsā essētialiter includit, qui dici solet primarius sine forma ipsa fieri non possit vlla potentia a Deo, vt v. g. album sine albedine, vel hominē sine anima rationali, effectus tñ formalis siquis alius esset quē secūdarium docēt nō includēs, nec depēdēs essentialiter à forma poni posset in rerū natura sine forma supplēte Deo cōcursum causę efficiētis, in quo tātū genere posset ille effectus à forma depēdere, sicut similis effectus materialis poni pōt à Deo in rerū natura, supplēte ipso in genere causæ efficiētis cōcursum materiæ, vt cōstat in quantitate Eucharistię, & in forma substantiali materiali, quę licèt à materia depēdeat, cōseruari pōt extra materiā secūdū probabiliorē sētētiā: Quāuis ergo subsistētia materiæ esset effect⁹ formalis, quia tñ essentialiter nō includit ipsam formā, ideo poni posset a Deo materia subsistēs sine forma, sicut effectus materialis materiā ipsā nō includens, essen-

essentialiter fit à Deo sine cō cursu materiæ.

3 funda. Tertiū fundamētū huius sē tētiæ est. Quia repugnat ꝙ aliquid sub aliquo genere directe, vel reductiue cōtētū nō cōtineatur sub aliqua specie illius generis: sed si materia prima existeret in rerū natura sine forma reduceretur ad genus substantiæ & sub nulla illius generis determinata specie colloraretur, ergo.

Sed hoc fundamentū optime diluunt Patres Lusitani c. 9. q. 6. ar. 4. ad. 3. quia materia illa omni forma priuata pertineret ad determinatā speciē infimā substātiæ incōpletæ scilicet ad materiā rerū generabiliū & corruptibiliū. Deinde etiā reduci posset ad gen⁹ corporis, cuius est pars essentialis. Quod autē ad nullā determinatē speciē corporis reduci posset nullū est incōueniens: quia sicut materia illa nullius cōpositi specifici pars esset actu; ita ad nullius cōpositi speciē in particulari reduceretur. Neq; enim est de essentia materiæ, ꝙ cōtineatur sub aliqua specie cōpositi particularis, vt proptèrea dicatur materiā nō posse de potentia Dei absoluta existere sine forma, quia nō cōtineretur tunc sub aliqua determinata specie.

4. fund. Quartū huius sententiæ fundamētū esse posset, quia relatio nō pōt etiā diuina virtute poni in rerū natura sine suo termino, vt supra probauim⁹: idē docent D. Th. q 7. de potētia ar. 9. Scotus in 2. d. 1. q. 12. q. 2. Capreol. in. 1. dist. 30. ar. 1. & in 4 d. 12. q. 1. ar. 3. sed materia prima respicit essētialiter formā, nō sec⁹, ac relatio respicit terminū: ergo materia prima etiā per miraculū separari nō potest à forma substātiali, nec sine illa cōseruari.

Sed hoc etiā fundamētū est leue & colligitur ex dictis loco sup. cita. de differētia inter relationes, *secundū esse, & secundū dici*, facile apparet, illius solutio, est enim magna differētia inter relationē, quæ est secūdū esse, & habitudinē, quā materia dicit ad formā, quia relatio secūdū esse specificatur à temino actualiter existēti, vnde illo pereūte, etiā relationem destrui necesse est, at habitudo materiæ ad formā non specificatur à forma actu existēti, sed à possibili, sicut in vniuersum, quæcūq; habitudo trāscendētalis & essētialis alicui entitati absolutæ nō terminatur ad terminū existētē, sed ad possibilē tātum, & ideo licèt nulla existat forma substātialis, materia prima existeret in rerū natura cū sua essētiali habitudine ad formā sibi possibilē, atque adeo nō

 destruc-

destrueretur eius essentia sicut destrueretur essentia relationis secundum esse, corrupto illius termino, legâtur etiam Lusitani supra.

Materia prima nõ potest esse sine forma naturaliter.

Dicendum est primo in hac quæstione. Materia prima nõ potest naturaliter, & sine miraculo existere sine forma aliqua substantiali, hęc est communis fere omnium sententia: ratio tamen illius non est dependentia tantum materię à forma tanquam à causa sui esse, vt patet ex dictis, sed necessaria connexio quam cum forma substantiali habet, quã exigit naturaliter tanquam complementum sui esse: sæpe enim videmus rem aliquã natura sua priorem & independentem in sua entitate, & existentia ab aliquo posteriori esse non posse sine illo, quod est posterius. Sic substantia materialis esse non potest sine quantitate alijsque accidẽtibus, nõ quia ab illis tanquã à causa sui esse depẽdeat, sed quia esse substantiæ materialis, quid imperfectum sit nequit sine adminiculo & perfectione accidentis, ipsa posterioris subsistere. Pari ratione materia est ita naturaliter connexa cum forma, vt sine illa esse nõ possit: quia vt optime ad hoc propositum Philosophatur Pater Suarez. 3. tomo in 3. part. disp. 5. sect. 6. post tertiam conclusionem non debetur materiæ conseruatio naturalis sub alio existendi modo quam sub forma substantiali, & ideo sublata omni forma substantiali naturaliter periret materia, ratio autem huius indigentiæ, & necessitatis, qua materia indiget substantiali forma ad sui existentiam & conseruationem in rerũ natura est, quod ipsa aliquando sit ens incompletum & valde imperfectũ, vtpote pura potentia in genere substantiæ, & nullius operationis principium. Sed declaratur pręterea hæc conclusio, quia materia prima in sui productione, & creatione nõ potuit naturaliter produci extra totũ sine aliqua forma, & semel informata nõ potest aliquãdo naturaliter priuari omni forma: ergo nõ potest naturaliter esse sine forma. Antecedẽs quoad primã partẽ probatur, quia materia natura sua petit produci in toto cũ aliqua forma substãtiali, quia natura sua ordinatur ad recipiẽdã formã & cõponẽdũ totũ: sed agens producens illã denouo est potentissimũ, nimirum Deus, a quo solo per creationẽ potuit produci: ergo si naturaliter illã creat creabit eã iuxta exigẽtiã suę naturæ, atque

atq; adeò cũ forma. Sicut eadẽ ratione nunquã creat animãra ionalẽnisi in materia, vt subsistat in ea, & nõ separata.

Secũda pars illius antecedẽtis probatur, quia materia prima æque amat formã quã habet ac cæteras, & ideo nũquã amittit eã, nisi per aduẽtũ alterius formaliter in cõpossibilis cum illa, aut saltẽ nõ põt illã amittere, nisi interueniãt cõtrariæ dispositiones efficiẽter expellẽtes præ existẽtem formam à materia: sed huius modi dispositiones nõ minorẽ vim habent ad producẽdã nouã formã substãtialẽ, quã ad expellendã præexistentẽ: ergo quãuis materia amittat præexistentẽ, acquirit aliã de nouo, & sic semper naturaliter manebit cũ aliqua forma substantiali.

Vnde ad fundamẽta illius secundæ sententiæ Respõdetur. Ad primũ dicendo non quãlibet subsistentiã sufficere ad existendũ perse, & seorsum: nã perfectius est posse subsistere perse, & seorsum ab alijs separatũ, quã subsistere in alio, quia ergo substantia materiæ primæ est valde imperfecta, tanquã substantia puræ potẽtiæ passiuæ, licèt sufficiat ad subsistẽdũ cum forma indepẽdẽter ab illa, nõ tñ sufficit ad subsistendũ seorsũ & sine forma. Sicut licèt subsistẽtia substantiæ materialis nõ proueniat à quantitate, nihilominus substãtia materialis nõ põt subsistere naturaliter perse & separata à quantitate.

Ad cõfirmationẽ autẽ per hæc etiã respõdetur assignãdo differentiã inter animã rationalẽ & materiã, quia anima rationalis, licèt sit substantia incõpleta, est tñ spiritualis, & separata põt esse principiũ multarũ operationum valde perfectarũ, quas perfectius exercet extra corpus. Secus cõtingit in materia, quæ est pura põtẽtia receptiua formarũ & nulli⁹ propriæ operationis est principiũ. Quæ ratio sufficiẽs censeri debet, vt propter illã dicatur materiã separari nõ posse à forma, nã Ar. illa vsus est ad indagãdã animæ rationalis separabilitatẽ à materia lib. 1. de anima c. 1. quorsum in natura collocaret materiã seorsum separatã à forma cõtinuo otiosã, & inutilẽ.

Dicẽdũ secũdo de potentia absoluta posse materiã existere sine vlla substãtiali forma. Ita docẽt oẽs doctores citati dubio præcedẽti cõclusione prima & præter illos idẽ docuit Fõseca lib. 5. met. c. 2. q. 3 sec. 1. & 2. dicẽs dubiũ esse nõ posse in hac cõclusione. Et mirãdũ est Sotus hic q. 6. ar. 2. con-

2. conclusione. 2. eandē cōuictus est sequi sententiā, licet opinetur materiā nō habere propriā existentiā. Ratio cōclusionis est: quia obiectū diuinæ omnipotētiæ est omne illud quod nō inuoluit cōtradictionē si fiat: ergo omne illud pōt saltē per miraculū fieri à Deo, quod nō implicat cōtradictionē: sed materiā existere sine forma substātiali nullā inuoluit cōtradictionem: ergo saltē per absolutā Dei potentiā & per miraculosum operādi modū fieri potest, vt materia sine vlla forma substantiali existat. Minor iam declarata est supra inter referenda fundamenta sententiæ oppositæ.

Cōfirmatur hæc ratio, quia nō minus requirit accidens coexistē. iā sui subiecti, quā materia requirat coexistētiā formæ substantialis: sed accidens pōt diuina virtute saltē per miraculum existere sine suo subiecto, vt constat in sacramēto Eucharistię: ergo & materia poterit eadē diuina virtute cōseruari sine vlla forma substātiali. Maior declaratur, quia accidens dependet proprie à subiecto tāquam à causa sui esse, & priori natura ipso, at materia est prior forma & nō depēdet proprie ab illa, tanquā à causa vel priori secundū naturā, sed solū tanquā à posteriori per quā scilicet in suo esse perficitur & cōpletur, quæ proprie nō est depēdētia, sed exigētia formæ: ergo accidēs magis depēdet à subiecto, quā materia à forma. Ratio autem à priori est, quia materia vt existat solum pōt requirere entitatē cū existētia, & subsistētia: sed materia prima ante vnionē cū forma substātiali est entitas actualis & subsistēs: ergo saltē per miraculum potest existere sine vlla forma.

Ex qua ratione infero actionē, qua materia separata ab omni forma substātiali cōseruaretur à Deo, vel crearetur de nouo, esse omnino eandē cum ea, qua de facto creata, & cōseruata est hactenus cū formis. Ratio est quia materia in sua entitate, existētia & subsistētia nō dependet à forma, sed à solo Deo, & ideo necesse nō esset ablata forma augeri cōcursum Dei cōseruantis materiā: vnde etiā cōstat huiusmodi actionē non fore in sua substātia supernaturalē, sed solū quoadmodū, sicut actio qua cęco restitueretur à Deo visus: nā prçternaturale est cōseruari, vel creari materiā nō adhibito simul concursu ad producēdā vel cōseruādā aliquā formā, sicut enim

materia

materię præternaturale est esse sine forma, ita etiā creatio vel cōseruatio materiæ sine forma præternaturalis est, quo admodū, quia scilicet ponitur sine concursu requisito ad producendam vel conseruandam formam.

Contra hanc sententiā nihil video quod obijci posset pręter authoritatē D. Thom. cui Sotus supra nihil deroga ri censet, quod res hæc sit nō magni momenti, ego etiā nihil habeo quod respondere possim, quia video eū expresse docuisse in illa q. 6.6. ar. 1. implicare contradictionem, materiā esse sine forma. Quod autē loquatur de forma informanti, dubiū esse non potest ei, qui totū ipsum articuli corpus perlegerit. Nihilominus non desunt ex Iunnioribus, qui existimēt D. Th. eo loco non loqui de forma, quæ est pars naturæ substantialis de qua nos in hac quæstione sumus loquti, sed nomine formę intelligere quēcūq; actū perficiētē aliud subiectū, qualis est actus v. g. subsistētiæ.

Quod scilicet ibi persuadet ex ratione qua vtitur ad hoc probādum, quæ nisi hoc modo intelligatur aperte esset sophistica & friuola. Ratio illius sic habet. *Impossibile est aliquid esse actu sine actu, quia terminus creationis est actus: sed huiusmodi actus est forma*: ergo impossibile est materiā fuisse creatā sine forma. Nam maior propositio est falsa si intelligatur de actu substantiali informatiuo, quia Angeli, & accidēs separatū sunt actu sine forma substantiali: ergo vt illa propositio sit vera intelligēda est de actu subsistētię. Vnde quando in minori sub sumitur illū actū esse formā, nomine formæ, vt dixi, non pōt intelligi ea forma, quæ est altera pars naturę substantialis, sed vniuersalius accipitur nomē formæ pro quocunq; actu perficiēte subiectū, inde fit vt in conclusione, cum infert materiam non posse sine forma existere, nomine formæ intelligat idem quod in minori propositione, aliàs ratio esset æquiuoca & sophistica, & ideo solum cōcludit impossibile esse materiam existere sine actu aliquo subsistentiæ, quod est verissimum, siue hæc fuerit mens Diui Tho. siue non.

Sed contra hoc obijci potest, quia sicut forma substantialis est posterior natura, quam materia, ita subsistētia est posterior eadem materia: sed materia potest existere in rerum natura sine forma propter illam rationem: ergo propter eandem etiā poterit esse sine subsistentia.

Respõdetur negando cõsequentiã, primo, quia maior distinctio est inter materiã & formã, quam inter materiã & subsistẽtiã: nã forma distinguitur à materia sicut res à re, subsistentia vero solum sicut modus à re ipsius.

Deinde maxime obseruãdũ est rẽ nõ æque separari posse à modis quibusdã sibi intrinsecis, ac separatur a rebus diuersis, sunt.n. quidã modi ita perse cõnexi cũ existẽtia rerũ vt sine aliquo illorũ, neq; cõcipi, neq; actu esse possit, huiusmodi sũt illi, qui rei entitatẽ ita necessario cõsequuntur, vt nõ pedeant ab aliquo agẽte extrinseco, vt excludã relationes, quæ nõ cõsequũtur necessario entitatẽ vel essentiã rei, nisi ponatur extrinsecus terminus, & modũ etiam vnionis materiæ cum forma, quæ nõ solũ pẽdet a re alia separabili à materia, sed etiã ab agente extrinseco. Inter hos autẽ modos intrinsecos & per se cõiũctos entitati, sunt præsentia localis, duratio, figura respectu quãtitatis, &c. quia impossibile est quantitatẽ esse sine eo quod sit curua, vel recta, vel alterius figuræ.

Similiter etiã impossibile est rẽ aliquã existere in rerũ natura, nisi sit alicubi, & in aliquo tẽpore, vel duratione. Itẽ impossibile est hominẽ esse in loco, quin stet aut sedeat aut iaceat, vel alio se habeat modo. Ex his igitur modis intrinsecis est etiã subsistentia materiæ primæ, nã nõ modo ipsa esse nõ põt, nisi vnita materię ipsam terminet, sed etiã materia existere nõ põt, sine aliqua subsistẽtia propria vel aliena, quia nõ minus intrinsece terminatur materiæ subsistentia per subsistẽtiã quã quãtitas per figuras, vel linea per puncta, sicut.n. est impossibile quãtitatẽ esse extẽsam sine aliqua figura, ita est impossibile materiã esse, & nõ esse aliquo modo: ergo quim perse vel in alio existat, quia nõ est mediũ: Si autẽ sit perse habebit propriã subsistẽtiã, vel si existat in alio (vt cõtingit materiæ humanitatis Christi) terminatur diuina subsistẽtia an vero terminari possit, aliena alia subsistentia præter diuinam, Theologicum est, potius quam physicum.

Hinc sequitur materiã non posse separari ab omni actu substãtiali, quia nõ põt separari a subsistẽtia, imo etiã sequitur illam non posse etiam per miraculum separari ab omni actu, vel forma accidentali v.g. ab illo sine quo eius existentia intelligi non potest, vt a præsentia aliqua locali, à duratione si hæc sit accidẽs. Adduntur alij, a relationibus

non

non nullis esse inseparabilem v.g. à relatione creaturæ ad Deum, quo l pēdet ex eo, an existente fundamento, & termino relatio, i a necessario sequatur vt impediri non possit etiā à Deo: in quo ego non video tantam necessitatem. Alij quoq; addunt magnitudinem à qua dicunt materiam esse inseparabilē; sed hoc non est verum vt constabit ex sequenti quæstione.

QVAESTIO VII.

Vtrū materia prima possit existere sine magnitudine; & sine illa plures habere partes?

1. Supposi. VT Hæc quæstio possit procedere, suppono materiā esse realiter diuersam à magnitudine quantitatiua, quia fides nostra docet in sacramento altaris existere quātitatem & reliqua accidentia panis sine substantia materiæ, quod fieri non posset nisi substantia materiæ & quantitas realiter essent distincta.

2. Supposi. Secundo etiam suppono materiam non posse naturaliter existere sine quantitate: ratio cōstat ex dictis dub. 4. post secundā illationē & ex dictis dub. præceden. Quia materia non potest naturaliter creari vel conseruari sine forma substātiali, ex materia autem & forma substantiali vnitis, necessario sequitur quantitas, quæ nullo modo corrumpi potest in materia, quia nō à contrario cū nullū habeat, neq; ex defectu subiecti, quia eius subiectū, nempe materia est incorruptibilis, neq; ex defectu causæ efficientis vel cōseruantis, quia vel non indiget alio conseruante, præter materiam & primam causam: vel si indiget aliqua alia secūda causa conseruante, illa erit substantialis forma, quæ nūquam desiderari potest in materia naturaliter loquendo, est igitur quantitas ipsi materiæ naturalis comes atq; coæua. Dubium ergo tantū procedit de potentia Dei absoluta, an scilicet materia per miraculum sine magnitudine conseruari possit in rerum natura.

Asseri. 1. Dicendum tamen est primo materiam primam, & cōsequenter substantiam corpoream per miraculum existere posse sine magnitudine quantitatiua. Ita docet Scot. in 2. d. 12. quæst. 1. Gabri. ibidem, quæst. 1. Astudillo. 1. phys. q. 5. Aquar. eodē loco

super Ferr. quæst. 5. Sotus quæst. 6. post secundam conclusionem, & in Logica cap. de quant. quæst. 2. Fonseca. 5. Met. cap. 13. quæst. 2. sect. 3. præcipuè ad 4. Ratio à priori huius cõclusionis est, quia materiam existere sine quantitate nullam involuit contradictionem: ergo saltē per miraculum fieri potest. Consequentia est per se nota, antecedens vero probatur, quia materia prima non habet suã differentiam indiuidualem à quantitate, sed independenter ab illa; est hæc numero: ergo etiã si existat sine quantitate, non existet sine differentia sua indiuiduali. Probatur hoc antecedens primo, quia vnitas & diuersitas rei est prima passio entis actualis, prout ens actuale est. Vnde per idē cõstituitur res aliqua diuersa ab alijs per quod intrinsece cõstituitur in esse entitatis actualis vt docet D. Tho. 1. part. q. 40 ar. 2. in corpore: sed materia prima est entitas actualis independenter à quantitate & prius natura quàm habeat quãtitatem: ergo ex se ipsa & independenter à quantitate habet differentiam indiuidualem, qua ab alijs differat.

Secundo, quia productio rei immediate tendit in rem actualem & singularem: sed materia prima independenter à quantitate est actualis entitas, & terminus creationis per quam producitur: ergo independenter ab illa est singularis & distincta ab alijs rebus.

Dices non indiuiduatur materia per quantitatem existentem vt rationes factæ probant; sed per habitudinem intrinsecam ad eam quantitatem quam postulat.

Sed contra primo, quia iam sequitur materiam sine quantitate posse existere constitutam in indiuiduo per habitudinem ad quantitatem quam postulat, sicut anima rationalis, licet indiuiduetur per habitudinem ad materiam, existere potest separata à materia, quia in se includit illam habitudinem ad materiã per quam est hæc numero.

Secundo falsum omnino est materiam indiuiduari per habitudinem ad quantitatem, quinpotius quantitas sicut cætera accidentia intrinsece indiuiduatur per habitudinem ad singularia subiecta, vt postea dicam, ergo.

Secunda ratio conclusionis esse potest, quia non magis dependet, neque magis connexa est materia prima

cum

cum magnitudine, quam magnitudo cum materia prima, sed multo magis, nam magnitudo dependet à materia, & indiuiduatur per materiam, non vero è contra: Sed magnitudo per miraculum potest existere sine materia, ergo potiori ratione dicendum est materiam per miraculum posse existere sine magnitudine.

In secūda parte huius quæstionis certum esse debet apud omnes, materiam, & similiter omnem substantiam corpoream existentem, actu sub quantitate habere multitudinem & distinctionem partium, licet videatur Durand. hoc negare in 1. dist. 24. quæst. 1. in fine. Et constat manifeste, quia cum diuiditur corpus quantum, quælibet pars quantitatis habet suam diuersam partem materiæ in qua subiectetur: sed illę partes materiæ non producuntur de nouo per diuisionem, sed tantum disconti nuantur: ergo ante diuisionē sunt in ipsa substātia materię plures partes substātiales interse distantes & vnitæ, sicut sunt distantes & vnitæ partes quantitatis.

Cōfirmatur hæc ratio: quia in quantitate sunt plures partes, sed hæ non recipiuntur in eadem parte subiecti, sed in diuersis, ergo materia habet in se diuersas partes, in quibus recipit diuersas partes quantitatis. Dubium igitur solum esse potest, an materia ex se habeat hanc partium multitudinem, distinctionem, & compositionem, an vero solum ratione quantitatis quam recipit.

In qua re multorum opinio asserit materiam in se & ex se non habere plures partes, sed solum ratione quantitatis esse compositā & diuisibilem. Ita docuit Alber. 1. phys. tex. 2. cap. 4. Dur. in 1. d. 24. loc. citat. Capreol. Sonci. Niphus zimara. Vallesi, Tolet. Præcipuum huius sententiæ fundamentum est, quo vtitur Tolet. concl. 1. quia impossibile est quod materia vel substantia corporea habeat affectum formalē quantitatis sine quātitate, sicut paries non potest esse albus sine albedine: sed habere partes, seu esse extensum aut diuisibile est propriꝰ effectus formalis quātitatis: ergo impossibile est materiā sine quātitate habere aliquas partes, aut esse diuisibilē: probatur minor, quia præter hāc extensionem, vel multitudinem partium, nulla alia assignari posse videtur ratio formalis quantitatis.

ipsius naturæ. Quiuis ratione hoc vltimum sit satis probabile: quia modus iste subsistentiæ materiæ primæ habet intrinsecam connexionem cum existentia ipsius, multo magis quam propriæ passiones cum forma vel essentia: quia posita in rerum natura existentiæ materiæ primæ ab ipso Deo, naturaliter resultat ex illa, hæc subsistentia, multo magis quam proprietas dimanet ab essentia.

Confirmatur, quia si aliqua naturalis resultātia vnius ex altero reperiri potest, maxime videtur esse ista, quia nulla maior connexio reperiri potest inter aliqua, quàm inter rem, & intrinsecum modum eius, & ita intrinsecum, sicut est subsistentia respectu existentiæ materię primæ. Quod si hoc dicatur addendum est, naturalem hanc resultantiam subsistentiæ ab existentia materiæ non esse actionem accidentalem de prædicamento actionis, sed simplicem tantum resultantiam, & dependentiam essentialem ipsimet subsistentiæ, qua immediate & per se ipsam dependeat ab existentia materiæ de quo latius in 3. libro.

Nihilominus etiam videtur probabile hanc subsistētiam materiæ immediate solum pendere in genere causæ efficientis ab ipso Deo creante materiam, quia esto verum sit subsistentiam esse quid ex natura rei distinctum ab ipsa existentia materiæ, & quid posterius illa secundum ordinem naturæ, non videtur tamen necessarium quod ab illa actiue dimanet, quia cum res producitur naturali modo, non videtur cōsentaneum, vt prius ab agenti producatur existētia illius, & posterius natura recipiat subsistentiam ab ipsa existentia manantem, sed immediate recipere debet vtrumque ab agente extrinseco à quo connaturali modo fit.

A quo pronemat hæc subsistentia materiæ.

Et confirmatur, quia creatio per quam existentia materiæ producitur non solum postulat vt ex nullo fiat subiecto, sed etiam ex naturali sua efficacia habet vt vltimo terminetur ad rem subsistentem (nisi præueniatur quod dico propter animam rationalem Christi) quia subsistentia est modus intrinsecus & quasi complementum ipsius existentiæ, & ideo creatio per quā res producitur, vt existat eo modo, quem ex natura sua postulat

de se

de se terminatur ad rem subsistentem, & non tantum existentem.

Confirmatur secundo quia vnio hypostatica animæ rationalis Christi ad Verbum qua impedita fuit illius creatio, ne perueniret vsque ad subsistentiam fuit quasi complementum quodam creationis eius, altiori modo quam per creationem fieret. Vnde propterea Sancti dicunt, animam Christi ita fuisse assumptã, vt ipsa assumptione crearetur ita Leo Papa epist. 11. & Augustinus contra sermones Arrianorum capit. 8. ergo subsistentia animę rationalis per creationem producitur, quando connaturali modo producitur illius existentia, idest, quando ipsa creatio non impeditur: sed eadem est ratio de subsistentia materiæ primæ: ergo Fabet huic modo dicendi Diu. Thom. 1. part. quæstion. 3. articul. 4.

Maxime notandum. Addo tamen id quod ad rem nostram pertinet. Quocunque modo producatur subsistentia ipsam præsupponi in materia, non solum ante quodcunque accidens illius, sed etiam ante vnionem fubstantialem cum forma. Ratio huius est primo quia subsistentia est modus magis intrinsecus, & coniunctus materiæ primæ, quã quod vis eius eccidens, cum subsistentia sit complementum suæ existentiæ tanquam terminus substantialis eius. Imo etiam est magis intrinsecus materiæ, modus subsistentiæ, quam modus substantialis vnionis ad formam substantialem. Cuius optimum signum est, quod licet materia possit diuina virtute separari ab omni vnione cum forma substantiali, separari tamen non potest ab omnimodo subsistendi, vel per se, vel in alio, vt sequenti quæstione declarabo.

Secunda eiusdem rei ratio est, quod subsistentia aliquo modo est causa cuiuscunque accidentis in materia recepti, & vnionis substantialis eius ad formam, nam subiectum tam accidentium, quam vnionis, & formæ substantialis est ipsa substantia materiæ primæ; sed subsistentia est complementum huius substantiæ materiæ primæ: ergo subsistentia materiæ supponitur prius natura quocunque accidẽti & vnione ipsius materiæ ad formam, nõ quidem

d m tanquã ratio causandi, sed tanquam conditio, complementum. & connaturalis modis essendi ipsius.

Quæ ratio confirmari potest à simili in causa efficienti substantiali cuius subsistẽtia supponitur prius natura ipsi operationi, non tanquã ratio formalis operandi, sed tanquam connaturalis modus ipsius causę magis intrin secus quàm operatio.

Sed contra secundam con clusionem obijci potest, quia effectus formalis subsistentiæ est facere naturam omnino incommunicabilem: sed materia prima non est omnino incommunicabilis, quia potius natura sua ordinitur ad compositionem substantialem cum forma: ergo materia non habet propriã subsistentiam ante vnionem cũ forma.

Sed tamen hoc argumentum æque etiam probaret de anima rationali non habere propriam subsistentiam, quia ordinata est ad substantialẽ compositionem hominis, quod tamen est contra Diu. Thomæ, & communem sententiam. Respondendum est ergo proprium effectum subsistentiæ esse in communicabilitatem ad aliud tanquam ad suppositum sustentans, hæc tamen incommunicabilitas non tollit, quin si illa natura quæ subsistit sit partialis, & natura sua ordinata ad componendum aliquod vnum cũ altera parte vniatur & communicetur illi tanquam com parti.

Ad D. Thom. qui similiter obijcere potest, contra hanc subsistentiam materiæ sicut contra existentiam illius. Respondendũ est, quod quando D. Thom. videtur negare, materiæ primæ hoc quod est esse vel subsistere, non negat illi omne esse, siue omnem subsistentiam, sed tantum esse perfectum per quod ipsa possit per se separata existere: nam habere esse, vel subsistere hoc modo proprium est compositæ, siue integræ naturæ, præter quam soli animæ rationali potest conuenire: hæc enim licet sit naturæ partialis, habet tamẽ esse perfectum quantum ad hoc quod est posse in suo esse separata subsistere, quod quia non habet materia dicitur à Diu. Thom. non habere esse, siue nõ esse per se. An vero ex subsistentia ista materiæ primæ, quę partialis est, cum sit modus naturæ partialis, fiat vnum integrum subsistens per complementum alterius partis subsi-

subsistentiæ prouenientis à forma, disputatione sequenti dicetur.

QVAESTIO. VI.

Vtrum materia prima possit existere in rerum natura sine omni forma substātiali.

Opinio aliquorum.

NON defuerunt Theologi, qui in præsenti quæstione docuerint materiam aliquando de facto extitisse sine vlla forma substantiali. Quidam eorum quos refert Argentinus in 2. dist. 12 q. vnica ar. 2. id accidisse docent in principio creationis mundi, quia existimant materiam primam creatam esse nudam omni substantiali forma fundantur in illo Genes. 1. terra autem erat innanis, & vacua, per terrā enim August. cap. 4. lib. imperfecti de Genes. ad literam materiam primam intelligit: per inanitionem vero, & vacuitatem, eiusdem informitatem.

Alij vero Theologi è quorum numero censetur Marsilius in 3. quæst. 13. artic. 1. & Gabriel. in 3. distin. 12. articulo 3. existimant in morte Christi mansisse diuinū Christi corpus sine vlla forma.

Reijcitur illorum opinio.

Verum hæc sententia secūdum vtranque partem illius falsa est, & quo ad primā partem legendus est D. Tho. 1. part. quæst. 6. 6. art. 1. vbi refert diui August. aliorumque patrum diuersas sententias, & recte exponit, & cōcordat. Nam D. August. posuit quidē materiam fuisse vacuam omni forma, non secundum ordinem temporis, sed solum origine, & naturæ ordine, secundum quem præcessit materia formas substantiales, simul tamen tempore fuit cū illis. Verum est non nullos ex Græcis Patribus quos D. Tho. refert dixisse: illā terræ siue materiæ informitatē tempore præcessisse, sed huiusmodi Patres per informitatē materiæ non omnium formarum, sed decoris & pulchritudinis priuationē intelligunt, quæ modo apparet in corporea creatura vt D. Tho. exponit. Quod autem in morte Christi materia non fuerit sine aliqua forma cadaueris sicut in reliquorúhominū morte contingit communis est reliquorum Theologorū ac vera sententia, quam recte cō firmat Pater Suarez tomo. 2. in 3. disp. 38. sect. 3.

2. sent.

Secunda sententia asserit, etiamsi de facto materia nunquam extiterit omni substantiali forma priuata, posse ta-

mē naturaliter sine omni forma produci & conseruari. Ita docet Marsi. supra Greg. in 2. dist. 12. q. 2. Bur. 1. physicor. q. 22. fundamētum huius sententiæ esse potest, quia materia ex se habet propriam existentiam, & subsistentiam independētē à forma, preterquā nihil aliud desiderari potest in aliqua re, vt seorsum & per se separata existere possit.

Confirmatur hæc ratio: quia anima rationalis licèt sit substantia partialis, solū quia subsistit independēter à materia potest naturaliter à materia separari: sed materia etiam subsistit independenter à forma: ergo potest ab illa separata naturaliter cōseruari.

3. sent. Tertia sententia asserit, esse omnino impossibile etiam de potētia Dei absoluta materiā conseruari in rerū natura sine forma aliqua substātiali.

Hæc est D. Tho. expressa sent. 1. p. q. 66. ar. 1. supra citato quam sequuntur eius discipuli aliiq; plures, quos referunt patres Lusitani q. 6. ar. 1.

Fundamēta huius sentētiæ sunt quidē plura, sed nullius sane roboris, vel efficaciæ, suppositis, quæ in superiori quęst. dicta sunt. Primū enim est quia materia non habet propriā existētiā, nec subsistētiā, sed à forma hoc habet q. iā impugnatū est. Secundū simile etiā est huic, quia nimirū dato, materiā primā habere propriā subsistētiā illā tñ habet à forma depēdētē in genere causæ formalis, repugnat autē esse effectū formalē sine forma: quod etiā supra dub. 8 impugnatum est.

Et deinde licet effect⁹ formalis, qui formā ipsā essētialiter includit, qui dici solet primarius sine forma ipsa fieri non possit vlla potentia a Deò, vt v. g. album sine albedine, vel hominē sine anima rationali, effectus tñ formalis siquis alius esset quē secūdarium docēt nō includēs, nec depēdēs essentialiter à forma poni posset in rerū natura sine forma supplēte Deo cōcursum causę efficiētis, in quo tātū genere posset ille effectus à forma depēdere, sicut similis effectus materialis poni pōt à Deo in rerū natura, supplēte ipso in genere causæ efficiētis cōcursum materiæ, vt cōstat in quantitate Eucharistię, & in forma substantiali materiali, quę licèt à materia depēdeat, cōseruari pōt extra materiā secūdū probabiliorē sētētiā: Quāuis ergo subsistētia materiæ esset effect⁹ formalis, quia tñ essentialiter nō includit ipsam formā, ideo poni posset a Deo materia subsistēs sine forma, sicut effectus materialis materiā ipsā nō includens.

esse n-

essentialiter fit à Deo sine cõ cursu materiæ.

3 funda. Tertiũ fundamẽtũ huius sẽtẽtiæ est. Quia repugnat ꝙ aliquid sub aliquo genere directe, vel reductiue cõtẽtũ nõ cõtineatur sub aliqua specie illius generis: sed si materia prima existeret in rerũ natura sine forma reduceretur ad genus substantiæ & sub nulla illius generis determinata specie collocaretur, ergo.

Sed hoc fundamentũ optime diluunt Patres Lusitani c. 9. q. 6. ar. 4. ad. 3. quia materia illa omni forma priuata pertineret ad determinatã speciẽ infimã sũbstãtiæ in cõpletæ scilicet ad materiã rerũ generabiliũ & corruptibiliũ. Deinde etiã reduci posset ad gen⁹ corporis, cuius est pars essentialis. Quod autẽ ad nullã determinate speciẽ corporis reduci posset nullũ est incõueniens: quia sicut materia illa nullius cõpositi specifici pars esset actu; ita ad nullius cõpositi speciẽ in particulari redũceretur. Neq; enim est de essentia materiæ, ꝙ cõtineatur sub aliqua specie cõpositi particularis, vt propterea dicatur materiã nõ posse de potentia Dei absoluta existere sine forma: quia nõ cõtineretur tunc sub aliqua determinata specie.

4. fund. Quartũ huius sententiæ fundamẽtũ esse posset, quia relatio nõ põt etiã diuina virtute poni in rerũ natura sine suo termino, vt supra probauim⁹: idẽ docent D. Th. q. 7. de potẽtia ar. 9. Scotus in 2. d. 1. q. 12. q. 2. Capreol. in. 1. dist. 30. ar. 1. & in 4 d. 12. q. 1. ar. 3. sed materia prima respicit essẽtialiter formã, nõ sec⁹, ac relatio respicit terminũ: ergo materia prima etiã per miraculũ separari nõ potest à forma substãtiali, nec sine illa cõseruari.

Sed hoc etiã fundamẽtũ est leue & colligitur ex dictis loco sup. cita. de differẽtia inter relationes, *secundũ esse, & secundũ dici*, facile apparet, illius solutio, est enim magna differẽtia inter relationẽ, quæ est secũdũ esse, & habitudinẽ, quã materia dicit ad formã, quia relatio secũdũ esse specificatur à temino actualiter existẽti, vnde illo percũte, etiã relationem destrui necesse est, at habitudo materiæ ad formã non specificatur à forma actu existẽti, sed à possibili, sicut in vniuersum, quæcũq; habitudo trãscendẽtalis & essẽtialis alicui entitati absolutæ nõ terminatur ad terminũ existẽtẽ, sed ad possibilẽ tãtum, & ideo licèt nulla existat forma substãtialis, materia prima existeret in rerũ natura cũ sua essẽtiali habitudine ad formã sibi possibilẽ, atque adeo nõ

 desinere-

destrueretur eius essentia sicut destrueretur essentia relationis secundum esse, corrupto illius termino, legatur etiam Lusitani supra.

Materia prima nō potest esse sine forma naturaliter.

Dicendum est primo in hac quæstione. Materia prima nō potest naturaliter, & sine miraculo existere sine forma aliqua substantiali, hęc est communis fere omnium sententia: ratio tamen illius non est dependentia tantum materię à forma tanquam à causa sui esse, vt patet ex dictis, sed necessaria connexio quam cum forma substantiali habet, quā exigit naturaliter tanquam complementum sui esse: sæpe enim videmus rem aliquā natura sua priorem & indepédentem in sua entitate, & existentia ab aliquo posteriori esse non posse sine illo, quod est posterius. Sic substantia materialis esse non potest sine quantitate alijsque accidétibus, nō quia ab illis tanquā à causa sui esse depēdeat, sed quia esse substantiæ materialis, quid imperfectum sit nequit sine adminiculo & perfectione accidentis, ipsa posterioris subsistere. Pari ratione materia est ita naturaliter connexa cum forma, vt sine illa esse nō possit: quia vt optime ad hoc propositum Philosophatur Pater Suarez. 3. tomo in 3. part. disp. 5. sect. 6. post tertiam conclusionem non debetur materiæ conseruatio naturalis sub alio existendi modo quam sub forma substantiali, & ideo sublata omni forma substantiali naturaliter periret materia, ratio autem huius indigentiæ, & necessitatis, qua materia indiget substantiali forma ad sui existentiam & conseruationem in rerū natura est, quod ipsa aliquando sit ens incompletum & valde imperfectū, vtpote pura potentia in genere substantiæ, & nullius operationis principium. Sed declaratur preterea hæc conclusio, quia materia prima in sui productione, & creatione nō potuit naturaliter produci extra totū sine aliqua forma, & semel informata nō potest aliquādo naturaliter priuari omni forma: ergo nō potest naturaliter esse sine forma. Antecedés quoad primā partē probatur, quia materia natura sua petit produci in toto cū aliqua forma substātiali, quia natura sua ordinatur ad recipiēdā formā & cōponédū totū: sed agens producens illā denouo est potentissimū, nimirum Deus, a quo solo per creationē potuit produci: ergo si naturaliter illā creat creabit eā iuxta exigétiā suę naturæ, atque

stq; adeò cũ forma. Sicut eadẽ ratione nunquã creat animãra ionalẽnisi in materia, vt subsistat in ea, & nõ separata.

Secũda pars illius antecedẽtis probatur, quia materia prima æque amat formã quã habet ac cæteras, & ideo nũquã amittit eã, nisi per aduẽtũ alterius formaliter in cõpossibilis cum illa, aut saltẽ nõ põt illã amittere, nisi interueniãt cõtrariæ dispositiones efficiẽter expellẽtes præexistẽtem formam à materia: sed huius modi dispositiones nõ minorẽ vim habent ad producẽdã nouã formã substãtialẽ, quã ad expellendã præexistentẽ: ergo quãuis materia amittat præexistentẽ, acquirit aliã de nouo, & sic semper naturaliter manebit cũ aliqua forma substantiali.

Vnde ad fundamẽta illius secundæ sententiæ Respõdetur. Ad primũ dicendo non quãlibet subsistentiã sufficere ad existendũ perse, & seorsum: nã perfectius est posse subsistere perse, & seorsum ab alijs separatũ, quã subsistere in alio, quia ergo substantia materiæ primæ est va de imperfecta, tanquã substantia puræ potẽtiæ passiuæ, licèt sufficiat ad subsistẽdũ cum forma independẽter ab illa, nõ tñ sufficit ad subsistendũ seorsũ & sine forma. Sicut licèt subsistẽtia substantiæ materialis nõ proueniat à quantitate, nihilominus substãtia materialis nõ põt subsistere naturaliter perse & separata à quantitate.

Ad cõfirmationẽ autẽ per hæc etiã respõdetur assignãdo differentiã inter animã rationalẽ & materiã, quia anima rationalis, licèt sit substantia incõpleta, est tñ spiritualis, & separata põt esse principiũ multarũ operationum valde perfectarũ, quas perfectius exercet extra corpus. Secus cõtingit in materia, quæ est pura potẽtia receptiua formarũ & nulli⁹ propriæ operationis est principiũ. Quæ ratio sufficiẽs censeri debet, vt propter illã dicatur materiã separari nõ posse à forma, nã Ar. illa vsus est ad indagãdã animæ rationalis separabilitatẽ à materia lib.1.de anima c.1. quorsum in natura collocaret materiã seorsum separatã à forma cõtinuo otiosã, & inutilẽ.

Dicẽdũ secũdo de potentia absoluta posse materiã existere sine vlla substãtiali forma. Ita docẽt oẽs doctores cit. in dubio præcedẽti cõclusione prima & præter illos idẽ docuit Fõseca lib.5.met.c.2.q.3 sec.1.& 2. dicẽs dubiũ esse nõ posse in hac cõclusione. Et mirãdũ est Sotus hic q.6.art.

 2.con-

2. conclusione. 2. eandē cōductus est sequi sententiā, licèt opinetur materiā nō habere propriā existentiā. Ratio cōclusionis est: quia obiectū diuinæ omnipotētiæ est omne illud ꝙ nō inuoluit cōtradictionē fiat: ergo omne illud pōt saltē per miraculū fieri à Deo, quod nō implicat cōtradictionē: sed materiā existere sine forma substātiali nullā inuoluit cōtradictionem: ergo saltē per absolutā Dei potentiā & per miraculosum operādi modū fieri potest, vt materia sine vlla forma substantiali existat. Minor iam declarata est supra inter referenda fundamenta sententiæ oppositæ.

Cōfirmatur hæc ratio, quia nō minus requirit accidens coexistētiā sui subiecti, quā materia requirat coexistētiā formæ substantialis: sed accidens pōt diuina virtute saltē per miraculum existere sine suo subiecto, vt constat in sacraméto Eucharistię: ergo & materia poterit eadé diuina virtute cōseruari sine vlla forma substātiali. Maior declaratur, quia accidens dependet proprie à subiecto tāquam à causa sui esse, & priori natura ipso, at materia est prior forma & nō depédet proprie ab illa, tanquā à causa vel priori secundū naturā, sed solū tanquā à posteriori per quā scilicet in suo esse perficitur & cōpletur, quæ proprie nō est depédētia, sed exigētia formæ: ergo accidēs magis depēdet à subiecto, quā materia à forma. Ratio autem à priori est, quia materia vt existat solum pōt requirere entitatē cū existētia, & subsistētia: sed matēria prima ante vnionē cū forma substātiali est entitas actualis & subsistēs: ergo saltē potest miraculum potest existere sine vlla forma.

Ex qua ratione infero actionē, qua materia separata ab omni forma substātiali cōseruaretur à Deo, vel crearetur de nouo, esse omnino eandē cum ea, qua de facto creata, & cōseruata est hactenus cū formis. Ratio est quia materia in sua entitate, existētia & subsistētia nō dependet à forma, sed à solo Deo, & ideo necesse nō esset ablata forma augeri cōcursum Dei cōseruantis materiā: vnde etiā cōstat huiusmodi actionē non fore in sua substātia supernaturalē, sed solū quoadmodū, sicut actio qua cęco restitueretur à Deo visus: nā pręternaturale est cōseruari, vel creari materiā nō adhibito simul concursu ad producēdā vel cōseruādā aliquā formā, sicut enim

materię præternaturale est esse sine forma, ita etiã creatio vel cõseruatio materiæ sine forma præternaturalis est, quo ad modũ, quia scilicet ponitur sine concursu requisito ad producendam vel conseruandam formam.

Contra hanc sententiã nihil video quod obijci posset pręter authoritaté D. Thom. cui Sotus supra nihil derogari censet, quod res hæc sit nõ magni momenti, ego etiã nihil habeo quod respondere possim, quia video eũ expresse docuisse in illa q. 6.6. ar. 1. implicare contradictionem, materiã esse sine forma. Quod auté loquatur de forma informanti, dubiũ esse non potest ei, qui totũ ipsum articuli corpus perlegerit. Nihilominus non desunt ex Iunnioribus, qui existimét. D. Th. eo loco non loqui de forma, quæ est pars naturæ substantialis de qua nos in hac quæstione sumus loquti, sed nomine formę intelligere quécũq; actũ perficiété aliud subiectũ, qualis est actus v.g. subsistétiæ.

Quod scilicet ibi persuadet ex ratione qua vtitur ad hoc probãdum, quæ nisi hoc modo intelligatur aperte esset sophistica & friuola. Ratio illius sic habet. *Impossibile est aliquid esse actu sine actu, quia terminus creationis est actus: sed huiusmodi actus est forma*: ergo impossibile est materiã fuisse creatã sine forma. Nam maior propositio est falsa si intelligatur de actu substantiali informatiuo, quia Angeli, & accidẽs separatũ sunt actu sine forma substantiali: ergo vt illa propositio sit vera intelligẽda est de actu subsistẽtię. Vnde quando in minori sub sumitur illũ actũ esse formã, nomine formæ, vt dixi, non põt intelligi ea forma, quæ est altera pars naturę substantialis, sed vniuersalius accipitur nomẽ formæ pro quocunq; actu perficiẽte subiectũ, indé fit vt in conclusione, cum infert materiam non posse sine forma existere, nomine formæ intelligat idem quod in minori propositione, aliàs ratio esset æquiuoca & sophistica, & ideo solum cõcludit impossibile esse materiam existere sine actu aliquo subsistentiæ, quod est verissimum, siue hæc fuerit mens Diui Tho. siue non.

Sed contra hoc obijci potest, quia sicut forma substantialis est posterior natura, quam materia, ita subsistẽtia est posterior eadem materia: sed materia potest existere in rerum natura sine forma propter illam rationem: ergo propter eandem etiã poterit esse sine subsistentia.

Respõdetur negando cõsequentiã, primo, quia maior distinctio est inter materiã & formã, quam inter materiã & subsistẽtiã:nã forma distinguitur à materia sicut res à re, subsistentia vero solum sicut modus a re ipsius.

Deinde maxime obseruãdũ est rẽ nõ æque separari posse à modis quibusdã sibi intrinsecis, ac separatur a rebus diuersis, sunt.n. quidã modi ita perse cõnexi cũ existẽtia rerũ vt sine aliquo illorũ, neq; cõcipi, neq; actu esse possit, huiusmodi sũt illi, qui rei entitatẽ ita necessario cõsequuntur, vt nõ pẽdeant ab aliquo agẽte extrinseco, vt excludã relationes, quæ nõ cõsequũtur necessario entitatẽ vel essentiã rei, nisi ponatur extrinsecus terminus, & modũ etiam vnionis materiæ cum forma, quæ nõ solũ pẽdet a re alia separabili à materia, sed etiã ab agente extrinseco. Inter hos autẽ modos intrinsecos & per se cõiũctos entitati, sunt præsentia localis, duratio, figura respectu quãtitatis, &c. quia impossibile est quantitatẽ esse sine eo quod sit curua, vel recta, vel alterius figuræ.

Similiter etiã impossibile est rẽ aliquã existere in rerũ natura, nisi sit alicubi, & in aliquo tẽpore, vel duratione. Itẽ impossibile est hominẽ esse in loco, quin stet aut sedeat aut iaceat, vel aliode habeat modo. Ex his igitur modis intrinsecis est etiã subsistentia materiæ primæ, nã nõ modo ipsa esse nõ põt, nisi vnita materię ipsam terminet, sed etiã materia existere nõ põt, sine aliqua subsistẽtia propria vel aliena, quia nõ minus intrinsece terminatur materiæ subsistentia per subsistẽtiã quã quãtitas per figuras, vel linea per puncta, sicut.n. est impossibile quãtitatẽ esse extẽsam sine aliqua figura, ita est impossibile materiã esse, & nõ esse aliquo modo: ergo quim perse vel in alio existat, quia nõ est mediũ: Si autẽ sit perse habebit propriã subsistẽtiã, vel si existat in alio (vt cõtingit materiæ humanitatis Christi) terminatur diuina subsistẽtia an vero terminari possit aliena alia subsistentia præter diuinam, Theologicum est, potius quam physicum.

Hinc sequitur materiã non posse separari ab omni actu substãtiali, quia nõ põt separari a subsistẽtia, imo etiã sequitur illam non posse etiam per miraculum separari ab omni actu, vel forma accidentali v.g. ab illo sine quo eius existentia intelligi non potest, vt a præsentia aliqua locali, à duratione si hæc sit accidẽs. Addunt alij, à relationibus

non

non nullis esse inseparabilem v.g. à relatione creaturæ ad Deum, quod pêdet ex eo, an existente fundamento, & termino relatio, à necessario sequatur vt impediri non possit etiã à Deo: in quo ego non video tantam necessitatem. Alij quoq; addunt magnitudinem à qua dicunt materiam esse inseparabilẽ; sed hoc non est verum vt constabit ex sequenti quæstione.

QVAESTIO VII.

Vtrũ materia prima possit existere sine magnitudine, & sine illa plures habere partes?

1. Supp. V T Hæc quæstio possit procedere, suppono materiã esse realiter diuersam à magnitudine quantitatiua, quia fides nostra docet in sacramento altaris existere quãtitatem & reliqua accidentia panis sine substantia materiæ, quod fieri non posset nisi substantia materiæ & quantitas realiter essent distincta.

2. Supposi. Secundo etiam suppono materiam non posse naturaliter existere sine quantitate: ratio cõstat ex dictis dub. 4. post secundã illationẽ & ex dictis dub. præceden. Quia materia non potest naturaliter creari vel conseruari sine forma substãtiali, ex materia autem & forma substantiali vnitis, necessario sequitur quantitas, quæ nullo modo corrumpi potest in materia, quia nõ à contrario cũ nullũ habeat, neq; ex defectu subiecti, quia eius subiectũ, nempe materia est incorruptibilis, neq; ex defectu causæ efficientis vel cõseruantis, quia vel non indiget alio conseruante, præter materiam & primam causam: vel si indiget aliqua alia secũda causa conseruante, illa erit substantialis forma, quæ nũquam desiderari potest in materia naturaliter loquendo, est igitur quantitas ipsi materiæ naturalis comes atq; coæua. Dubium ergo tantũ procedit de potentia Dei absoluta, an scilicet materia per miraculum sine magnitudine conseruari possit in rerum natura.

Dicendum tamen est primo materiam primam, & cõsequenter substantiam corpoream per miraculum existere posse sine magnitudine quantitatiua. Ita docet Scot. in 2. d. 12. quæst. 2. Gabri. ibidem, quæst. 1. Astudillo. 1. phys. q. 5. Aquar. eodẽ loco Asseri. 1.

cum magnitudine, quam magnitudo cum materia prima, sed multo magis, nam magnitudo dependet à materia, & indiuiduatur per materiam, non vero è contra: Sed magnitudo per miraculum potest existere sine materia, ergo potiori ratione dicendum est materiam per miraculum posse existere sine magnitudine.

In secunda parte huius quæstionis certum esse debet apud omnes, materiam, & similiter omnem substantiam corpoream existentem, actu sub quantitate habere multitudinem & distinctionem partium, licet videatur Durand. hoc negare in 1. dist. 24. quæst. 1. in fine. Et constat manifeste, quia cum diuiditur corpus quantum, quælibet pars quantitatis habet suam diuersam partem materiæ in qua subiectetur: sed illę partes materiæ non producuntur de nouo per diuisionem, sed tantum disconti nuantur: ergo ante diuisionē sunt in ipsa substātia materię plures partes substātiales interse distantes & vnitæ, sicut sunt distantes & vnitæ partes quantitatis.

Cōfirmatur hæc ratio: quia in quantitate sunt plures partes, sed hæ non recipiuntur in eadem parte subiecti, sed in diuersis, ergo materia habet in se diuersas partes, in quibus recipit diuersas partes quantitatis. Dubium igitur solum esse potest, an materia ex se habeat hanc partium multitudinem, distinctionem, & compositionem, an vero solum ratione quantitatis quam recipit.

In qua re multorum opinio asserit materiam in se & ex se non habere plures partes, sed solum ratione quantitatis esse compositā & diuisibilem. Ita docuit Alber. 1. phys. tex. 2. cap. 4. Dur. in 1. d. 24. loc. citat. Capreol. Sonci. Niphus zimara. Vallesi, Tolet. Pręcipuum huius sententiæ fundamentum est, quo vtitur Tolet. concl. 1. quia impossibile est quod materia vel substantia corporea habeat affectum formalē quantitatis sine quātitate, sicut paries non potest esse albus sine albedine: sed habere partes, seu esse extensum aut diuisibile est propri effectus formalis quātitatis: ergo impossibile est materiā sine quātitate habere aliquas partes, aut esse diuisibilē: probatur minor, quia præter hāc extensionem, vel multitudinem partium, nulla alia assignari posse videtur ratio formalis quantitatis.

Di-

Quā cōpositionem habeat materia ex se.

Dicendū est tamen secūdo materiam ex se habere compositionem ex pluribus partibus integrantibus realiter diuersis & independentibus à quantitate, ita docent Scōtus in 2. d. 3. quęst. 4. & eius discipuli Brasol. in 4. d. 12. quęst. 1. art. 1. maior eadem quæst. & Lichetus ibidē. q. 3. Preterea etiam Gab. Astul. Scotus & Fōse. citati q. 1. Itē Herueus quodlib. 1. quæst. 25. ibidē supponit Perei. lib. 10. cap. 2. & docent Lusita. cap. 3. quæst. 2. artic. 3. ad 1. & 2. & ex professo doctissime hanc conclusionem probauit pater Suarez tomo. 3. in tertia parte disp. 4. 8. sect. 1.

Et probatur primo ex facta iam suppositione, quia materia existens sub quātitate habet multitudinem & distinctionem partium substantialium, nam pars materię quæ est in manu corporis humani, non est substantialiter & entitatiue eadem cum parte materiæ quæ est in oculo: ergo si Deus destructa quantitate conseruaret materialem substantiam corporis humani, entitas materiæ, quæ nūc est in manu maneret entitatiue distincta à materia quę est in oculo. Patet cōsequentia, quia implicat duas entitates prius distinctas & realiter manentes in vnam & indiuisibilē entitatem coalescere: nam quāuis possint poni simul in vno puncto indiuisibili spacij, tamen vna nō potest esse alia, cum sint etitates distinctæ. Respōderi potest ex Tolet. sup. concl. 3. hanc partiū distinctionē conseruari posse in materia existente sine quantitate, prouenisse tamē à quātitate cum quā, materia fuit antea.

Sed contra, quia si hæc distinctio partium materię primæ esset formalis effectus quantitatis, implicaret ablata quantitate manere partes illas distinctas, cū igitur maneant distinctæ, sequitur illā distinctionē partiū nōn esse à quantitate: deinde aperte repugnat partes materiæ distingui per quantitatē: quia nulla entitas siue sit totalis, siue partialis potest ab alia entitatiue distingui per aliā entitatē tāquā per causam formalē distinctionis, sed per se ipsā: Vnaquæq; enim res per id quod est ab alia distinguitur, quia distinctio supra entitates, eorū, quæ distinguntur solum addit negationem, qua vnum non est aliud.

Secunda ratio sit quia entitas materiæ primæ ordine naturæ est prior quam

quod

quodcunq; accidens sibi inhærens: ergo est etiam prior quantitate, vel ergo entitas materiæ sic præsupposita est indiuisibilis entitatiue, & hoc non: quia aliàs non posset extendi entitatiue per quantitatem superuenientē, quo modo enim posset quantitas multiplicare partes in re quæ secundum se entitatiue est indiuisibilis: ergo materia in illo priori est iam diuisibilis entitatiue: ergo nō habet à quātitate partium multitudinem aut distinctionē, quia nullum subiectum recipit prius natura effectum formalem, quàm formam à qua prouenit.

Vnio partiū materia per propria indiuisibilia.

Dicendum est tertio materiam primā ex se etiam habere vnionē suarū partium entitatiuā independenter à quantitate. Volo dicere, sicut quātitas cōtinua in se habet multitudinē partium inter se vnitarū per indiuisibilia quantitatis, scilicet per puncta, &c. ita materia prima ex se habet multitudinem partium quæ inter se vnitæ sunt nō per indiuisibilia quātitatis, sed per propria indiuisibilia distincta ab indiuisibilibus quantitatis ab illisque prorsus independentia. Hanc conclusionem acutissime etiam probauit pater Suarez eodem. 3. tom. disp. 51. sect. 3. ad 2. arg. Cuius prima ratio est, quia substātia materiæ existēs sub quantitate, adæquate est illi coextēsa, & altera alteri adin ulcem est intime & continue præsens: ergo necesse est vt vbicunq; est aliquid quantitatis, qualecunque illud sit, aliquid etiā materiæ proportionate respōdeat: ergo indiuisibilibus quantitatis necessario respondent in materia alia indiuisibilia substātialia ipsius materiæ.

Cōfirmatur quia quantitas secundum se totam est accidens substātiæ: ergo necesse est, vt ex parte substantię materiæ primæ correspondeat aliquid substantialiter & entitatiue indiuisibile, quod sit proportionatum subiectum indiuisibilium quātitatis. Sicut è contrario: quia albedo continue extēditur & subiectatur in superficie, necesse est vt in indiuisibilibus quātitatiuis ipsius superficiei respondeant in albedine aliqua indiuisibilia qualitatis, quæ in alijs subiectentur.

Confirmatur secundo, quia ablata quātitate à materia manent partes materiæ realiter inter se distinctæ, vt probatū est: sed illæ partes materię nō manent inter se omnino diuisæ: id enim est impossibile

sibile, cum sint infinitæ: ergo manent vnita proprijs substātialibus terminis, quia illa vnio non potest esse per modum actus & potentiæ, sed per modum integritatis entitatiuę proportionatę integritati quantitatis: non ergo dependet illa vnio partium materiæ à quantitate: applicari etiam potest adhoc confirmandum secunda ratio præcedentis conclusionis.

Ex his conclusionibus sequitur materiam primam nō solū ex se habere partes, sed etiam habere infinitas partes & infinita indiuisibilia substantialia, sicut in lib. 6. dicemus, quantitatem ex se habere partes infinitas & infinita indiuisibilia continuatiua illarū. Ratio constat ex dictis, quia materia coextenditur quantitati sub qua existit & cuicumque parti, vel indiuisibili quantitatis correspondet distincta pars & distinctū indiuisibile materiæ, neque enim duæ, vel plures partes quantitatis possunt naturaliter esse in eadem parte subiecti: ergo sicut partes & indiuisibilia quātitatis sunt infinita, ita quoq; partes & indiuisibilia materiæ sunt infinitæ.

Habet materia infinitas partes.

Secundo sequitur materiam primam non habere à quantitate intrinsecè & formaliter entitatiuam extensionem, seu distinctionem & coniunctionem suarum partium substātialium, sed eam habere per intrinsecā suam entitatem independenter à quantitate, vt manifeste probatum est.

Dices quid ergo habet materia à quantitate in genere causæ formalis? Respondeo materiam primam habere à quantitate, ita ocupare locū, vt vna pars eius excludat aliā ab eodem loco vel spatio, & consequenter vt partes eius sint interse loco distantes & impenetrabiles, hic tamen effectus impenetrabilitatis dupliciter intelligi potest cōuenire materię primæ: primo aptitudine tantum, seu potētia proxima: secundo in actu exercito, primo modo est effectus primarius & formalis quantitatis inseparabilis à materia existente sub quantitate. Quod inde colligitur, quia materia non potest per diuinam potentiam priuari hac aptitudine retenta quantitate, neque è contrario potest intelligi substantia materiæ primæ habere hanc aptitudinem proximam ad replendum & ocupandum spacium, nisi prout est affecta quan-

Quid habeat materia à quantitate.

quantitate & ratione illius: posteriori autem modo, id est, actualis spatij repletio & impenetrabilitas non conueniunt materiæ primæ ratione quantitatis immediate, quia hic non est effectus formalis quantitatis, sed est effectus ipsius vbi quantitatiui, vel præsentiæ localis, quę naturaliter debetur ipsi quātitati, ab hac enim pręsentia locali prouenit immediate ipsi quantitati extensio in ordine ad locum: & iuxta hæc duo membra explicanda est communis distinctio de extensione in ordine ad se, vel in ordine ad locū: nam prior extensio quasi aptitudinalis tantum dici potest extensio quædam corporis quanti secundum se, quia ratione illius aptum est occupare spatium extensum, quàm extensionem semper in se retinet, quandiu retinet quantitatem, siue actu occupet locum, siue non, vt patet in Corpore Christi existente sub speciebus Sacramentalibus.

Posterior dici potest extensio in ordine ad locum, quia consideratur secundum actualem modum, quo corpus occupat spatium extensum per commensurationem, seu extensionem partium respectu illius: nam pars corporis quanti occupat partem spatij, & totum corpus totum spacium.

Quæ extensio in ordine ad locū non est formaliter quantitas, cum in Sacramento sit Corpus Christi quantum sine illa: sed est ipsummet vbi quantitatiuum siue præsentia naturalis ipsius quantitatis propria, vt docuit Pater Suarez tomo citat disp. 48. sect. 1. in conclusione & disput. 51. sect. 2. etiam in conclusione.

Et per hoc patet ad fundamenta Toleti & aliorum, qui materiæ primæ negant multitudinem & diuisibilitatem partium, quia extensio, seu diuisibilitas entitatiua & substantialis materiæ primæ non est effectus quantitatis: sed impenetrabilitas & extensio tantum aptitudinalis in ordinę ad locum, & hanc non tribuimus materiæ nisi ratione quantitatis.

Quod si quis quærat vnde colligitur hanc impenetrabilitatem esse effectum proprium quantitatis & non substantiæ, vel alicuius alterius accidentis. Respondetur in primis, quod non proueniat à substantia manifestum est in speciebus Sacra-

Impenetrabilitas vnde proueniat.

Impenetrabilitas unde prouenit.

sacramentalibus, quę non minus sunt impenetrabiles alteri corpori postquam non adest sub illis substantia panis, quàm cùm erat sub illis.

Deinde quod non proueniat ab aliquo alio accidenti patet, quia nullum assignabitur determinate sine quo nō reperiatur effectus iste impenetrabilitatis, si autem dicatur indifferenter prouenire ab omnibus qualitatibus v.g. à calore, colore, &c. Contra est quia omnia ista accidētia penetrantur inuicem inhęrendo simul eidem subiecto: quę ex se non habent impenetrabilitatem : ergo præter qualitates dādum est aliquod aliud accidens, à quo proueniat ista impenetrabilitas corporum, & hoc est quantitas.

Respondere possent nominales tenentes quantitatem non esse quid distinctū à substantia vel qualitatibus, sed modum quendam substātiæ & qualitatis proprium, hanc impenetrabilitatem prouenire ab illo modo quantitatis proprio cuilibet entitati materiali, ita tamen vt albedo v.g. ratione suæ proprię extēsionis, seu quantitatis non habeat impenetrabilitatem cū quacunq; alia entitate extensa, sed solum cum altera eiusdem rationis, & speciei v.g cum altera albedine, & sic de cæteris tam accidētibus, quā substantijs materialibus, & ideo optime posse accidentia diuersę speciei conuenire in eodem subiecto: quia illa solum sunt impenetrabilia cū alijs eiusdem speciei.

Quæ solutio gratis quidē conficta est: sed difficile impugnari potest: quia quęcunque corpora coniungātur inuicem conuenient in aliquo accidenti eiusdem speciei, ratione cuius dici poterunt impenetrabilia: nam licet prius essent omnino dissimilia in qualitatibus, necesse est tamē vt antequam se inuicem tangant, inuicem quoq; alterentur & participent accidentibus eiusdem speciei, ratione quorum etiam alia dissimilia sunt impenetrabilia, quia supponuntur esse in eodem subiecto cum illis.

Tertio sequitur materiam separatam à quantitate ex se indifferētem esse, vt eius partes sint in eodem puncto indiuisibili spatij, vel inter se distantes, & vnitæ in spatio diuisibili, & extēso: ita docent Sotus & Gabri. supra & Pater Suarez disputat. 48. citat. sect. 1. illat. 2. prima pars huius illationis facilis est, & ab omnibus fere conceditur: quia ablata quantitate nō ne-

cessario

non necessario se mutuo expellerent partes materiæ ab eodem indiuisibili spatio, quia hic effectus impenetrabilitatis prouenit à quantitate & à naturali eius præsentia, vt dixi: sicut eadē ratione plures quantitates penetrantur interse, & cū substātia materiæ in eodē subiecto, quia non habēt à se propriam extensionē localē, licet habeāt à se partium distinctionē, atque a Deo extensionem propriam entitatiuam.

Quid not. Illud tamen est notandum partes materię primæ existētes antea subquantitate, nō posse sublata quantitate penetrari in eodem indiuisibili spatio sine eo quod mutentur localiter, quidquid Fonse. dixerit in illa solutione ad 4. nam immediate antea partes materię existentes sub quantitate erāt in loco extēso & diuisibili, sicut quantitas: ergo si omnes materiæ partes ponantur in eodem loco indiuisibili, omnes partes amittent præsentiā localem, quam habebant extensam, & acquirent alterā de nouo indiuisibilem: ergo mutantur localiter, quia mutari localiter nihil est aliud, quàm aliter se habere nunc in loco quam prius.

Secunda pars illationis ita intelligitur, vt partes materiæ primę ablata quantitate maneant, cum illa eadem indiuisibili propria præsentia, quam sub quantitate habere suppono nunc, vt probabilius, & licet sub quantitate existentes non haberent propriam præsentiam, vt alij volunt, sed per eandem præsentiam quantitatis existerēt in loco, nihilominus ablata quantitate possent ædem partes materię manere per nouā & propriam præsentiam eidē indiuisibili spatio pręsentes, in quo erant antea sub quantitate, ita vt pars materiæ esset in parte spatij & tota materia in toto spatio. Hic modus existendi in loco diuisibili non est minus naturalis, materiæ primę priuatæ quātitate quā primus, imo magis naturalis est, quia nō requirit nouum motū, sed vel conseruationē pręsentię quā habebant sub quantitate, vel productionem illius, si illam nō haberent.

Et declaratur: quia hoc ipso quod partes materię sunt plures entitatiue non est necessarium, vt vbi vna est, sit alia, sicut duo Angeli, licet quantitatem non habeant, tamen quia distincti sunt possunt diuersis locis esse præsentes: pari ratione præsentia

tia hæc diuisibilis materiæ primæ natura sua constitueret totam materiam in toto spatio, & partem eius in parte spatij. quod supra Fonseca censet impossibile, sed fallitur existimans præsentiam omnem diuisibilem in ordine ad spatium esse propriam quātitatis, nā quęcūq; res entitatiue diuisibilis, est per se capax diuisibilis præsentiæ in ordine ad spatiū per quā, scilicet, ponatur pars subiecti in parte spatij, & totum in toto, quātitati autē est propriū um occupare spatium diuisibile expellendo ab eodē spatio aliud quodcunq; corpus.

Præter has autem duas præsentias vel modos existendi in loco nullus alius est connaturalis substantię materiali, neque quantitati affectæ, neque ab illa separatę: nam solum restat modus existendi in loco extenso indiuisibiliter absque extensione aliqua ipsius subiecti in ordine ad locum, vt si ponatur totum subiectum in toto aliquo spatio, & totum etiam in qualibet parte eiusdem spatij, qui soli substantiæ spirituali est connaturalis, materiali autem substantiæ non potest proprie omnino conuenire, nisi per participationem, & hoc miraculose, vt contingit in corpore Christi sub sacramētalibus speciebus.

Quarto denique sequetur partes materię separatę à quātitate, quauis in loco diuisibili existentes, separari, aut diuidi non posse ab agenti aliquo naturali. Ratio est quia agēs naturale nō potest substantiam diuidere, nisi ad diuisionem quātitatis, nam huiusmodi diuisio ab agenti naturali proueniens, vel fit per aliquod corporeum instrumentum. v.g. per serram, gladium, aut per motum partiū in diuersa loca, medio aliquo contactu, aut per aliquam alterationem: sed substantia separata à quantitate non potest per instrumentum diuidi, quia illud penetrari posset per substantiam, & ideo illa maneret integra. Itē substantia priuata quātitate tangi nō potest, vel manibus attrectari vt quasi perruptionē discótinuetur, nec alterari potest in qualitatibus, quas non recipit nisi media quantitate: ergo substantia separata à quantitate prorsus esset indiuisibilis per virutē naturalem, esset tamen diuisibilis à Deo, vel anichilādo quasdā partes materię & conseruādo alias, vel destruēdo tātū terminos indiuisibiles substātiales, quibus eius partes continuātur.

QVAE-

QVAESTIO VIII.

Vtrum, accidentia subiectentur in materia prima vel in toto composito.

INTER Accidētia, quædā sunt spiritualia, vt intellectus & volūtas, quæ sunt in homine, alia sunt corporea, vt quantitas albedo, &c. certum ergo est in hac quęstione, accidentia spiritualia quæ reperiūtur in homine non subiectari in toto composito, neque in materia prima, sed in sola anima rationali quę spiritualis est. Ratio est apperta, quia accidentia spiritualia non possunt subiectari nisi in subiecto spirituali: sed totum compositum, nempe homo & materia prima sunt aliquid corporeum: ergo non possunt talia accidentia physicè inhærere nisi in anima rationali, & inde denominatur ipsum totum cōpositum intellectiuum, quia intellectus subiectatur in anima, quæ est pars hominis, & ita denominatur totum, tale ratione partis,, sicut denominatur homo materialis, quia saltem materia prima materialis est.

Solum ergo est quæstio vtrum accidentia corporea, vt quantitas & similia inhæreant immediate in materia prima, vel in toto composito.

In qua re prima sententia affirmat & satis hoc tempore est commuis, accidentia non subiectari immediate in materia prima, sed in toto composito immediate, & quasi mediate in materia prima quæ est pars compositi naturalis: quæ sententia tribuitur D. Thom. 1. part. quęst. 76. ar. 6. in corpore vbi dicit, materiam prius recipere actum substantialem, qui est forma substantialis, quam actum accidentalem: ergo accidentia recipiuntur in materia prima non immediate, sed mediante forma, & ita immediate recipiuntur in toto composito resultanti ex materia & forma, & quæst. 77. art. 6. dicit formam substantialem subiectari in ente in potentia, nempe in materia prima, quæ est pura potentia, forma vero accidētalis subiectatur in ente in actu, nempe in toto composito quod appellatur ens in actu completo. Idē docet opusculo, 32. cap. 4. & de ente & de essentia cap. 7. & re vera negari non potest quim hæc oppinio sit D. Tho. quem sequuntur eius discipuli Caietanus de ente & essentia capapite 7. Sonc. &

1. Sent.

Authoritates & rationis huius.

Meth. quæst. 7. 8. & 9. Iabelus quæst 23. Capreolus in 2. distinctione 13. quæst. 1. Ferr. 1. contra gentes cap. 21. præter Thomistas, eãdem tenet Alexander Alensis, 1. part. quæst. 9. membr. 6. Duran. in 1. distinct. 8. quæst. 4. & plures alij probant suam sententiam ex Aristotele libro de generatione cap. 30. vbi hanc assignat differentiam inter generationem substantialem & alterationem, quod generatio substantialis subiectatur in ente in potentia, nempe in materia prima, alteratio vero subiectatur in ente in actu: sed alteratio est accidés, quia est actio de prædicamento actionis: ergo accidentia subiectantur in substantia completa, quæ est ens in actu. Et in capite de substantia ait proprium esse substantiæ quod eadem, numero manens sit susceptiua cõtrariorum accidentium: vbi aperte loquitur de substantia completa: nam materiam & formam non appellat substantias, sed partes substantiæ: ergo ex sententia Arist. accidentia subiectantur in toto composito.

Præterea libro de Generatione cap. 3. ait quod, *Generatio est mutatio huius totius in totum nullo sensibili remanente*, quod exponi solet, idest, nullo remenente accidenti sensibili; sed si accidentia subiectarentur in materia prima, sicut illa manet eadem in genito & incorrupto, etiam aliqua accidentia illi inhærentia manerent, ergo. Et eodem loco etiam ait quod in generatione substantiali fit resolutio vsque ad materiam primam: ergo nullum accidens manet, sed si subiectarentur in materia prima aliqua accidentia manerent, quia manet eorum subiectum: ergo sentit Aristot. accidentia solum subiectari in toto composito. Et rationibus probant eandem sententiam.

Primo nam ens per se debet præcedere ens per accidens, quia ens per accidens componitur ex pluribus entibus per se & in actu: sed substantia completa est ens per se: ergo debet præcedere omne ens per accidens: sed si accidentia subiectarentur in materia prima facerent cum illa vnum per accidens, quia ex substantia & accidenti non fit vnum per se, sed per accidens: ergo cum materia sit prior toto composito, sequitur quod ens per accidens sit prius, quàm ens per se.

Secundo quia vt sæpe docuit Arist. substātia est prior accidētibus: ergo substantia completa prior est accidentibus: ergo non subiectantur in sola materia prima, sed in todo composito.

Tertio quia aliàs sequeretur quod ex materia & forma substantiali non fieret vnum per se substantiale. Probatur, quia si accidentia subiectarentur in materia prima: ergo forma substantialis adueniens, aduenit illi habēti iam accidentia: sed ex substantia & accidenti non fit vnū per se substātiale, ergo.

Quarto quia materia essentialiter est potentia substantialis: ergo prius debet recipere actum substantialem, quàm accidentalem: ergo accidentia non recipiuntur immediate in materia, sed media forma, & ita īmmediatius recipiuntur in toto composito, quod integratur ex materia & forma.

Quinto, quia actus & potētia debēt proportionari: sed materia est potentia simpliciter, quia est pura potentia: ergo in ea prius debet recipi actus simpliciter talis, qui est forma substantialis dans esse simpliciter, nō vero actus secūdū quid, qui est forma accidentalis, quæ dat esse secundū quid: qualiter albedo non dat esse simpliciter, sed esse secundum quid.

Sexto quia vt aliquod prædicatū dicatur de aliquo subiecto debet esse in illo: sed accidentia prædicantur de toto cōposito: nā longe melius dicimus homo est alb⁹, quā materia est alba, ergo accidentia potius subiectātur in toto cōposito, quā in materia prima.

Vltimo tandē, quia accidentia dantur vt cōseruetur totū cōpositū mediantibus illis, qualiter a qua cōseruatur frigiditate: ergo debēt subiectari in ipsa substantia completa quam conseruant.

His tamen nō obstantibus dico primo in hac quęstione accidentia non subiectantur in sola forma substantiali: In hac cōclusione omnes credo conueniunt: & ratio est, quia in primis anima rationalis spiritualis est: ergo in ea nō possunt subiectari accidētia corporea, nā corporeū non pōt subiectari in spirituali. Sed de omnib⁹ formis etiā corporeis probatur: secundo, quia id quod sustentat accidentia vt quod, debet subsistere vt quod, nam subsistere vt antea dixim⁹ est sub alijs sistere, id est per se existens substētare alia, sed forma substātialis nō subsistit, vt quod incōposito, *Assertio. 1.*

to, vt supra etiam ostensum est, non enim est subiectum vt quod accidentium, & ita si forma habet aliqua accidentia, vt relationem creaturæ ad Creatorem, solum est subiectum *quo*, ad modum quo, quātitas solum est subiectum *quo* relationis æqualitatis & aliorum accidentium, subiectū vero *quod* est aliquid aliud de quo postea.

Assertio. 2 Dico secundò reuera negari non posse aliqua accidentia recipi immediate in sola materia prima. In hac etiam conclusione fere omnes conueniunt, quia communis, & recepta omnium sententia est, quod generatio substantialis subiectetur immediate in materia prima: tum in primis, vt Arist. docuit. 3.lib. physicorum, text. 8. motus subiectatur in mobili, idest, actio subiectatur in mobili: sed materia prima est quod mouetur ab vna forma ad aliam: ergo generatio subiectatur tantum in materia prima. Tum etiam quia generatio per quam fit forma substantialis est via ad illam, & ita est prior illa secundum naturam: ergo in illo priori debet subiectari in aliquo subiecto quod sit ante formā, hæc autem tantum est materia prima, ergo subiectatur in sola materia: sed generatio est accidēs (actio scilicet: ergo subiectatur immediate in materia prima. Idem etiam probatur de aliquibus relationibus, nam materia prius natura quàm recipiat formam habet relationem diuersitatis ab alia re, quia in illo priori, adhuc consideratur vt eadem, vel diuersa ab alijs: similiter habet relationem creaturæ ad Creatorem in illo priori.

Dico tertio, omnia accidentia corporea de quibus nunc loquimur non subiectantur immediate in toto composito, sed in materia prima Hác conclusionem docuit Auerroes hoc libro commento. 60. Albertus Magnus tract. de quantitate capite 11. Gregorius in 2. distin. quæst. 2. ad secundum. Toletus primo de generatione quæst. 7. idem docent, qui ponunt quantitatem coæuam materia primæ, vt sunt omnes Auerroistæ, quæ sententia verissima est & præter authores citatos doctè defendit Pereira. 5 physicorum cap. 18. & 19. faber multum huic sententiæ Aristot. 1. de generatione, tex. 14. vbi dicit quod eadem accidentia quæ fuerunt incorrupto manent in genito: sed si accidentia sub- *Assertio.* 3

Accidentia corporea immediatè subiectantur in materia prima.

iectarentur

iectarentur in toto composito non manerent eadem in genito: cuius ratio est, quia corrupto subiecto debent corrumpi ccidētia cum dependētia à billo, sed substantia completa corrupti nō manet, postquam aduenit alia substantia genita: sentit ergo Arist. accidentia non subiectari in toto cōposito, sed in materia prima, quæ, quia manet eadem in genito & incorrupto, etiam manent eadem accidentia.

Respondent autores cōtrarij quod quando Aristoteles ait, eadem accidentia manere ingenito, quæ fuerunt incorrupto non loquitur de eisdem numero accidentibus, sed quod remanēt eadem secundum speciem, ita quod quanuis illa numero accidentia, quæ fuerunt incorrumpto pereant simul cum ipso, oriuntur tamē alia diuersa numero ingenito. Sed contra est, quia experimur eandem cicatricem numero, quæ fuit in hoc viuente mmanere incadauere, nam videmus eādem cicatricem: dicere autem quod sensus fallitur, dum iudicat esse eandem numero cicatricem quę fuit antea, sine fundamento sufficienti dicitur: tum præcipue, quia à forma geniti solum oriuntur accidenta, quę sunt illi connaturalia & debita: sed cicatrix non est accidens debitum naturæ cadaueris: nam plurima cadauera absque illa optime conseruantur: ergo non producitur de nouo ingenito aliqua noua cicatrix, atque adeò eadem numero manet, quæ fuit antea: ergo subiectantur accidentia in materia prima, non vero in toto composito. De qua re plura alia dicam primo libro de generatione cap. 4.

Secundo pro hac sententia citari potest Diuus Thomas, qui profectò hac in re, modo vero in hanc, modo vero in illam partem inclinari videtur, nam quanuis locis supra citatis contrariam tueatur sententiam tamen, tertia parte, quæstone. 9. articulo 3. ad secundum, aperte dicit, *Calorem illum, qui disponit ad formam ignis adhuc remanere ad veniente forma ignis*, qui locus non potest exponi, ita quod intelligatur de eodem calore secundum speciē, & non secundum numerum, nam Sanctus Thomas explicat hoc exemplo opinionis, *quemadmodum*, inquit, *oppinio causata per syllogismum probabilem remanet cum scientia, quæ postea acquiritur:*

sed in hoc casu remanet idē numero habitus oppinatiuus: ergo etiam sentit sanct. Th. eadē numero accidentia quæ fuerunt incorrupto remanere ingenito, atque adeò subiectari in materia prima, idē. 4. cōtra Gen. c. 25. & in 4. d. 4. 4. q. 1. ar. 1. ad 3. Sed rationibus probatur eadē conclusio. Primo quia aliqua accidētia, vt vidimus subiectantur in materia prima, ergo iā materia est subiectum capax ad substentanda accidentia, atq; adeò eadem erit ratio efficax omnibus accidētibus corporeis, nulla enim ratio efficax assignari potest, quare quædā accidētia subiectentur in materia, alia vero non possint subiectari.

Secundo probatur, quia fere omnia accidētia corporea inhærent substantiæ media quantitate, sed quātitas immediate subiectatur in materia pria nō vero in toto cōpositio: ergo & reliqua accidentia, quæ illam secuntur: quod vero quātitas nō subiectetur in toto composito, sed in materia prima sola, probatur euidenter in homine, quia totū cōpositū nihil est præter partes vnitas: ergo si quantitas subiectatur in toto composito quod est homo: ergo debet subiectari in eius partib. ex quibus homo cōponitur, ergo iam quātitas subiectaretur in anima rationali, quod prorsus est impossibile: nam accidens corporeum non potest subiectari in subiecto spirituali, aliàs anima rationalis denominaretur quanta, & diuisibilis ratione quantitatis, quod est ridiculū: si ergo in homine quantitas non subiectatur in toto cōposito, sed in sola materia, idem erit in quocūq; alio corpore, nam si materia in homine se sola potest substentare accidentia, cū eadem sit sub alijs formis, vt sub forma cadaueris, idē erit in quouis alio cōposito.

Hoc argumentū quia reuera efficax est non paruam difficultatē ingerit authoribus contrariæ sentētiæ. Quidam respondēt quantitatē subiectari in toto cōposito quod realiter distinguitur à quauis parte seorsum sumpta, & ita non licet inferre quod quantitas subiectetur in anima rationali, sed in illa tertia entitate, quæ resultat ex anima & corpore vnitis. Sed cōtra est, quod totum nihil est præter partes vnitas: ergo quod subiectatur in toto debet subiectari in partibus: ergo quantitas subiectaretur in corpore & anima rationali vnitis: sed hoc est

est falsum; quia anima rationalis adhuc prout vnita corpori spiritualis est: ergo in illa adhuc vt vnita cum corpore non potest subiectari quantitas aliquomodo.

Secundo alij respondent ex hoc solum probari quantitatem, quæ adequatè subiectatur in toto composito in adequatè subiectari in anima rationali, & in materia prima. Sed contra est, quòd neque in adequatè potest quantitas subiectari in anima rationali, quia aliàs iam per illam esset quanta & diuisibilis, sicut materia, in qua secūdū istos in adæquate subiectatur, denominatur quanta diuisibilis in partes quantas ab ipsa quantitate, consequens autem est falsum, quia repugnat rem spiritualem aliquomodo esse quantam & diuisibilem, sicut repugnat denominari albam ab albedine, quæ est in quantitate.

Tertio respondet Ferr. loco supra allegato, quòd anima rationalis potest considerari duobus modis primo vt spiritualis est, secūdo in quātum est corporea, vt quo & forma corporis, qua ratione fatetur quantitatem subiectari in anima rationali. Sed hæc solutio non minus est falsa, quia anima rationalis adhuc vt forma corporis & corporea vt quo, est vt quod spiritualis in sua intriseca entitate: ergo adhuc vt sic non est subiectum capax quantitatis, aut alterius accidentis corporei.

Tertio probatur conclusio à priori: quia illud est subiectum capax ad substentanda accidentia, quod habet propriam existentiam ratione cuius perse existens alia substentare potest: sed materia prima habet propriā existentiam & subsistentiam independenter à forma, vt supra vidimus: ergo non est cur negemus accidentia immediate subiectari in illa, & quanuis totum compositum etiam habeat propriam subsistentiam imo completam nō subiectantur accidentia in illo. Quod in primis colligitur à posteriori in homine, in quo vt probatum est quantitas, ac perconsequens reliqua accidentia corporea, quæ illam secuntur non possunt subiectari, nisi in materia prima, secundo quia tota ratio materialis in corpore naturali desumitur radicaliter à materia, nam si formæ substantiales sunt materiales & corporeæ, ideo est quia educun-

educuntur ex potentia materiæ; & ideo accidentia materialia, & corporea afficiunt immediate materiam, in quo sensu intelligo commune illud axioma, *Quod quantitas sequitur materiam*, idest, immediate in hæret materiæ primæ, ac per consequens reliqua accidentia, quæ in hærent subiecto media quantitate.

Quid advert. Est tamen aduertendum quod quanuis omnia accidétia corporea immediatè subiectentur in materia prima, quædam tamen sunt, quæ dependent à forma tanquam à causa efficienti, & ita quousque forma adueniat non subiectantur in materia prima: huiusmodi sunt passiones, & alia accidentia, quæ oriuntur à forma. Qualiter risibilitas, quæ est qualitas corporea non subiectatur in anima rationali, sed in materia prima media quãtitate, quia cũ anima rationalis sit spiritualis nõest capax accidétis corpei, tñ quia risibilitas, & reliquæ passiones hominis effectiuè oriuntur à forma nõ intelligimus in hærere materiæ primæ, quousque adueniat forma, à qua producantur: idem est de omnibus potentijs vitalibus, vt de nutritiua, augmentatiua, &c. quæ omnes effectiuè oriuntur ab anima: alia tamen sunt accidentia, quæ conueniunt materiæ ratione sui & non ratione formæ, vt quantitas, relatio diuersitatis, & præsentia in tali, vel tali spatio, & hæc absque dependentia à forma in hærent materię primę.

Ex quo sequitur quod aliqua accidentia permanent eadem numero ingenito, & in corrupto, scilicet, quæ sunt communia genito & corrupto, illa autem accidentia dicuntur communia genito & corrupto, cum quibus tam genitum quam corruptum connaliter conseruantur, vt est quantitas & calor, quando ex aere generatur ignis: nam calor tam aeri, quam igni est connaturalis; hæc ergo accidentia quæ sunt communia genito & corrupto manent eadem numero in vtraque: cuius ratio est. Quia accidens aliquod tribus tantummodis potest naturaliter corrumpi: primo ex deffectu subiecti, nam cum accidentia dependeant à subiecto substentante, corrupto subiecto corrumpi debent accidentia. Secũdo possunt corrumpi à contrario, qualiter corrumpitur frigus à calore *Infertur.*

calore. Tertiò possunt corrũpi ex deffectu conseruantis: qualiter lumen quamuis nullam habeat qualitatem sibi contrariam, corrumpi solet ex deffectu luminosi conseruantis. Ex nullo autem ex his capitibus quantitas potest corrumpi, nam cum subiectetur in materia prima; quæ nunquam corrumpitur, eo quod est ingenerabilis & incorruptibilis non potest corrumpi ex hoc capite: neque etiam à contrario, quia quantitati nihil est contrariam, vt docuit Arist. capite de quantitate: neque etiam ex deffectu conseruantis: quia quantitas cum sit passio materiæ primæ, quæ ab illa oritur, ab illa etiam effectiuè conseruatur, & non à forma, & ita quãtitas est coæua materiæ ingenerabilis & incorruptibilis, sicut ipsa: illa vero accidentia quę sunt contraria formæ genitæ, quia nõ sunt cõmunia, tã genito quã corrupto, nõ manent in genito, sed expellũtur prius. Qualiter quia frigus quod habet lignũ, est cõtrariũ igni, prius expellitur ab igne comburente, vt generetur ignis: qua etiã ratione adueniente forma geniti solet variari figura, quę erat antea, vt quando ex putrefactione terræ generatur vermis, saltem quantitas licèt maneat eadem, non tamen habet eandem figuram, quam habuit antea, dum erat sub forma terrę, quia vermis de nouo genitus postulat illam nouam figuram, & sic discurrendum est de alijs accidentibus.

Illat. 2. Infero secundo ex dictis quod cum quantitas sit coęua materię primæ & ingenerabilis & incorruptibilis, sicut illa, per augmẽtationem (si propriæ loquamur) non producitur aliqua quãtitas de nouo, sed quantitas, quæ erat antea cum materia alimenti vnitur cum quantitate viuentis, & ita resultat, quædam maior quantitas, non quia alia quantitas de nouo sit producta, sed quia ex cõtinuatione cũ alia fit maior: sed de hoc dicã latius 1. lib. de generatione cap. 5.

Illat. 3. Infero tertio, ex dictis quid sit dispositio vltima & non vltima, quod in contraria sententia difficile explicari potest, vt late ostendam primo de generatione cap. 4. in nostra vero sententia facillimè explicatur, nam quando ignis disponit lignum ad introductionem formæ ignis, illæ dispositiones tantum subiectantur in materia prima illa enim est quæ disponitur ad *Quæ sit dispositio vltima, & quæ non vltima.*

ad recipiendam formam aduenientem, non verò totum ipsum lignum, quia lignum non recipit formam aduenientem: quando ergo illæ dispositiones, quæ sunt in materia ligni perueniunt ad eam intensionem, quod expellant illos gradus frigiditatis, sine quibus nullo modo forma ligni conseruari potest, appellantur dispositiones vltimæ, quia vltimate expellunt formam preexistentem, & introducunt formam aduenientem, eædem numero permanentes, & hoc est quod dici solet quod dispositio vltima est simul cum forma genita: illæ vero dispositiones antequam peruenirent ad tantam illam intensionem sufficientem, expellere formam, appellantur dispositiones nó vltimæ in hac sententia.

Resp. ad argum. contraria sent. Tandem ad argumenta pro contraria sententia adducta respondetur & in primis nos non negamus accidentia subiectari in toto composito, nam cum materia prima sit quædam pars intrinseca ipsius totius, quod est in materia prima, est etiam in toto composito, sed solum negamus accidentia subiectari in toto cópósito, ita quòd non solum subiectétur in materia prima, sed etiam in forma, sed potius subiectátur in materia prima, & inde denominatur tale: sicut homo non dicitur intelligens ex eo quod tam anima rationalis, quam corpus effectiuè attingant intellectionem; nam cum intellectio sit actio spiritualis non potest fieri à corpore, sed solum ab anima rationali, & hoc satis est: vt homo denominetur intelligens, imò omnia accidentia principalius denominant totum quam materiam primam, Verbigratia principalius denominatur corpus quantum, quam materia, quia totum compositum est quod præcipuè est subsistens vt quod, & ita est intelligendus Aristot. quando dicit alterationem subiectari in ente in actu, nempe in toto composito: nam cum materia prima, sit pars intrinseca compositi naturalis quod est in materia prima, etiam est in toto composito, tamen principalius denominatur totum compositum alteratum, quàm materia prima. *Ad autoritates.* De generatione autem substantiali est peculiaris ratio quare Aristot. dixit illam subiectari in ente in potentia, nempe in materia prima: nam per generationem substantialem transmu-

transmutatur materia prima, ab vna forma ad aliam, non vero totum compositum: nã lignum adueniente forma ignis corrumpitur, & ita generatio substantialis, vt mutatio, tantùm denominat materiam primam transmutatam, non vero totum compositum.

Præterea quando Arist. primo de generatione cap. 3. ait quod, *Generatio est mutatio huius totius in hoc totum nullo sensibili remanente nomine sensibili*, non intelligit accidens sensibile, ita vt sentiat Arist. nullum accidens quod fuit in corrumpto manere ingenito, sed nomine sensibili intelligit substantiam completam sensibilem, ita vt sensus sit, nullam substantiam completam sensibilem prius existentem remanere: de qua expositione plura dicam loco allegato.

Tandem quando eodem loco ait quod *in generatione substantiali fit resolutio vsque ad materiam primam*, Loquitur de formis substantialibus quasi dicat, nullam formam substantialem prius existentem remanere in materia prima, bene tamen possunt manere eadem numero accidentia in genito & incorrupto.

Ad primam rationem respondetur verum esse quod aliquod ens perse debet præcedere ens per accidens, & ita materia prima, quę est ens perse, quanuis incompletum est subiectum quod præsupponitur ante accidentia, imò cum talia accidentia nõ fiãt ex nihilo educũtur ex potẽtia materiæ tãquã ex subiecto præsupposito. *Respondetur ad rationes.*

Et eodem modo respondetur ad secundum quod materia prima, quæ est substantia partialis est prior omnibus accidentibus nõ tamẽ est necessariũ quod substantia completa sit prior omnibus accidentibus.

Ad tertium respondetur, quod quanuis forma substantialis adueniat materię primæ habenti aliqua accidẽtia, adhuc tamen fit vnum perse ex materia & forma substantiali, quia quanuis talia accidentia disponant materiam antecedenter, ad talem, vel talem formam; tamen forma substantialis adueniens immediate vnitur materię, cum materia ex se habeat potentiam passiuam ad suscipiendam talem formã, & ita quia illa accidentia non ingrediũtur compositionem substantialem, quæ fit ex materia & forma, ideo fit vnũ perse substantiale ex materia & forma.

Ad

Ad quartam respondetur negando consequentiã, quia quanuis materia prima sit potentia substantialis non ideo debet prius recipere actum substantialem, quàm accidentalem. Ratio est quia accidentia disponunt materiam ad recipiendam formam substantialem aduenientem simulque expellendam formam præexistentem, & ita opus est quod talia accidentia prius afficiant talem materiam, quam forma substantialis ad quam disponunt.

Ad quintum respondetur, eodem modo, quod quanuis actus substãtialis sit act⁹ simpliciter talis, quia dat esse simpliciter tale, quod secus est de actu accidẽtali, qui est actus secundum quid; tamen prius debet recipi in materia actus secundum quid, quàm actus simpliciter, quia actus secundum quid, qui est actus accidentalis disponit ad actũ substantialem, & ita prius debet recipi in materia.

Ad sextum quod accidentia in cõcreto prædicãtur de toto composito & ita verum est; quod sunt in illo, nã vt accidẽtia sint in cõposito, satis est ꝙ sint in materia prima quę est altera pars illius: sicut homo denominatur simus à simitate, quæ tantũ est, in naso & denominatur albus, quãuis albedo nõ sit in omnibus partibus, nempe in capilis.

Ad vltimũ. quod vt accidẽtia conseruent totũ cõpositũ satis est ꝙ sint in materia prima, quæ est altera pars totius cõpositi: nã cũ forma substantialis per quã totũ constituitur sit in materia, oportet ꝙ ibi sint dispositiones cõseruatiuæ talis formæ, & ita cõseruatur totũ cõpositũ: neq; mirũ est actus diuersi generis, quales sunt actus substãtiales & accidẽtales recipi in eodẽ subiecto, sicut eadẽ quãtitas saltẽ vt quo est subiectũ accidẽtiũ diuersi generis, nã recipit figurã, quæ est qualitas & relationẽ æqualitatis, quę est de prædicamento relationis & recipit pręsentiam localẽ, quæ est de prędicamẽto vbi.

QVAESTIO. IX.

Vtrum materia prima, sit ingenerabilis, & incorruptibilis, & an sit principium corruptibilitatis.

CIrca primũ, nẽpe vtrũ materia prima sit ingenerabilis, & incorruptibilis Antonius Andreas & Niphus 7. lib Meth. q. 9. sentire vidẽtur materiã primam generbilẽ esse & corruptibilẽ *1. sent.*

quæ

Rationes dub. quæ sentẽtia ex eo probari potest. Primo, quia omnis forma tribuit denominationẽ subiecto in quo est, qualiter albedo denominat corpus in quo est, albũ: sed generatio substãtialis subiectatur in materia prima, vt supra vidimus: ergo denominat illã genitã. ergo materia prima est generabilis & corruptibilis. Secundo quia totũ habet esse à suis partib⁹: sed totũ generatur de nouo: ergo & eius partes, quarum altera est materia prima.

Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis. Vera tñ & cõmunis omniũ sentẽtia est materiã primã esse ingenerabilẽ & incorruptibilẽ: sic docuit Aristot. hoc lib. textu. 82. quẽ omnes vnanimi consensu secuntur; & ratio euidẽter hoc probat: quia inter generationẽ & creationẽ hoc differt, ꝙ creatio est productio entis ex nihilo; generatio vero ex aliquo subiecto præsupposito: ergo si materia prima est generabilis, debet fieri ex alio subiecto presupposito, atq; adeò nõ esset primũ subiectũ, vt dicitur in eius definitione. Et simili ratione probari põt nõ esse corruptibilẽ. Quia quemadmodũ creatio fit ex nullo subiecto præsupposito, secus vero generatio, sic etiã anihilatio est destructio alicuius rei, nullo ei⁹ subiecto remanẽte, corruptio verò remanẽte aliquo subiecto: qualiter forma ignis corrũpitur & remanet materia ei⁹: sed materia prima nullum habet subiectũ, quia ipsa est primũ subiectũ: ergo non põt corrũpi, & ita patet materiã primã factã fuisse per creationẽ, & ita à solo Deo: quia nullũ agẽs naturale attingit de facto creationẽ, & similiter nõ põt desinere, nisi per anihilationẽ, quæ etiam à solo Deo fieri põt pernaturã, sicut & creatio, & ita nullum agẽs naturale potens est destruere materiam primam.

Secũdo infertur qua ratione intelligẽdũ sit materiã primã generari & corrũpi per accidẽs, vt plures hac in parte locũtur, solũ enim intẽdũt materiã modo esse sub hac forma, postea vero sub alia: si tñ loquamur recte, absolute loquẽdo, hoc nõ est generari, aut corrũpi, sed idẽ manens, trãsmutari ab vna forma ad aliã: neq; Arist. docuit hũc modũ loquẽdi vnã quando hoc li. tex. 82. dicit ꝙ materia partim oritur & interijt, partim vero nõ, statimse explicat, nõ enim loquitur de materia secũdum se, sed de priuatione quæ est in materia, quam dicit modo oriri, postea vero interire: nam materia eadem quæ modo habet priuationẽ *Illatio.*

formæ

quòd vt totum aliquod fiat de nouo non est necessarium quod partes fiant de nouo: nam in resurrectione qua homo iá corruptus iterũ reproducitur non fit de nouo anima rationalis, neque materia prima; hęc enim antea erant, quia sunt incorruptibiles, satis est quod fiat de nouo vnio inter illas partes, quia totum præter partes dicit vnionem.

Circa 2. difficult. Circa secundum ꝙ inquirit quæstio, nẽpe vtrũ materia sit principiũ corruptibilitatis notandum est, quòd nõ est idẽ corruptibilitas & corruptio, sicut non est idem risibilitas & actus ridendi. Certũ ergo est quod materia prima sit principiũ corruptionis rei naturalis, vt supra diximus, esse principiũ generationis rei naturalis. Ratio est, quia sicut generatio prærequirit subiectũ aliquod, in quo forma generetur; ita corruptio prærequirit subiectũ aliquod in quo forma corrũpatur, quod subiectũ vtrobique est materia prima: ergo sicut materia est principium generationis, ita etiã est principiũ corruptionis, solũ ergo est dubiũ vtrũ materia prima sit principiũ corruptibilitatis. *Quid adu.* Pro cuius intelligentia aduertẽdũ est, ꝙ materia prima est duplex, alia quæ est satiata forma quá habet, eo ꝙ non habet potentiã ad aliam formã; qualis est materia cœli, nã si haberet potẽtiã ad recipiendã aliã formã, cœlum corruptibile esset per expulsionẽ formæ præexistentis, & ita hæc materia non habet priuationẽ aliarum formarũ, quia non habet potentiã ad illas, sed solũ habet negationẽ. Alia vero est materia prima, quæ non satiatur forma aliqua, quia adhuc habet potentiã ad alias formas, qualis est materia rerũ generabiliũ, & corruptibiliũ; nã quanuis materia prima hominis habeat præstantissimã formam quæ est anima rationalis, adhuc habet potentiam ad recipiendam formam cadaueris, quia nulla forma satiatur, & ita semper habet sibi annexã priuationem alicuius formę, quam potest recipere.

Asserendũ Quo supposito dicendum est in hac difficultate, materiã hanc, quæ nulla forma satiatur, sed semper habet sibi annexã priuationem alicuius formæ (qualis est materia rerũ generabiliũ & corruptibiliũ) esse principiũ corruptibilitatis, ita quod sit prima radix à qua aliquid esse corruptibile habet. In qua cõclusione omnes cõueniunt, nã cor-

 ruptio

ruptio rei ex eo fit quod forma eius expellatur, & corrũpatur:sed formã corrũpi ex eo prouenit, q materia habet potẽtiã ad recipiẽdã aliã formã, expulsa illa priori: ergo materia nõ satiata est principiũ corruptibilitatis. Vbi nõ negamus corruptibilitatem etiã prouenire à forma nã sicut totũ habet esse non solũ à materia, sed etiã à forma; ita eius corruptio etiã prouenit ab existẽtia formæ; dicimus tñ primã radicem huius corruptionis esse materiã nã cũ habeat potẽtiam ad alias formas potest talis forma ab illa expelli, vt aliæ generẽtur de nouo; neq; etiã asserimus materiã primã esse causam efficientẽ corruptionis:hæc enim tantũ est agens q effectiue corrũpit formã; sed solũ asserimus esse primam radicẽ & causam materialem corruptionis.

Sed contra obijci potest, quia propter quod vnũ quodque tale & illud magis: ergo si materia prima est principiu corruptibilitatis, etiã ipsa debet esse corruptibilis. Respondetur principiũ illud debere intelligi quibusdam adhibitis limitationib⁹ quas aduximus 1.lib.post cap.1.inter quas alia est,quod vtrũq; extremũ sit tale vt quod; quatione nõ valet. Corpus est albũ propter albedinẽ: ergo albedo est magis alba; quia albedo non est talis vt quòd imo neq; hæc conditio sufficit;sed requiruntur aliæ,quæ loco allegato videri possunt: quia ergo materia prima non est corruptibilis vt quod, nõ habet locũ in hoc casu illud principiũ & hæc de hac quæstione.

QVAESTIO X.

Vtrũ materia prima omnium generabilium, & corruptibilium sit vna numero.

SVpponendũ est in hac quæstione materiam horũ inferiorum specie distingui à materia corporum cælestium:cuius ratio est quia cum cælũ sit in corruptibile, materia cuiuslibet cæli respicit tãquã actũ adæquatũ formã illã determinatam quam habet; nã si aliã formã habere posset corruptibile esset,cũ ad introductionẽ formæ aduenientis deberet alia præexistens corrũpi, at vero materia horũ inferiorũ generabiliũ & corruptibiliũ non respicit tanquã actũ adæquatũ aliquã determinatã formã quia post illã potest habere aliã & aliã:solũ ergo respicit tan-

tanquã actũ adæquatũ formã absolute sumptã: cũ ergo potentiæ distinguantur per actus adæquatos; sequitur materiã cæli specie differre à materia horũ inferiorũ; solũ ergo quærimus, an materia rerum generabilium, & corruptibilium sit vna secũdũ speciem, & secundum numerũ.

Ratio dubij Ratio dubitandi est quia Arist. hoc lib. text. 60. asserit quod quanuis ingenito & incorrupto maneat eadẽ materia secundum numerum nõ tamen manet eadẽ secũdum speciem; quæ verba implicationem videntur inuoluere: nam ea quæ sunt vnum numero multo melius sunt vnum specie cum vnitas numerica maior sit quam vnitas specifica.

Assert. 1. Sed dico primo in hac quæstione: materiã omniũ generabilium, & corruptibiliũ esse eandem secũdũ speciẽ quæ conclusio cõmunis est. Et ratione probatur, quia res valde diuersæ habent eãdẽ materiã, nam eadem materia quæ est sub forma panis postea est sub forma sanguinis, quando panis in sanguinem conuertitur, postea vero habet formam carnis viuentis, postea vero formã cadaueris, deinde formã terræ, & deinde formã plantæ & cõtinuo suscipit formas maxime diuersas, ita vt actus adæquatus sit nõ hæc, vel illa forma determinata, sed forma substantialis absolutè sumpta: ergo materiæ rerũ generabiliũ & corruptibiliũ, eędem sunt secundum speciem.

Assert. 2. Dico secũdo nõ omnes materiæ rerum generabilium & corruptibiliũ sunt eędẽ secũdũ numerũ, nã quę sunt in diuersis cõpositis simul existẽtibus distinguũtur numero, vt materia quæ de facto est in Petro est diuersa numero à materia Pauli. Ratio est aperta, quia illæ materiæ sunt inter se diuersæ & discontinuæ: ergo distinguuntur numero. Secũdo quia aliàs eadẽ materia simul haberet formas numero differentes, qualis est forma Petri, & forma Pauli.

Assert. 3. Dico tertio ingenito, & incorrupto manet eadẽ numero materia. Hanc sentẽtiã docuit Arist. loco supra allegato, quã omnes secũtur. Et ratio est, quia aliàs si materia geniti esset diuersa à materia quæ fuit incorrupto, ergo vel hæc noua materia, quæ de nouo producitur in genito fieret per generationem, & sic iam materia esset generabilis; vel fieret per creationem: & hoc non: quia sequeretur nullam esse generationem substantialem,

nam si tam forma; quàm materia producuntur de nouo: ergo creatur res totaliter, & non generatur ex aliquo subiecto præsupposito.

Nec placet hac in re modus loquendi aliquorum asserentium, quòd quanuis materia geniti, & corrupti sit eadem numero negatiue, idest non diuersa entitas, non tamen est eadem numero positiue, qui quidem consequenter loquuntur. Nam cum asserant materiam primam habere esse à forma tanquã à causa formali, quia vnum est passio entis, etiam dicunt accipere à forma vnitatem quandam, quam ipsi capellant positiuam: quia tamẽ illud principium falsum est (ostendimus enim supra entitatẽ materiæ primæ non pendere à forma tanquam à causa formali) consequẽter probatur, nullã vnitatẽ intrinsecam accipere materiã à forma, sicut nec accipit entitatem, & ità dicendum est, non solum manere ingenito, & incorrupto eandem materiam numero negatiue, sed etiam positiue, quia sicut manet eadem positiua entitas; ita eadẽ positiua vnitas, & eodem modo dicendum est materiam omnium generabilium, & corruptibilium esse eandẽ secundum speciem positiue.

Tandem ad Arist. respõdetur, quod quando asserit non manere eandem materiam secundũ speciẽ in genito & in corrupto, aperte loquitur nõ de materia præcise, sed de materia prout dicit priuationẽ, ita vt significet in genito & incorrupto nõ manere materiã cum eadem priuatione, quia incorrupto habuit priuationem formæ genitæ, dũ verò est sub forma genita nõ habet priuationem illius formæ, sed aliarum.

DISPVTATIO SEXTA
DE FORMA ET PRIVATIONE.

EGIMVS Hactenus de altero principio rei naturalis quod est materia: nunc vero de alijs duobus, scilicet de forma, & priuatione agendum restat, nam de his etiam disputat Arist.

Aristot. in hoc libro, suppono autem in hac disputatione id quod late ostendimus disput. 1. quæst. 2. nempe in quolibet corpore naturali præter materiam ponendam esse aliam partem substantialem quam appellamus formā substantialem, &c. Suppono etiam maximam esse differentiam inter formam substātialem, & accidētalē, & quia id eodem loco assignauim⁹, ad alia properemus.

QVÆSTIO. I.

Quomodo generentur formæ substantiales ex materia.

ANte quam de modo existentię, quo formæ existunt dicamus declarādus est modus productionis ipsarum, hinc enim pendet multum modus existendi propri⁹ formæ substantialis. In qua quæst, omissa Anaxag. & aliorum antiquorum Philos. falsa opinione de infinita illa corpusculorum, seu formarū multitudine, quā in singulis rebus ocultam, & latenté posuerunt, contra quos Aristot. cap. 4. huius libri disputauit.

1. Sentent. Prima sententia esse potest corū quiut omnino generationé substantialé tollerent, dixerunt in materia non præcedere formas omnium rerū secundum esse perfectum earum, sed tantum præcedere in illa quasdā entitates ex quarum singulis, singulę postea formæ substantiales per generationem producuntur, quas entitates vocarunt possibilitates & inchoationes formarum. Quæ sententia tribuitur Aureolo in 2. dis. 18. Fundamentū huius sententiæ præcipue fuit, quia si nihil formę, quę generatur pręfuit in materia: ergo forma fit ex nihilo sui, nō ergo producitur per generationem, sed per creationem: ergo vt saluetur ratio generationis, necesse est dicere precedere in materia aliquid ipsius formæ, quæ generatur.

Confirmatur, quia si nihil formæ præsupponatur in materia generationi formæ, nō potest intelligi qua ratione forma genita sit educta de potentia materiæ, vnde August. lib. 3. de Trin. cap. 7. & 8. docet. Omniū quæ ad oculos nostros prodeunt occulta quædam semina in elemētis mundi latere, per quæ illa, quæ in oculto erant in apertum progrediuntur.

Secunda sententia esse potest eorum omnium qui dixe- 2. Sentent.

runt nullam formam substantialem educi de potentia materiæ, sed omnes extrinsecus aduenire, cuius sententiæ videtur fuisse Plato in Phædone, qui docuit omnem substantialem formam rerum corruptibilium, ex ipsis idearũ fontibus, idest à substantijs quibusdam per se extra singularia subsistentibus in materiam induci. Ita interpretatur Platonem Aristot. multis in locis maxime lib. 1. meta. text. 25. & lib. 7. text. 28. lib. 11. text. 18. & lib. 2. de gene. cap. 9. vbi eundem acriter impugnat. Simile etiã huic fuit Placitũ Auic. in sua met. trac. 9. cap. 4. & lib. 1. sufficient. c. 10. qui intelligentiã quã finxit omnium infimã, quę huius inferioris partis vniuersi esset gubernatrix, à qua etiam in materiam per agens naturale prius dispositam formæ substantiales introducerẽtur quam proinde, cholcodem, idest formarum datricem vocauit. Cuius sententiæ nullum est fundamentum apparens, nisi fortasse eius Autores vim actiuam formarum agentibus hisce Physicis negarent, quod omnino falsum est vt 2. libro videbimus.

Quid sit creari, quid vero educi al. Pro cuius decisione præmittendum est, quid sit aliquid creari, & quid educi de potentia subiecti. Creatio enim nihil aliud est, quã productio rei ex nihilo, idest non ex aliquo præsertim vt subiecto, siue causa materiali. Eductio autem de potentia subiecti est productio alicuius rei ex subiecto præexistẽte, ipso concurrente in genere causæ materialis. *quid de potentia subiecti.*

Conclusio. Dicendum est primo formas substantiales secundum totam suam entitatem de nouo produci in generatione substantiali, & ante hanc formarum generationem, nihil omnino earũ in materia præcedere. Ita docuit D. Thom. 1. part. quæstion. 45. artic. 8. quem in hoc reliqui omnes Philos. & Theolog. sequuntur: videri potest Tolet. quæstion. 19. concl. 3. & Sotus q. 3. articul. 1. in conclusione. Probatur primo; quia si aliquid formæ præextiterit in materia, illa esset actus simplex & formalis perfectio ipsius materiæ, cum qua constitueret integram naturã substantialem, imo cum omnes formæ possint ex eadem materia prima generari, sequeretur simul esse in eadẽ materia partes & entitates omniũ formarum, leonis v.g. & equi, lapidis, & aliorum, imo etiam formæ specialiter sibi repugnãtes, vt forma ignis & aquę

inter

inter quas formas non minus esset repugnantia secundum esse inchoatum ipsarum, quam secúdum esse perfectum, siquidem quoad vtrũque esse illarum deberent esse eiusdem speciei.

Secundo præter hoc absurdum, etiam in illa opinione non soluitur difficultas proposita in eius fundaméto de creatione formarum, quia primum de ipsis partibus in materia latentibus inquiram, qua actione productæ sint, creatione, an in generatione & eductione de potentia materiæ?

Deinde partes, quæ de nouo producuntur, ex nulla sui parte fiunt, nam præcedentes non sunt partes subsequẽtium, sed totius formæ: ergo fiunt ex nihilo sui: ergo creãtur. Denique multo difficilius intelligitur, qua ratione vna pars formæ educatur ex altera parte eiusdem formæ, quàm quod tota entitas formæ fiat ex potentia materiæ.

Quare in fundamentum illius primæ sententiæ nihil superest, quod responsione, vel explicatione indigeat præter D. Augustin. verba, quæ late exponit Diu. Thom. 1. part. quæst. 115. art. 2. explicans in toto artic. quæ dicantur ab August. rationes seminales' optime tamẽ & breuiter hãc rem explicarunt lusit q. 12. artic. 6 dicentes rationes seminarias, siue oculta semina appellari ab August. naturaliũ causatum virtutes, tam actiuas, quàm passiuas, in quibus veluti quibusdam seminibus naturales effectus continentur, non quod in ipsis actu sint, sed virtute & potestate.

Ex hac conclusione sequitur, quàm fuerit irrationabilis illa opinio, quæ asserit formas omnes produci de nouo secundum esse existentiæ tãtum, secundum verò esse essentiæ præcedere in materia, siue hæc opinio sit Toleti, siue Alberti Magni est omnino falsa. Quia vel præexistere formas in materia secundum essentiam, est præexistere secundum aliquod esse actuale ipsarum diuersum à materia, & sic etiã præexisterent secundum existentiam, nam esse actuale non differt ab esse existenti, vt disputat. præcedenti dictum est, vnde nihil formæ fieret de nouo per generationem. Vel præexistere formas secundum essentiam esset tantum illas præexistere secundum esse posibile ipsarum, in quantum etiam sunt enti-

tates possibiles, & hoc quidé verum est, vt paulò antea dicebam, sed ad intelligentiã, qua ratione formæ nó creentur cum fiant ex nihilo sui, nihil conducit, siquidem nulla parte formæ actualis præcedente fit tota entitas formæ actualis; vnde dicere, quod formæ non creantur, quia se secundum esse possibile præcedunt in materia, est dicere illas non creari, quia præcedit materia: nam esse possibile formarum præexistentium in materia, nullo modo differt à virtute, vel entitate materię, & sic manet semper difficultas, qua ratione formæ non creentur.

Assert. 2. Dicendum secundò, omnes formas substantiales præter animam rationalem fieri per eductionem de potentia materiæ ab agentibus naturalibus, & non per creationem à solo Deo. Hæc est cómunis omnium Theologorum & Philosop. sent. quam præcipue docent D. Thom. 1. part. quæstion. 45. artic. 8. & Scot. memb. 2. dis. 18. quæstion. vnica.

Et probatur primo: quia nihil potest fieri ab agenti naturali sine concursu subiecti, quod recipiat actionem agẽtis, & sustentet & conseruet effectum productum: ergo nihil fit ab agenti naturali, quod non educatur de potẽtia materiæ: si ergo formæ substantiales fiunt per creationem, & non per eductionem de potentia materiæ, sequitur illas non produci ab agentibus naturalibus, vnde nulla esset differentia inter generationem hominis, & generetionem aliorum corporum, nam sicut per generationem hominis solũ producitur vnio materiæ cum anima rationali, pari ratione in generatione aliorum corporum solum produceretur vnio materiæ cum forma. Vnde fieret solum modum vnionis corrumpi in corruptione substantiali cuiuscunque corporis, formas verò omnes substãtiales esse prorsus incorruptibiles, vt potè ingenerabiles ab agenti naturali, & ab eodem, atq; etiam à materia omnino independentes, vnde nó secus essent separabiles à materia, quàm anima rationalis.

Ex quo secundo sic argumentor, quia vel formæ omnes substantiales excepta rationali pendent in fieri & esse à materia, vel nó; si pendent: ergo educuntur de potentia materiæ, & nó creantur: si vero non pendent, sequitur eas esse naturaliter separabiles à mate-

à materia, quia nulla alia ratione anima rationalis est separabilis, nisi quia independens à materia.

Dices non sequi hanc separationem formarum, ex independentia ipsarum à materia; sicut quanuis materia sit independens à forma, nõ est naturaliter separabilis à forma. Sed contra, quia vt dicebam disputatione præcedenti, non est quoad hoc eadem ratio de materia, & anima rationali: ergo neque etiam esset eadem ratio de aliis formis, si æque independentes essent à materia.

Deinde ratio, quæ conuincit materiam non esse separabilem à forma, quia non potest naturaliter disponi ad corruptioné vnius formæ, quim simul disponatur ad generationem alterius; non habet locum in formis, quia forma posset propter introductionem alterius in eadem materia expelli, quim alteri materiæ vniretur. Denique saltem potest materia propter suam independentiam à forma esse sine hac, vel illa forma, licèt non sine aliqua: ergo pari ratione forma substantialis, si independens esset à materia, posset existere sine hac materia, in qua est, quod nõ est minus falsum quam dicere posse illam esse, sine omni materia.

Ex hac conclusione infero falsam esse supra citatã Platonis, & Auicenę sententiam quia cum formæ omnes substantiales, excepta rationali, dependeant in fieri, & esse à materia non possunt fieri, nisi ab agente, quod virtutem habeat transmutandi materiam & alterandi ipsam, quam virtutem semper negarũt Theologi, substantiis quibusque à materia seiunctis, vno dumtaxat excepto Deo, sequẽtes in hoc Ari. supracitatis locis, inter reliquos hoc negauit expresse D. Thom. 1. par. q. 110. articul. 2. ex August. lib. 3. de Trinitat. cap. 8. vbi concludit omnem informationem materiæ prouenire, vel immediate à Deo, vel ab aliquo agente corporeo, nõ autem immediate ab Angelo, de qua videri potest idem D. Thom. 3. contra gent. c. 103. vbi D. Bonauent. in 2. dist. 7. q. 2 & ibidem reliqui Theologi, cum Alensi 2. p. q. 43. in 2. quibus maxime fauet Concilium Bracharense primum, cap. 8. vbi damnat sententiam eorum, qui dicunt substantias separatas, posse efficere grandinem, vel alia corpora, etiam ex supposita materia. Et quid simile habe-

tur etiam in 2.p.decreti, cap. Episcopor.6.q.5.huius tamē veritatis ratio vix reddi potest conuincens, sufficere tamen debet, ea quam loco 1. par.cit. habet D.Thom. quia in omni generatione corporea, quod proprie fit est compositum, vt docet Arist. sæpe præcipue 7. Met.text.26. & 27. sed omne quod fit debet esse simile agēti, quia omne agens agit sibi simile: ergo necessarium est ipsum agens esse, vel compositum ex materia & forma, cui effectus in forma assimiletur, quod est proprium agentium naturalium, & corporaliū, vel saltem, ipsum agens virtute continere totum effectum, quod ipsius tantū Dei propriū est.

In qua re supponit D.Tho. causam agentem debere proportionari effectui, & ideo si effectus per se primo productus, non est simplex, agens, non debet esse simplex, sed quid compositum, excepto solo primo agenti, qui propter suam infinitatem indepēdens est ab omni ordine, & proportione; ita se ipsum exponit D.Tho.q.16.de malo, art 9.in corpore, & ad 5.

Sed contra hanc D.Tho.rationē obiici potest, quia proportio requisita inter agens, & effectum, non necessario esse debet in modo essendi, sed sufficit proportio secundum virtutē actiuam causæ, & passiuam effectus vel materiæ: hęc autē proportio secundum virtutem inter Angelos & potentiā passiuā materiæ, vel formas ex illa educēdas, non probatur esse impossibilis. Propter hoc hæc ratio D. Tho.non est demonstratiua, est tamen probabilis, quantū in præsenti materia esse potest, quia cū Angeli habeant materiam finitæ, & limitatæ perfectionis, non est dicendum, illos quodlibet posse operari, vel efficere, sed tantum illud quod conuenit suę naturæ, conueniunt autem naturæ Angelicæ, eo quod perfectior sit natura corporeā perfectiores operationes propriæ, quales sunt intellectus, & voluntatis: deinde etiam ratione eiusdem perfectionis illi conuenire potest, vt quæ agentia naturalia agunt immediate per proprias virtutes, iuxta cuiusque naturā per se etiam agant perfectiori modo, non quidem immediate, hoc enim excedit perfectionem suæ naturæ, quæ finita, ac limitata est, sed mediate, scilicet per motum localem, & per applicationem actiuorum ad passiua, qui modus transmutandi materiam pri-

primâ est perfectior, eo quod ab agentibus naturalibus trāsmutatur, vt D. Thom. docet 1. par. loc. citato, quia est pro prius causæ superioris, cui conuenit mouere causas inferiores ad proprios effectus & in hoc motu locali subdita sunt agentia naturalia substantiis spiritualibus: vt late docet D. Thom. q. citata de malo, artic. 10.

Anima rationalis, a quo fiat.

Dicendum est 3. de anima rationali ipsam non educi de potētia materiæ, sed per creationem fieri à solo Deo. Primum patet, quia est indepédens à materia in suo esse, & potens seorsum sine materia subsistere. Secundum vero ex eo constat, quia spiritualis est, & ideo fieri non potest ab agētibus corporeis. Quod autem spiritualis sit probatur ex eius operationibus, de quo latius disserendum est in lib. de anima.

Hoc tamen loco notanda est differentia in materia, respectu animæ rationalis ex vna parte, & omnium aliarū ex altera: nam alias omnes formas, dicitur materia continere in potentia, quia omnes illæ pendent ex virtute materiæ, vnde continentur in materia, sicut effectus continentur in virtute causæ: anima vero rationalis, quia non pendet à materia non continetur in potentia materiæ, neque est illius effectus, quā uis in materia vere sit potētia passiua naturalis ad recipiendam animam rationalē, quod immerito negauit Vallesi. controuers. 8. nam licet anima rationalis, non fiat ab aliqua naturali virtute create, sed immediate ab ipso Deo, non tamen fit ab ipso Deo, vt ab agenti supernaturali, sed tanquā ab auctore naturæ, quod exeó constat, quia non producitur à Deo hæc anima, nisi iuxta exigentiam dispositæ materiæ ad hanc animā, & deinde vt in materia ponatur potentia naturalis, ad recipiendam animam rationalem, satis est ipsam animam rationalem virtute agentis naturalis vniri materiæ: nam hoc fieri non potest ab agenti naturali, nisi materia habeat virtutē passiuam correspondentem, ad recipiendam ipsam vnionem, & consequenter animam.

Qua ratione se habeat materia respectu formarum.

Ex dictis sequitur primo ratio, propter quam licet formæ materiales fiant ex nihilo sui, nihilominus non creentur, quia videlicet creari rem aliquam, est ipsam fieri ex nihilo non solum tanquam ex parte, sed

etiam

etiam tanquam ex subiecto, idest, nullo præsupposito subiecto, cum cuius concursu fiat. Vnde quando modo fit ignis per alium ignem, ignis productus non dicitur creari, quia fit ex aliqua sui parte præsupposita, nempe ex materia: forma verò quanuis nō fiat ex aliqua parte formę, sed secundum se totā fiat de nouo, nihilominus non creatur, quia fit ex præsupposita materia, cum materiæ cōcursu: nam hæc est differentia inter agentia naturalia, & Deum; quod illa reuera possunt producere totam entitatem formę, sicut produceretur à Deo non tamē possunt entitatem formæ producere, nisi eorū virtus adiuuetur, ab aliquo subiecto concurrente vna cū illis. At Deus se solo potest res efficere nullo concurrente subiecto, & ideo Deus potest res creare, non verò agētia naturalia.

Sed contra secundam conclusionem est magna difficultas, nam ex illa sequi videtur formam cœli, & terræ, non fuisse creatas in prima mundi creatione, quia huiusmodi formæ dependenter productæ sunt à concursu ipsius materiæ: vnde omnino sunt à materia inseparabiles: ergo si cōcursus solus ex parte subiecti, sufficienter tollit rationem creationis, formæ illæ non sunt creatæ.

Hinc vero vlterius sequitur, neque cœlum, neque terram fuisse tunc à Deo creata, contra quod dicatur expresse Genes. 1. In principio creauit Deus cœlum, & terram, vbi creationem proprie & rigurose sumi communis est Theologorum sententia.

Huic difficultati primo responderi potest, formam cœli & terræ in illo primo instāti creationis mundi productas fuisse à Deo omnino independenter à materia, atq; adeò creatas esse; nam licèt istæ formæ natura sua dependeant à materia possent diuina virtute supplente concursum materiæ fieri indepēder ab illa.

Sed hæc responsio nō placet. Primò, quia gratis asserit formas, ex natura sua pendentes a materia factas esse sine concursu materiæ, cuius oppositum expresse docet D. Augustinus lib. 13. confes. c. 33. asserens cœli, & terræ materias factas esse ex nihilo, species vero, idest, formas simul in eodem instanti, de informi materia fuisse productas.

Secundo sequitur primam rerum omnium creationem non fuisse naturalem, idest,

iuxta

iuxta exigentiam naturæ rerum creatarum, sed miraculosam.

Tertio, licet illud esset verum non tolletur difficultas, quia saltem modus vnionis materiæ,& formæ, non posset perDiuinam virtutem fieri sine concursu materię, atque adeò non potuit, nō educi de potentia materiæ, quod videtur sufficere vt totū cōpositum. v. g. cœlum non dicatur creatum, vt constat in homine, cuius omnes partes sunt creatæ, & ratione solius modi vnionis, qui de potentia materiæ educitur generari dicitur.

Secundo respondet Fonseca 5. Met. cap. 2. q. 4. sect. 2. formam cœli, & aliorum corporum, in prima rerum productione, non eductas esse de potentia materiæ, quia solū educitur de potētia subiecti, quæ fiunt ex aliquo subiecto tempore, aut natura præexistenti, materia autem cœli non præcessit formam, neque secundum naturam. Cui simile est, quod Lusitani docent supra artic. 5. dicentes illud tantū proprie dici eductum esse de potentia subiecti, cuius priuatio cum dispositionibus in subiecto pręfuit.

Sed est minus vera responsio: nam omnis prioritas causalitatis, est prioritas naturæ: sed forma cœli facta est, ex materia tanquā ex causa materiali, vt probatum est contra præcedentem solutionē, & ipse Fonsec. admittit: ergo materia secundum naturā pręcessit formam cœli. Deinde gratis omnino dicitur formam non educi de potentia subiecti, quanuis dependenter ab illo fiat, nisi subiectum præcedat tempore priuatum ipsa forma, quia productio formæ ex subiecto eiusdem semper rationis est, siue subiectum tempore, siue natura, solum præcedat, siue priuatio formæ in eo præcesserit, siue non, nam vt subiectū ad productionem formæ cōcurrat, satis est, quod in eodem instāti temporis in quo forma sit, præexistat; quod vtrum antea fuerit, vel non, vel quod fuerit priuatū forma, nihil refert ad substātiam productionis formę: ergo nō potest illam variare, fuit igitur illa productio formæ cœli, vera eductio eius de potentia materiæ.

Dicendum est ergo formā cœli non fuisse proprie creatam, quia non est proprie facta ex nihilo, cum facta sit dependenter à materia, & cum concursu materiæ, vnde partialis *Quid dicendum de forma cœli.*

tialis illa actio adæquate respondens formæ nó fuit creacio, sed eductio de potentia materiæ.

Nihilominus tamen absolute dicendum est totum cœlum, vt totum quoddam est, & copulatim loquendo factum fuisse ex nihilo, & proprie creatum. Nam sicut licet forma cœli sit in materia, nihilominus totum cœlum dicitur esse in nihilo, & per se subsistere, quia vtraque pars cœli non est in alio: ita dici debet totum cœlum factum fuisse ex nihilo, & creatum, quia vtraque cœli pars copulatim loquendo non fuit facta ex alio, quanuis altera pars, scilicet, forma eius, facta sit ex materia, vnde consequenter de ipsis actionibus, eodē modo est loquendum, nam licet sola productio formæ cœli non sit creatio, quia fit dependenter à subiecto, actio tamen totalis composita ex productione, vtriusque partis prout totalis, & composita est, ex nihilo fit, atque adeò creatio dicitur, imò quanuis ipsa productio formæ proprie sit eductio de potentia materiæ, tamē, quia simul tempore fuit cum priuatione materiæ, & cum illa vnam totalem actionem composuit, ideo etiam dici potuit concreatio formę cęli, quem loquendi modum habet sæpissime Diuus Thomas præcipue loco statim citando, quia videlicet simul producta fuit forma, ac creatum est totum cęlum, vt totum est.

Sed contra, quia creationi non solum repugnat, vt id quod creatur fiat ex materia tanquam ex subiecto, sed etiam quod fiat ex aliquo, tanquam ex parte intrinseca componente, sed cęlum factum est ex materia, tanquam ex parte sibi intrinseca, à qua simul, & à forma dependet, ergo non fuit creatum totum cęlum.

Respondetur negando absolute maiorem illam propositionem, quæ si vniuersaliter sumpta vera esset, nullum compositum creari posset, cum omne compositum creari posset, cum omne cōpositum ex partibus fiat, & ab illis vt componentibus intrinsece dependeat, solum ergo est contra rationē creationis totius, quod fiat ex partibus præexistentibus secundum durationem, quia tunc, totum proprie fit ex aliquo, quod præfuit extra ipsum, & non dicitur produci, nisi per actionem vltimæ

partis,

partis, aut modi vnionis, quorum alterum, vt minimum per generationem fit. Cæterum quando omnia, quæ ad compositi essentiam pertinent simul fiunt in eodem instanti, tunc proprie creari dicitur totum, quia productiones partium vniuntur, & ex illis fit vnica totalis, & integra actio, per quam totum fieri dicitur, sicut autem, hæc totalis actio, vt composita ex productionibus materiæ, & formæ, vt sic, ex nihilo fit, quia nihil ad illam præsupponitur; ita compositum vt sic, quod per illam fit, absolute creari dicitur, quia vt compositum est, vtranque si nul vnitam partem includens ex nihilo fit, atque hæc doctrina est Diui Thom. 1. par. quæst. 4. 5. articul 4. vbi cum sibi obiecisset, idem hoc argumentum, ad secundum inquit dicendum, quod creatio, non dicit compositionem rei compositæ, ex principiis præexistentibus, sed compositum sic dicitur creari, quod simul cum omnibus suis principiis, in esse producitur.

Ex qua doctrina infero, contra rationem creationis esse, si res fiat ex aliquo extrinseco, idest, non essentiali illi, & ideo eductio formæ cœli, de potentia materiæ, non est creatio, non tamen esse contra rationem creationis fieri ex aliquo intrinseco, & essentiali, nisi quando illud intrinsecum tẽpore præcedit productionẽ compositi: nam tunc proprie fit ex aliquo, quod extra ipsum est, vel quod erat pars alterius, & vt sic erat illi extrinsecum.

Propterea productio hominis, quæ modo fit per actionem totalem compositam ex creatione animæ, & generatione modi vnionis, nõ est creatio, quia ista actio, adhuc vt composita, ex his duabus partibus pendet ex aliquo extrinseco non incluso in ipso, nimirum à materia, ex qua ipse modus vnionis educitur, secus contingit in actione, ex productione partium cœli composita, quia illa actio, vt sic, & totalis nullo modo pendet ab aliquo extrinseco.

Dices ex his sequi, quod si modo Deus crearet materiã aliquã vltimate dispositã ad formam ignis approximatam debite alicui igni, qui in eodem instanti produceret ex illa materia formã ignis, totus ille ignis in illo instanti productus diceretur creat', quia non fit ex aliquo intrinseco

secun-

ſecundum durationem præcedente. Conſequens autem videtur falſum, quia ille nouus ignis productus eſt ab altero igne, cui non conuenit creari. Reſpondendũ eſt illum ignem in eo inſtanti, ſecundum ſe totum productum reſpectu Dei, proprie dici poſſe creari, quia actio totalis compoſita ex productionibus partium tota dimanat à Deo, & vt ſic in quantũ compoſita, ex vtraque actione partiali, non fit ex alio ſubiecto, vel termino, ſed omnino ex nihilo, reſpectu tamẽ naturalis agentis. v. g. ignis producentis, non poteſt dici creari ille ignis productus in eo inſtãti, quia nõ fit ab alio igne, niſi per partialem actionem, & productionẽ formæ, atque vnionis, quæ actio vt ſic non eſt creatio, ſicut neque partialis actio productiua formę cœli, & vnitiua eiuſdem cum materia non fuit creatio.

Denique ex omnibus dictis in hac quæſtione intelligi poteſt, quæ ſint cauſæ formæ ſubſtantialis. Nam ſi ſermo ſit de anima rationali, dicendum eſt totum compoſitum eſſe cauſam finalẽ eius, in qua etiam conuenit cum aliis formis materialibus, à quibus differt in aliis cauſis: nam cauſa effici ens illius eſt Deus per creationem, à quo ſolo fieri poteſt, quia non dependedet à materia, & ideo nullam habet cauſam materialem ſuæ entitatis, ſed ſolũ ſuæ informationis, in qua dependet ab eadẽ materia, quã informat, cauſa vero formalis, cum ipſa ſit forma, nullã habet, quod etiam aliis formis conuenit. Si autem ſermo ſit de aliis formis materialibus, dicendũ eſt, cauſam earum materialem, eſſe ipſam materiam, ex cuius educuntur potentia, efficientem eſſe poſſe aliquod agens naturale, & creatum per diſpoſitiones mediasquas præmittit in materia.

QVÆSTIO. II.

Vtrum formæ ſubſtantiales materiales habeãt partialem aliquam propriam ſubſiſtentiam.

NON proponitur quęſtio de forma ſubſtantiali in cõmuni, ſed tãtum de materialibus, quæ vere dependent à materia: nam de anima rationali, non eſt dubium, quin illa vere ſubſiſtat

sistat, est enim independens ab omni substentante, tam vt subiecto, quam vt supposito. Primum habet per suam met entitatem, & essentiam, secundum vero per superadditum modum partialis subsistentiæ, vt ex supradictis in simili de materia per se constat, & licet aliquis dubitauerit de illius subsistentia, dum est in corpore, communior tamen, & verior sententia est, illam etiam in corpore dum actu materiam informat subsistere, quod aperte colligitur, ex Diuo Thom. 1. part. quæstio. 75. articul. 2. vbi docet subsistentiam, non excludere imperfectionem partis, & ideo animam humanam esse subsistentem, tanquam quid in completum, ad eum modum, quo pars integralis subsistit in toto, & ratio à priori est, quia modus quo anima rationalis informat materiam, non repugnat formaliter cum subsistentia, quia anima rationalis, non ita informat, vt illius existentia terminetur, sustentetur, aut dependeat à materia, in quo differt ab aliis materialibus formis substantialibus, de quibus est præsens quæstio.

In qua communis est multorum sententia, nullam formam substantialem per se existere, aut subsistere præter animam rationalem. Quæ sententia sumi videtur aperte, ex Diu. Thoma. 1. part. quæstio. 4.5. articul. 4. vbi docet formā, & accidentia, & alia huiusmodi non esse subsistentes, quia hæc non dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est. Et articulo octauo eiusdem quæstionis. arguens contra eos, qui dixerunt omnes formas substantiales creari à solo Deo, inquit, non considerasse eos, quod forma naturalis corporis, non est subsistens, sed quo aliquid est. Eadem fere verba repetit quæstione. 90. articul 2. & quæstio. 100. articul. 2. vbi in corpore ait, compositum proprie est, quasi subsistens, forma autem non dicitur ens quasi ipsa sit, sed sicut quo aliquid est. Hanc Diui Thom. sententiam, sequuntur Thomistæ, Caietan eisdem locis, & Ferrar. 2. contra Gent. cap. 68. quos etiam est imitatur, subtilis Molina. 1 par. quæst. 29. articul. 2. & cum eisdem, materiæ etiam primæ negat subsistentiam, sed in hoc tan ipse, quam illi male philosophantur, dum existimant ma-

teriam primam realem depeddentiam habere in sui esse à forma, vel à composito, quod quam sit falsum satis est manifestũ, ex supra tractatis disputat. præcedenti.

Huic sententiæ fauere, videtur Augustinus lib. de Ecclesiasti. dogmat. capit. 16. qui ad hoc propositum citatur à Diuo Thoma. 1. par. quæst. 75. articul. 3. ait enim Augustin. solum hominem credimus habere animam substentatiuam, animalium vero animæ, non sunt substentatiuæ. Fundamentum autem huius sententiæ est, quia subsistentiæ repugnat dependentia ab alio, tanquam à substentante, vt nomen ipsum præsefferre videtur, & expresse docuit Diuus Thomas. 1. par. quæst. 75. artic. 2. ad primum, dicens subsistentiam excludere inhærentiam accidentis, & formæ materialis, ideo scilicet, quia hęc inhærentia nihil aliud est, quam dependentia quædam à subiecto substentante; sed omnes formæ substantiales, quæ materiales sunt dependent à materia, tanquam à substentante, vt constat ex dictis, de eductione ipsarum ex potentia materiæ: ergo non habent propriam subsistentiam.

Et confirmatur à simili in formis accidentalibus, quæ ideo non dicuntur subsistere, quia sunt in alio, tanquam in substentate ipsas: sed similiter formæ omnes substantiales præter animam rationalem, sunt in materia prima, tanquam in substentante; nam similiter dependent ab illa in suo esse, sicut accidentia: ergo non subsistunt.

In hac quæstione, potest esse aliquid, quod pertineat ad rē ipsam, & aliquid quod admodum solum loquendi spectet: pertinet autem ad rem ipsam, an huiusmodi formæ materiales, sint principium alicuius partialis subsistentiæ, an vero in ipso cōposito substantiali, sola sit subsistentia materiæ, ita vt ratione solius materiæ dicatur subsistere. Deinde si forma dicatur esse principium alicuius partialis subsistentiæ, etiam erit quæstio de re, an ipsa forma, per se ipsam, & immediate afficiatur, & terminetur partiali sua subsistentia, an vero sola materia dicatur per illam integre subsistere.

Tertio poterit esse quęstio de modo loquendi, an forma modificata, & terminata propria subsistentia dicenda sit

per

per se subsistens, & quoniam duo hæc vltima pendent ex primo, illud in hac quæstione explicabo, an scilicet forma materialis sit principium alicuius partialis subsistentiæ ex quo per quædam dubiora reliqua facile explicabo.

Duplex modus per se existendi.

Principio autem huius quæstionis reuocanda sunt in memoriam, quæ duplici modo per se existendi supra notaui in simili quæstionibus, de materia prima. Primus modus per se existendi opponitur modo existendi in alio tanquam in subiecto substentante dependenter ab illo. Secundus vero modus per se existendi, qui proprie dicitur subsistentia, opponitur modo existendi in alio, tanquam in supposito substentante dependenter ab illo. Qui duo modi subsistendi sunt inter se valde diuersi, quod primo constat ex eo, quod primus conuenit rebus quibusdam immediate per suam essentiam, vt substantiis. v. g. spiritualibus etiam animæ rationali, & materiæ etiam primæ, at secũdus nulli creaturæ conuenit, nisi per super additum modum ipsi essentiæ.

Secundo etiam declarari potest, hæc differentia per oppositos modos essendi in alio dependenter, quia esse in alio cum dependentia ab illo, vt subiecto, est habere dependentiam ab illo in sua existentia, & ideo sine illo esse non potest: at esse in alio cum dependentia ab illo, vt subiecto, est habere dependentiam ab illo, in sua existentia, & ideo sine illo esse non potest: at esse in alio cũ dependentia ab illo, vt supposito tantum, non est habere dependentiam ab illo, in actuali existentia, sed in termino tantum, & perfectione ipsius existẽtiæ. Ratio est quia subiectum est vera causa realis, in genere causæ materialis formę in se ipso receptæ, at suppositum, vel subsistentia non est causa realis naturæ, quam substentat; sed terminus tantum illius; cum igitur hi duo modi essendi in alio sint valde diuersi, necessarium est, vt oppositi modi essendi per se, similiter sint inter se distincti.

Quod confirmari potest argumento sæpius ad hoc propositum repetito, qui hi duo modi per se existendi sunt inuicem separabiles, patet in humanitate Christi, cui vterq; iste modus conuenit natura sua, per vnionen tamen qua ratione vnita est persona Diuina, priuata est

naturali sua independentia à supposito, non tamen est priuata altero modo existendi per se, cum independentia a subiecto, quia hic conuenit illi, per suam essentiam.

Dicendum est primo, nulla forma substantialis materialis per se existit primo modo: sed omnis illa in sua existentia dependet à materia. Hæc conclusio sufficienter probatur, ex adductis pro citata sententia, & euidenter conuincitur ex dictis præcedentis dub. Quia omnis forma substantialis materialis, fit ab agenti naturali, per ipsius met eductionem de potentia materiæ, sed fieri eductionem ex potentia materiæ, est fieri cum dependentia à materia, & per veram causalitatem eius, à qua sicut infieri, sic quoque dependet in suo esse, & conseruari: ergo omnis forma substantialis materialis existit in materia dependenter ab illa, & ideo nulla earum per se existit primo modo, idest, independenter à subiecto, & à causa materiali.

Quid sit depēdētia formæ substantialis a materia.

Dicendum secundo, dependentia hæc formæ substantialis à materia, non est tanquam à supposito substentante, sed solum tanquam à causa materiali substantiali. Ratio huius cōclusionis est quia tunc dicitur aliqua entitas pendere ab aliquo, tanquam à supposito substentante, quo esse actuale, vel existentia illius entitatis modificatur, & terminatur vltimo per subsistentiam illius suppositi: sed esse actuale formæ materialis, non potest modificari, neque vltimate terminari per subsistentiam materiæ primæ: ergo forma materialis non dependet à materia, tanquam à supposito substentante. Maior propositio est certissima. Et declaratur in humanitate Christi, quæ ideo tantum dependet à verbo, tanquam à supposito substentante, quia esse actuale, seu existentiæ humanitatis; quasi modificatur, & vltimo terminatur per Diuinam ipsius Verbi subsistentiam. Minor vero propositio eiusdem rationis probatur eodem argumēto, quo supra probaui actualem entitatem materiæ, terminari non posse per subsisten tiam formę: ergo forma materialis, non dependet à materia per subsistentiam formæ, quia scilicet implicat modum intrinsecum alicuius rei habere suum, quasi esse-

effectum formalem extra illam rem, cum qua intrinsecam, & essentialem habet cõiunctionem: sed subsistentia materiæ est intr nsecus, modus ipsius essentialiter ipsi coniunctus: ergo non potest terminare, vel modificare entitatem formæ; realiter omnino à materia diuersam.

Omnis forma substantialis materialis est principium per se existendi.

Dicendum est tertio omnis forma substantialis materialis est principium per se existendi secundo modo, id est, alicuius partialis subsistentiæ propri è dictæ. Hanc conclusionem imprimis euidenter mi i visus est docuisse Diuus Thomas multis in locis, primo in illis, quæ pro sententia opposita supra adducta sunt, præcipue duobus primis, & 1. par. quæst. illa 45. in quibus ita negat formas materiales esse subsistentes, vt tamen affirmet per ipsas aliquid aliud subsistere, hoc enim ibi vult, cum ait forma naturalis corporis non est subsistens, sed quo aliquid est, idest, quo aliquic, nempe compositum subsistit, nam hoc verbum esse, idem significat apud Diuum Thomam quod subsistere,

Et confirmatur ex eodem Diuo Thom. 2. contra Gentes, cap. 68. vbi aperte docet, ad hoc, vt aliquid sit forma substantialis alterius, requiri vt forma sit principiũ formale essendi substantialiter ei, cuius est forma, quale vero sit istud esse substantiale, statim his verbis exponit: *Et hoc esse est in quo subsistit substãtia composita, quæ est vna secundum esse, ex materia, & forma constans.* Quid clarius, expresse enim requirit Diuus Thomas, tanquam rationem necessariam formæ substantialis, vt sit principium subsistentiæ.

Qua ratione intelligatur D. Thomas cum docet formam esse principiũ essendi.

Sed quia quibusdam videtur D. Thomam his, & aliis locis, quibus docet formã esse principium essendi, non loqui de esse subsistentiæ, sed de esse essentiæ, ostendã hoc esse omnino alienum à mente D. Thomæ, nam loquens ipse de compositione reali, quę fit in omni substãtia creata, ex natura, & subsistentia vocat eam compositionem ex natura, seu essentia & esse, & comparat ipsum esse ad essentiam, vel naturam: sicut actum ad suam potentiam, quod non esset verum, nisi nomine huius quod est esse, intelligeret subsistentiã. Sic 1. par. quæst. 3. articul. 4. inquit oportet igitur, quod ipsum esse cõparetur ad essentiam

tiam, quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam, igitur D. Thomas quoties absolute loquitur de ipso esse, maxime cum distinguit esse, à natura, vel essentia, vt in citatis locis, quibus docet formam esse principium essendi, per esse intelligit ipsum esse subsistentiæ, non esse essentiæ.

Præter hæc tamen non nego aliquando intelligere D. Thom. per hoc quod est esse, ipsum esse essentię, vel esse accidentale, sed huiusmodi esse non vocat esse absolute, & simpliciter, sed vel esse operans, vel esse formæ accidentalis, vel alio modo. Ex quo colligi potest ipsum loqui de alio esse.

Denique vt cum testimoniis D. Thom. concludam, illud vltimo loco addam, quod ab omni suspitione liberum sit, & omnem interpretationem excludat: nam 1. par. q. 29. articul. 2. ad 5. sic inquit: *Indiuiduum compositum ex materia, & forma, habet quod substet accidenti ex proprietate materiæ, sed quod per se subsistat habet ex proprietate suæ formæ, quæ nõ aduenit rei subsistenti, sed dat esse actuale materiæ, vt sic indiuiduum subsistere possit.* Vnde concludit ideo dixisse Boetiũ, substantiam esse materiã, & subsistentiam formam, quia materia est principium substandi, & forma subsistendi. 1. Ratio.

Cuius prima ratio sit. Subsistentia materiæ, ita est vltimus terminus existentiæ illius, vt tamen natura sua capax sit, atque susceptiua alterius partialis subsistentiæ: ergo necessarium est, vt forma omnis substantialis etiam materialis sit principium alicuius partialis subsistentiæ, per quam partialis subsistẽtia materiæ compleatur, ac perficiatur. Consequentia videtur manifesta, quia si illa aptitudo passiua, & capacitas ad recipiendam partialem subsistẽtiam, non expleretur per quãcumque formam substantialem, non esset materia in statu naturali, & perfecto, sed priuata naturali sua perfectione, idest, complemento suæ subsistentiæ perpetuoq; illã expeteret sub quacumq; forma substantiali materiali. Sicut si entitas actualis eiusdẽ materię omni substantiali forma priuaretur esset in statu quasi violẽto, cum perpetuo appetitu naturalis desiderij formam aliquam expetens: sed si subsistentia materię ponatur capax completæ subsistentiæ, non minus appetit hoc complementũ subsistentiæ quam formam: ergo donec

nec illud acquireret, non esset in statu naturali, & perfecto.

Antecedens vero illud duplici medio ostẽdi potest Primo, quia tota entitas materiæ primæ essentialiter est pura potẽtia receptiua formæ substãtialis: ergo quidquid intrinsece pertinet ad entitatẽ materiæ, est natura sua capax, & receptiuum illius partis, vel perfectionis formæ substantialis: sed modus subsistendi materię primę pertinet intrinsece ad cõplementum, & terminum existentiæ eiusdem: ergo etiã est susceptiuus alicuius modi, vel perfectionis formæ substantialis, hoc autem nõ potest esse aliud, nisi subsistentia formæ, quia omne aliud recipitur in existentia materiæ, vt ex dicẽdis cõstabit ergo: primam huius rationis consequentiam probo à simili in quãtitate, quę quoniam natura sua est quasi potẽtia, & subiectũ proximum aliorum accidentium materialium, quidquid intrinsece pertinet ad constitutionẽ quantitatis est susceptiuum alicuius partis, vel modi accidentalis susceptibilis in quantitate, & ideo non solum partes eius diuisibiles, & indiuisibilia, quibus continuantur susceptiua sunt qualitatis, sed etiam terminatiua illius: similiter suscipiunt in se ipsis aliquid indiuisibile qualitatis, sibi proportionatum. Pari ergo ratione quidquid intrinsece constituit, vel terminat materiam, siue tanquam pars integralis, siue tanquam continuatiuum partium, siue tanquam terminus, & cõplementum existentię illius est per se susceptiuum alicuius partis modi, vel perfectionis ipsius formæ.

Dices hoc argumentum à simili tantum probare omnia indiuisibilia substantialia materiæ, tam continuatiua, quam terminatiua suarum partium susceptiua esse alicuius indiuisibilis similiter continuatiui, vel terminatiui partium formæ, vel certe totius formæ, si ipsa in sua entitate sit indiuisibilis, vt anima rationalis, quę cum nullas habeat partes, tota est in tota materia, & tota etiam in qualibet parte, & in quolibet indiuisibili, & terminatiuo eiusdem materię: non tamen probare modum subsistentiæ terminatiuum existentiæ materiæ primę susceptiuum esse alicuius modi, vel perfectionis formæ: nam etiam modus inhærendi quantitatem in materia, qui est vltimus terminus

existentiæ quantitatis, nō est immediate susceptiuus alterius similis modi inhærendi qualitatis.

Sed contra, quia modus inhærendi non est vltimus terminus quantitatis in quantū est proximum subiectum accidentium, sed in quantum est accidens; & ideo non dicitur participare rationem subiecti, quam habet quantitas: at subsistentia materiæ, est vltimus terminus eius inquantum est primum subiectum substantiale, quia vt sic habet vt non possit non subsistere per se, & ideo necesse est subsistentiam participare rationem primi subiecti quā habet materia.

Rursus modus inhærendi quantitatis non habet tantū rationem termini existentiæ quantitatis, sed simul etiam rationem vnionis eius ad subiectum, vnde necessario debet quasi mediare inter quātitatem, & subiectum, & quia alia accidentia non respiciunt subiectum, nisi media quantitate, ideo non possunt recipi in modo vnionis, sed in entitate ipsa quantitatis: at subsistentia tantum habet rationem vltimi termini existentiæ materiæ, & ideo potest participare rationem subiecti respectu alterius similis termini existētis, vel adhærentis formæ, qui est subsistentia.

Sed contra, quia quod modus inhærendi quantitatis non sit susceptiuus alterius modi inhæsionis, totum prouenit ex natura ipsius quantitatis, & aliorum accidētiū, quorum quantitas est susceptiua, quia nimirum quantitas ita est proximum qualitatis subiectum, vt tamen ipsa cū accidens sit, etiam sit in primo subiecto quod est materia, & reliqua materialia accidentia v.g. qualitates, talis naturæ sunt, vt non vniantur immediate ipsi materiæ, sed media quantitate, vnde supposita hac natura quantitatis, & aliorum accidentium, nec fieri, nec intelligi potest, vt modus inhæsionis, quo quantitas vnitur materiæ suscipiat in se modum vnionis, quo alia accidētia immediate vniūtur quantitati, at materia prima est subiectum substantiale, & ideo omnium primum, propter quod modus subsistentiæ ipsius non potest esse ratio existendi in altero, & ideo solū potest habere idē munus subiecti quod habet existentia materię per ipsum terminatæ.

Secundo probatur idem antecedens, quia subsistentia materiæ

materiæ primæ non est totalis, & integra subsistentia, & terminus, sed pars quædam ipsius, & non tanquam actus alterius partis subsistentiæ: ergo tanquam potentialis & susceptiua alterius. Consequentia cum minori cóstat, quia si illa subsistentia habet rationem partis, non potest esse pars, nisi in eodem genere, & eadem ratione, qua materia ipsa cuius est terminus dicitur esse pars: sed materia est pars potentialis tanquam susceptiua alterius partis ergo. Maior vero propositio probatur primo, quia subsistentia materiæ est intrinsecus terminus partialis, & incompletæ existentiæ solius ma eriæ: ergo non potest habere rationé integrę, & perfectę subsistétiæ, quia vnaquęque res modificari debet iuxta suam naturam, & ita nó potest natura, vel existentia partialis modificari, nisi partiali quoddam modo subsistétiæ.

Secundo & maxime probatur eadem maior propositio, quia quando anima rationalis vnitur materiæ, necessarium est subsistétiam animæ vniri immediate subsistentię materiæ, hoc autem fieri nó potest nisi subsistentia materiæ sit natura sua pars subsistentiæ totalis & compositę, sicut & subsistentia animæ, quia sicut naturæ duæ totales substantiales vniri nó possunt, ita vt ex illis fiat aliqua vna subsistentia: ita duo modi substantiæ subsistentiæ totales interse vniri non possunt, neque ex illis fieri potest vnum subsistens. Maior autem vltimę rationis probatur, quia sicut existentia animæ rationalis vnitur existentię materię, ita terminus existentię animæ vniri debet termino existentię materiæ.

Dices diuersam esse rationem de existentijs partium, ac de subsistentijs, siue terminis existentiarum, quia existentię sola ratione differunt ab essentijs partium, & ideo sicut essentia materiæ habet rationem potentię receptiuę, sic quoque existentia illius, & similiter existétia animæ habet rationem actus informantis, quia vtraque pars non recipit vel informat, nisi prout est entitas actualis, & existens, at subsistentię sunt diuersę rationis ab essentijs partialibus, & ideo non est necesse, vt habeant rationem potentię & actus, neq; quod inter se vniantur.

Sed contra, quia licet indiuisibilia substantialia continuatiua, & terminatiua partium

tium integralium materiæ, & formæ substantialis diuisibilis sint diuersæ rationis ab essentia partium diuisibilium materiæ & formæ, nihilominus participant rationem potentiæ receptiuæ, & actus informantis quem habent ipsę partes, quia sunt modi intrinseci entitatis earum, complentes illam, & perficientes in genere entitatis substantialis. Vnde sicut partes diuisibiles formæ informant diuisibiles partes materiæ, ita indiuisibilia eiusdem formæ actuant, & informant indiuisibilia materiæ: sed subsistentia materiæ, & animæ rationalis sunt intrinseci modi complentes ipsas, & perficientes earum existentias in genere substātialis esse: ergo etiam subsistentiæ participant rationē potentiæ receptiuæ, & actus informantis, quem habent existentiæ per ipsas terminatæ, & ideo sicut existentia animę actuat existentiam materiæ, sic quoque subsistentia animæ rationalis informat, vel actuat subsistentiam eiusdem materiæ.

Confirmatur hæc secunda probatio eiusdem maioris propositionis, quia nisi subsistentia materiæ, & animæ rationalis inter se vniantur per modum actus & potentiæ, non potest dici homo vnum subsistens perfectum, & totale, sed plura, hoc autem est absurdum: ergo Probatur maior, seu conditionalis illa propositio. Quia sicut est impossibile ex duabus entitatibus fieri aliquā vnā entitatē, nisi illæ sint partiales, & vniantur inter se, vel per modum actus & potentiæ, vel per modum partium integralium, sic quoque impossibile est ex modis duarum entitatum fieri aliquem vnum modum, nisi illi sint partiales, & aliqua ratione inter se vniantur: ergo si subsistentiæ materiæ, & animæ rationalis non sunt partiales, nec inter se immediate vniuntur, non fit ex illis vna subsistentia, aut vnus modus existendi per se & consequenter, neque homo erit vnum subsistens tantum; sed duo, vnde nullus homo esset vnus homo.

Dices sufficit vnio existentiarum materiæ, & formæ inter se, licèt subsistentiæ immediate inter se non vniantur aliquo ex dictis modis, nam ex vnione existentiarum fit aliqua vna existentia v.g. vna humanitas existens, & consequenter

sit etiam vnum subsistens ex subsistẽtijs vnitis eidem humanitati existenti, non tamẽ inter se vnitis.

Sed contra primo, quia impossibile est ex duabus naturis, quarum quælibet suam secum affert subsistentiam fieri aliquod vnum subsistens, nisi destructa, vel impedita alterius naturæ subsistentia, vtraque natura immediate terminetur per alterius tantum naturę subsistentiam, vt de facto contingit in Sacro Incarnationis Mysterio, vel certe, nisi illę subsistentiæ inter se vniantur immediate. Sed primum non inuenitur in vnione partium hominis, quia vtraque pars manet cũ sua subsistentia, & existentia vnius partis non potest terminari per subsistentiam alterius, vt patet ex dictis disputation. præced. de subsistentia materię, & ex secunda conclusione huius quęstion. ergo vt ex anima rationali, & materia subsistentibus fiat vnũ per se subsistens, necesse est dicere secũdum, videlicet ipsas subsistentias inter se immediate vniri.

Declaratur maior propositio, quia si per impossibile intelligeremus humanitatem vnitam Verbo Diuino habere suam subsistentiam non intelligeremus vnum subsistens, neque vnum suppositum tantum, sed duo, quia ibi essent duæ subsistentię, nullo pacto inter se vnitę immediatè quantumuis intelligi possent naturę, humana, & diuina interse vnitæ. Et de facto licet in Christo intelligeremus vnũ tantum esse suppositum, quia vna est tantum subsistentia, vtranque naturam immediate terminans, non intelligimus, nec intelligere possumus ipsas naturas interse esse immediate vnitas; & propterea dicuntur esse in Christo duæ naturæ, licet sint vnitæ in vna subsistentia: ergo similiter quantumuis natura partialis animę intelligatur vnita naturæ materiæ, non propterea intelligimus esse in homine vnam subsistentiã, sed duplicẽ, & consequenter duas subsistentias; necessarium ergo est vt non solum ipsæ partiales naturæ, animæ & materiæ, sed etiam earum subsistentiæ immediate vniantur.

Secundo contra eandem solutionem sic obijcio, quãuis tres diuinę subsistentię relatiuę sint immediate vnitę in eadem diuina essentia, non

esse;

efficiunt vnum tantum subsistens, sed tres distinctas personas subsistétes cōstituunt: ergo pari ratione, quamuis duæ subsistentiæ materiæ, & animæ rationalis, eidem humanitati vnitæ sint, non efficient vnum subsistens, neq; vnum aliquod suppositū, sed duo distincta.

Et confirmatur hoc argumentum, quia ideo in diuinis subsistentiæ relatiuæ cōstituunt diuersa supposita, quia quælibet earum subsistentiarū est per se sufficiens cōstituere suum suppositum distinctum realiter ab altero, etiam si natura sit omnibus tribus suppositis eadē, quia ad pluralitatem suppositorū non requiritur pluralitas nanaturarum, sed sufficit distinctio subsistentiarum: sed sic est, quod subsistentia materiç primæ in opposita sententia est per se sufficiens constituere suppositum, in aliis naturis ab humana, quia dicunt solam materiam habere subsistentiam: ergo cum materia hominis sit eadem etiam subsistentia illius constituet per se suum suppositum, & ex alia parte, cum subsistentia animæ non sit imperfectior, sed multo perfectior, non erit minus sufficiens ad constituendum suum suppositum, constituūti gitur istæ duæ subsistentiæ, si inmediate tantum vniantur eadem in natura humana, duo distincta supposita, quia quod natura cui vnitæ sint sit vna tantum, non impedit pluralitatem suppositorum.

Vltima denique ratio à priori nostræ conclusionis esse debet, qua supra etiam probauimus subsistentiam materiæ. Quia sicut inhęrentia actualis est generalis modus existentiæ omnium accidentium, & cuiusuis partis accidentis, ita subsistentia propriè sumpta prout indepēdēti ab alio, vt supposito debet esse generalis modus existentiæ, cuiuscunq; substantię totalis, siue partialis: ergo omnis forma substantialis debet esse principium alicuius subsistentiæ. Consequentia optima est, antecedens vero præcedenti disputatione probatum est, ex D. Thom. & in 3. par. nunc addi potest euidentior alius locus in 1. par. quæstio 3. art. 5. vbi cum in primo argumento intendisset probare Deum esse in prædicamento substantiæ, quia substantia est ens per se subsistens, quod maxime conuenit Deo, respondet quod nomen substantiæ significat, non solum hoc quod est

per

per se esse, sed significat essentiam cui competit sic esse, idest per se esse quod tamen esse, non est eius essentia. Hæc Diu. Thom. loquitur autem de esse subsistentiæ, quia de hoc erat argumẽtum, & hoc est quod distinguitur proprie in creaturis ab essentia, & quod soli substantiæ conuenit tanquam propriꝰs effectus illius, & declarat ibi Diu. Thom. rationem substantiæ, prout cõmune nomen est ad ea, quæ directe, & reductiue spectant ad prædicamentum substantiæ, nam vtroque modo excludit Deum ab illo prædicamenro, igitur ratio communis substantiæ creatæ partialis, & totalis secundum Diu. Thom. est esse principium subsistendi, subsistentia distincta ab ipsa essentia.

Huic auctoritati D. Tho. addo definitionem Athanasij in disput. contra Arrium in Concilio Niceno habita vbi paulò post medium Arrius rogatus ab Athanasio quid esset substantia, respondit. *Vnde est quod res subsistat hoc, eius substantiam dico*; Quam subsistentiæ definitionẽ nõ solum recipit Athanasi. sed maximè laudat, atque commendat, & eandem repetit in alia disputatione, quam coram Probo contra eundem Arrium habuit.

Et præterea probatur illud met antecedens, quia formæ istæ materiales dependent à materia, sicut accidentia: ergo nisi aliquem effectum habeant substantialem & proprium, non erit per quod sufficienter distingui posint ab accidentibus, habent ergo propriam subsistẽtiam.

Dices vt formæ materiales distinguantur ab accidẽtibus, sufficit illas esse partes essentiæ, & existentiæ substantiæ totalis. Respondeo hanc esse primam & potissimam differentiá à priori inter huiusmodi formas substãtiales, & accidentia, tamen gratis dici videtur, ipsas esse partes existentiæ totius substantiæ, si nullo modo concurrunt ad subsistentiam quę est modus, & vltimus terminus existentiæ totius substãtiæ. Sicut inhærentia est modus consequẽs ex natura rei existentiam accidentis: necessarium ergo est maxime iuxta definitionem traditam ex Atha. vt quidquid intrinsece pertinet ad constitutionem essentiæ, vel existentiæ substantialis sit principium subsistentiæ eiusdem

dem substantiæ constitutæ.

Dicunt tamen subsistentiam non comparari ad naturam substantialem eo modo quo modus accidentalis inhærentiæ comparatur ad accidentalem, quia cum natura accidentalis componatur solum ex partibus eiusdem rationis secundum se totam & secundum quamlibet sui partem, terminatur vltimo per inhærentiam, at materia substantialis componi potest Physice ex diuersis naturis partialibus, quę quia diuersæ rationis sunt, & in ipsa compositione substantiæ totalis vna substentat & altera substentatur, diuersum requirunt existendi modum, & terminum, & ideo quæ substentat alteram terminatur per subsistentiam, quæ vero substentatur & dependet ab altera, sicut forma, solum terminatur per in existentiam.

Sed hæc euasio facile corruit per secundam rationem. Nam esto verum sit subsistẽtiam integram componi interdum ex partibus diuersæ rationis; cum nullius tamen partis ratione, vel natura habet repugnantiam subsistentia, quia dependentia à materia tanquam à subiecto, & causa materiali sui esse nullo modo oponitur in dependentia ab alio vt supposito, quæ est propria formalis ratio subsistentiæ, vt clarius etiam constabit ex solutione oppositi fundamenti, prius tamen nonnulla dubiola ex hactenus dictis expediemus.

QVÆSTIO. III.

Vtrùm forma materialis non solum sit principium effectiuum partialis subsistentiæ, sed per illam ipsa immediate modificetur à terminetur.

Rationes factę in præcedẽtibus ad probandũ formã substantialẽ esse principium quasi effectiuum alicuius partialis subsistẽtiæ, maxime secunda & tertia simul etiam probare videntur ipsammet formam in se immediate affici ac terminari eadem subsistentia, cuius probata est esse principium. Sed quia ex Iunnioribus nonnulli hoc negarũt amplius hoc exa mirãdũ & declarãdũ est.

Quiddam ergo ex his qui nobiscum asserunt formam substantialem esse principiũ alicuius partialis subsistentię affir-

affirmant hanc subsistentiam habere suum immediatum effectum formalem in materia, quam formaliter dicunt per hanc subsistentiam reddi integre subsistentem, formam autem ipsam dicunt fieri incommunicabilem alteri vt supposito, non quidē per suam partialem subsistētiam, sed per dependentiam illam, qua actualiter dependet è materia integre subsistente, quorum fundamentū non est aliud pręter supra positum, quia nimirum huiusmodi formæ materiales non subsistunt vt quod: ergo non terminatur propria aliqua subsistentia.

Subsistē ia est modus & terminus existentiæ.

Pro huius quæstionis resolutione notandum est primo, quod cum subsistentia sit quidam modus & terminus existentiæ substantialis, in omnibus sequitur naturam, & conditionem suæ existentiæ, ita vt si existentia alicuius substantiæ sit omnino à subiecto independens, ipsā etiam subsistentia à subiecti dependentia sit omnino libera: si verò è contra existentia ipsa absolute depēdeat, ipsa quoq; erit ab eo dē subiecto depēdēs. Hoc cōstat à simili in cōtinuatiuis & terminatiui materiæ primæ, & quantitatis, nā illi cum sint modi cuiusdam accidenti naturam accidentis sequuntur, & ideo habent inhærentiam in subiecto, sicut ipsa quantitas, cuius, modi esse dicuntur: pari ergo ratione existimandum est de subsistentia, siquidem ipsa modus etiā est terminatiuus existentiæ substantialis, cui vt vidimus nequaquam repugnat in subiecto esse.

Effectus formales terminatiui.

Secundo notādum est, modos terminatiuos alicuius entitatis in subiecto existentes duos sortiri posse quasi formales effectus. Primum in ipsa met entitate cuius sunt modi, quam immediate afficiunt & modificant. Secundum in subiecto cui simul cū sua entitate inhærent v. g. indiuisibilia terminatiua quātitatis primo formaliter modificant, ac terminant ipsam met quantitatem, secundum hanc vel illam figuram. Deinde secundo etiam afficiunt subiectum, idest indiuisibilia substantialia terminatiua entitatis materiæ primæ, quę per terminatiua quantitatis formaliter fiunt extensa aptitudinaliter in ordine ad locum ita vt vnū quodq; petat esse extra locum alterius, & in penetrabilis sit cum altero. Pari ratione intelligere possumus subsistentiam,

quæ est vltimus terminus formæ substantialis dependẽter, & existentis in subiecto, duos habere quasi formales effectus, primum in ipsamet forma, vt si illam v.g. formaliter efficiat incommunicabilem alteri, vt supposito: alterum vero in ipsa materia prima, cuius subsistentiam partialem compleat, atq; perficiat actuando & complendo ipsam.

In quo recipiatur subsistentia formæ materialis.

His suppositis dicendũ est primo subsistentiam formæ materialis recipi tanquam in proprio subiecto in subsistẽtia materiæ, illique vniri tanquam proprium actum suæ potentiæ, idest eodem modo quo existentia formæ vniatur existentiæ materię. In sensu huius conclusionis intelligo Diu. Thom. omnibus locis citatis, supra pro illa prima sententia: nam vt ex professo declarabo quæstion. sequenti hac sola ratione negat materiales formas esse subsistentes, quia ipsæ non habent in se ipsum suum esse, siue suam subsistentiam, sed tam esse ipsarum, quam entitas in existit in materia à qua dependent. Ratio autem sumitur ex vtroque notabili, quia omnis modus, & terminus entitatis dependenter existentis in subiecto recipitur in aliquo termino, vel modo intrinseco eiusdem subiecti: sed subsistentia formæ materialis est vltimus terminus formæ existentis, & dependentis à materia tanquam à subiecto: ergo ipsa etiam formæ subsistentia recipi debet in aliquo intrinseco termino ipsius materiæ, hic autem terminus alius esse non potest præter subsistentiam materię, quia quidquid pręter subsistentiam intrinsece pertinet ad constitutionem materę, actuatur per entitatem & existentiam formæ, vnde sola subsistentia materiæ relinquitur, quæ per subsistentiã partialem formæ actuetur, ac compleatur.

Confirmatur primo, quia termini, siue modi aliquarum entitatum proportionantur inter se, eo prorsus modo, quo entitates ipsæ; ergo sicut entitates actuales materiæ & formæ habent inter se proportionem actus, & potentiæ receptiuæ; ita subsistentiæ earundem habere debent inter se eandem proportionem actus perfectiui & potentiæ receptiuę. Vnde sicut propter hanc rationem ex duabus his entitatibus resultat aliqua vna entitas substãtialis cõpleta, ita ex

ex duab' subsistētijs resultat aliqua vna integra, & completa subsistentia, & consequenter ex entitate completa & subsistentia similiter integra resultat vnum integrū suppositum substantiale.

Confirmatur secūdo, quia subsistentia materiæ non est in ipsa materia tanquā in subiecto propiè loquendo, sed tantum illi adhæret perse ipsam, tanquam propriæ entitati cuius est modus: ergo similiter subsistentia formæ non est in ipsa forma tanquam in subiecto, sed solum illi adhæret, vt iam dicam: sed nō potest subsistentia formæ nō esse in aliquo subiecto dependenter ab illo, quia non est perfectioris cōditionis quā forma, cuius est terminus & modus, est ergo in materia, seu potius in subsistentia materiæ tāquam in proprio subiecto à qua tanquam à causa materiali dependet.

Subsistētia formæ adhæret ipsi formæ.

Dicendum est secundo subsistentiam formæ materialis esse adhærētē, vel intrinsece coniunctam ipsimet formæ, quæ vt sic per illam formaliter redditur incommunicabilis alteri vt supposito. Hanc conclusionem supponit vt probabiliorem Pater Suarez tomo. 1. in. 3. parte disp. 14. sectio. 2. ad finem, dicens subsistentiam naturæ irrationalis vtranque naturæ partem, materiam scilicet ac formam partialiter modificare, ac immediate afficere, quam ipsemet in disputatione meta, de materia & supposito ex professo probauit, ex qua disputatione, quam typis excusam habemus breui exacta huius sententiæ comprobatio petenda est.

Et declaratur primo, quia primarius, ac præcipuus effectus formalis subsistentiæ est reddere naturam, quam afficit incommunicabilem alteri, & in dependentem ab alio vt supposito. sed subsistentia dimanans à forma materiali non reddit hoc modo in cōmunicabilem entitatem materiæ primæ: ergo soli ipsi formæ potest hūc effectum formalem tribuere media adhæsione ipsius subsistentiæ ad formam, eo modo quo terminatiuum quantitatis media adhæsione ad partem quantitatis reddit ipsam formaliter & intrinsece terminatam. Maior supra declarata est præcipuæ disp. præcedenti. Minor probatur, quia entitas substantialis non potest vltimate terminari, aut incommunicabilis fieri dupli ci subsistētia, sicut neq; quātitas potest versus eandem

partem duplici indiuisibili terminari: sed materia prima terminatur & fit omnino incommunicabilis alteri vt supposito per propriam subsistẽtiam: ergo non potest terminari, vel iterum fieri incommunicabilis per subsistentiã prouenientem à forma. Secũda ratio quia forma materialis cuiuscunque suppositi est incommunicabilis alteri vt supposito perse ipsam & formaliter, siquidẽ perse ipsam immediate potest hypostatiẽ vniri diuinæ personæ, vt supra dicebam ex probabiliori Theologorũ sententia; sed non est incommunicabilis per subsistentiam materiæ, quia nequit vnus, & idem modus diuersas realiter entitates terminare, vt supra probauiergo solum potest habere hanc in communicabilitatẽ à propria sua subsistentia cuius diximus esse principium.

Respondent Iuniores supra relati formã fieri incõmunicabilẽ per dependẽtiam qua dependet à materia integre subsistente.

Sed cõtra, quia subsistẽtia formæ non afficit, ac terminat immediate ipsam met formã, & illã reddit incõmunicabilẽ, non est aliqua entitas cui hunc effectum tribuat, vt prima ratio probat.

Secundo, quia illa depẽdẽtia formę à materia eadẽ est, siue materia integre subsistat siue nõ integre, imo siue propria, siue etiã aliena subsistentia subsistat, vt supra etiã dicebã. Cuius ratio est, quia illa depẽdẽtia formæ à materia, nõ est à subsistẽtia materiæ tãquã à ratione causandi, sed ab entitate sola materiæ, subsistẽtia autẽ solũ esse pôt conditio necessaria, & requisita ad causandum solum ex parte materiæ, quæ eadẽ est quocunq; modo subsistat: ergo ratione illius dependẽtiæ non pôt fieri incõmunicabilis alieno supposito, quia etiã si communicetur perseuerabit in ipsa tota illa dependentia à materia.

Confirmatur, quia depẽdẽtia formæ materialis a materia est quoddã accidẽs, nihil enim aliud est quã a[illegible]io agẽtis prout recepta in ipsa materia, atq; adeò est passio de prædicamẽto passionis: ergo nõ pôt tribuere formę effectũ substantialem, qualis est independentia ab aliquo vt supposito.

Cõfirmatur secũdo, quia hæc depẽdẽtia formæ à materia est prior natura quã ipsa forma, & eadẽ conseruatur deinde forma in materia, sed pro illo priori forma non dependet

pēdet à materia prout integre subsistēti: ergo neq; deinceps: ergo depēdētia formę à materia integre subsistēti nō facit illā formaliter in cōmunicabilē alteri vt supposito.

Tertia deniq; ratio hui⁹ cōclusionis sumitur ex natura ipsa, & essentia subsistētię formæ materialis, quæ essentialiter est modus terminatiuus entitatis depēdētis à subiecto, & ideo pōt dupl'icē effectū formalē tribuere alterum subiecto in quo inexistit, alterū entitati formæ cui adhæret. Et declaratur hoc exēplo quia pūctū terminatiuū lineę quāuis sit in pūcto substātiali materiæ tāquā in subiecto, nihilominus media adhæsione, & cōiunctione quadā intima (qualis est inter rē, & modū intrinsecū) reddit partē lineæ, cui immediate adhæret intrinsece terminatā, & in cōmunicabilē, vel vt sic dicā in cōmunicabilē alteri lineæ: ergo similiter quāuis subsistentia formę materialis sit in subiecto depēdenter ab illo pōt terminare, & incommunicabilē reddere ipsam entitatē formæ, cui tāquā propriæ entitati adhæret & intimo con iuncta est.

Contra hanc cōclusionem esse potest hæc difficultas, quia ex illa sequitur formas materiales corporum subsistentialium esse verè subsistentes vt quod, non secus ac anima rationalis dicitur forma subsistēs, cōsequens est cōtra D. Tho. & cōtra cōmunē omniū recte sentientiū existimationē. Consequentia autē probatur, quia esse aliquam formā subsistentem, nihil aliud est quam ipsam terminari, & affici subsistētia, nihil enim amplius habet anima rationalis.

Hæc difficultas suppositis quæ iam dicta sunt solū spectat ad quæstionem denominē, an scilicet forma materialis, ratione huius subsistētiæ, qua immediate afficitur, & terminatur dicenda sit perse subsistēs, & ideo ad illam explicandam procedamus.

QVAESTIO. IIII.

An formæ materiales absolutæ dicendæ sint subsistentes.

TOta ratio hui⁹ difficultatis desumitur ex D. Th. qui 1. p. q. 75. ar. 2. docet animā rationalē esse quid subsistens, artic. vero. 3. eius dē quæstionis docet, animas brutorū animaliū nō esse sub

 sisten-

sistentes, & ideo explicanda est differentia inter animam rationalem, & reliquas substantiales formas propter quā illa dicitur subsistens, cum tamen formæ materiales etiam sint principia subsistētiæ qua totum subsistit.

Anima rationalis est principium suæ propriæ subsistētiæ.

Pro cuius intelligentia notandum est primo quod anima rationalis est principium siuę proprię subsistentiæ, & terminatur illa independenter à materia, atque adeò prius natura quàm vniatur illi. Ratio huius sumitur ex his, quæ supra dicebam agens de subsistentia materiæ, quia nulla substantia dependet quoad suam subsistētiam ab aliqua causa, aqua non dependet in sua existentia, eo quod subsistentia consequitur naturaliter ipsam existentiam, tanquam naturalis, & intrinsecus modus illius: sed anima rationalis est omnino independens à materia in sua existentia: ergo etiam in sua subsistentia, & consequenter ipsa anima prius natura, quam vniatur materię habet propriam subsistētiam, quia subsistentia est vltimum complementum creationis illius, & ideo sicut prius natura intelligitur anima creata, quā vnita, ita etiam prius natura intelligitur subsistens: at forma substantialis materialis non est principium propriæ subsistentiæ, neque terminatur illa nisi dependenter à materia, & cōsequēter prout recepta in illa: ratio est opposita precedenti, quia huiusmodi forma quoad suam existentiam dependet in genere causæ materialis à materia: ergo non intelligitur prius existens quam recepta in materia: ergo neque intelligitur prius natura principium subsistentiæ propriæ quā recepta, & consequenter non est principiū subsistendi, nisi dependenter á materia.

Secundo supponendum est id, quod denominationes eorum effectuum, quos forma causat dependenter tantum à materia, vel in ipsa materia nullo modo solent tribui ipsi formæ, sed tantum composito vnde D. Tho. 1. part. q. 75. art. 2. in corp. & ad 2. quanuis cōcedat hanc propositionem, anima intelligit, non tamen concedit, quod calor calefaciat, nulla autem alia differentia esse potest inter has propositiones, nisi ꝙ anima per se, & independens à corpore est principiū effectiuum intellectionis, calor vero non est principium calefactionis, nisi dependenter à subiecto cui inhæret.

Eadē ratione art. 3. eiusdem quæstionis negat animas brutorū animaliū sentire, vel aliquid aliud operari, quia omnes operationes earum sunt compositi eo quod ipsæ animæ non sunt principia effectiua illarū, nisi vt vnitæ materiæ, & dependenter ab ipsa, atq; adeo vt cōstituunt totū, & ideo ipsi toto potius tribuuntur quā illis: vnde sumitūr ratio huius à priori, quia quælibet operatio supponit actualitatē & existētiā ipsius causæ operātis, & ideo ea ratione dicitur aliquid operari qua habet esse, & quia formę omnes materiales tam substātiales quā accidentales nō habent esse nisi in subiecto, & dependēter ab illo, ideo non denominātur operantes, vel efficientes, nisi vt vnitæ subiectis, atq; adeò cōposita ex illis & subiectis denominantur potius agentia, quam ipsæ formæ.

Secundo, de formis viuentium respectu operationum vitaliū specialis hęc ratio est. Quia videre v.g. audire, &c. non consistunt in sola actione, seu causalitate actiua, sed maxime etiam consistunt in receptione, seu in causalitate materiali potentiæ vitalis recipientis inseipsa propriū suum actum, & quia huiusmodi potentia est in materia, ideo huiusmodi operationes animę propriè nō tribuūtur animæ, quia non sunt in ipsa, neque ab ipsa solum, neque etiam tribuūtur soli materiæ habenti potentiā vitalē quia licèt sint in ipsa non tamen sunt ab ipsa solum, cum etiā sint ab anima, & ideo propriè tribuuntur ipsi composito ex materia, & anima animali.

Vnde Arist. lib. 1. de anima cap. 4. tri. 64. affirmat multo melius dici hominem cogitare anima, quā animam ipsam cogitare, quia videlicet licèt anima sensitiua sit principiū effectiuum cogitationis, non tamen ipsa per se, & independenter à materia cogitat, sed prout dependens á materia, & recepta in illa, & ideo non ipsa anima, sed animal cogitat anima, atq; hinc sūpta est cōmunis distinctio de principio operationis vt quod, vel vt quo, iuxta quā formæ dici solent principia operationis vt quo, composita vero, seu supposita dicuntur operari vt quod.

His igitur suppositis dicendum est formæ sustantiales materiales non dicuntur propriè subsistentes, vt quod sed tantum vt quo. Hanc cōclusionem, quoad primā par- *Qua ratione dicantur formæ materiales subsistentes.*

ponderetur, negando cõsequẽtiam, & ad probationem negatur asumptum, quia subsistere non attribuitur cuicunque principio subsistẽdi, sed adæquato, & sufficienti, & quia forma materialis non est ipsa sola & per se adęquatum & sufficiens principium suæ subsistentiæ, quia etiam materia in genere causæ materialis est principium eiusdẽ (vt dixi) ideo non denominatur ipsa forma subsistens, sed cõpositum ex materia & forma, quod vtrunq; principium illius subsistentiæ includit, at anima rationalis est adæquatum principium suæ subsistẽtiæ independenter à materia & composito, & ideo denominatur subsistens.

Dices quanuis quantitas non sit per se sola sufficiens causa puncti terminatiui nisi dependenter à materia ex cuius potentia educitur, nihilominus quantitas dicitur punctuata, siue terminata puncto: ergo similiter forma materialis potest dici subsistens, quanuis eius subsistentia educatur de potentia materię. Respondetur negando consequentiam & ratio differentiæ est, quia illa nomina Punctuatum, vel Terminatum, non conotant pro materiali subiecto cum púcti, habens in se punctum, sed rem terminatam, ideo recte conueniunt quantitati, quia ipsa est quæ terminatur at nomen hoc subsistens significat habens ipsam subsistentiam in seipso adæquate, & perfecte, sicut album significat habens albedinem, & ideo solum tribuitur rei quę in se adæquate, & independenter ab alia re habet subsistentiam, & ideo tribuitur solum composito substantiali, & nõ formæ materiali, quod si esset aliquod nomen significans subsistntiam tantum per modum termini tale nomen tribui posset ipsi formæ tantum, quia ipsa sola est, quæ per suam subsistentiam terminatur, & ideo dici poterit forma materialis terminata per propriam subsistentiam, sicut linea dicitur terminata per puncta, non tamen dicenda est subsistens.

Nec refert quod forma materialis immediate afficiatur & terminetur propria subsistentia, quia etiam potentia visiua immediate afficitur ipso actu formali visionis quẽ in se recipit, & nihilominus ipsa vt sic non denominatur videns, sed compositũ totũ vel pars, v. g. animal, aut etiam oculus includẽs aliter omne

principium visionis, idest tam potentiam proximam videndi, quam materiam, & formam denominatur videns.

Ex his etiam ad fundamentum in principio huius materiæ propositũ pro sententia eorũ, qui negãt formis materialibus subsistentiã respõdẽdũ est, huic subsistẽtiæ proprie sumptæ de qua hic agimus repugnare non quãcũq; dependẽtiã ab alio, sed eã solũ, quæ est ab alio tanquã à supposito: vnde dependẽtia huiusmodi formarũ materialiũ à materia, quæ solum tanquam à causa materiali ipsarũ nullo modo repugnat subsistentię earum. Neq; D. Th. dixit subsistentiã excludere inhærentiam, sed subsistens, quia nimirum subsistens dicitur, illud tãtum, quod habet ipsum esse independens ab omni alio, quod formę in hærenti, vel in existenti nullo modo conuenire potest, sed solum conuenit compositis substantialibus, & cuiuscunque alteri substantiæ indepẽdenti à materia, & ideo hæc sola dicuntur subsistentia, & non formę materiales. Cuius rei alia ratio reddi potest supponendo id, quod apud Di. Thom. est frequentissimum & in se verissimum, aliumve ro esse id aquo nomen ad significandum imponitur, aliud vero id ad quod significandum imponitur, vnde sæpe contingit vt nomen aliquod tribui possi alicui rei si, res sola in illo significata consideretur, quod tamen eidem rei negandum sit, si id aquo nominis significatio sumpta est per ipsum significetur: sic D, ui Tho. 1. part. quęst. 29. art. 3. ad. 2. &. 3. docet hæc duo nomina Persona & Hypostasis non conuenire Deo quantum ad id à quo imposita sunt, licèt eidem Deo conueniant quãtum ad id quod significant. Hic igitur de hoc nomine nomine subsistentiæ dici potest, quod si consideretur id à quo impositum est proprie tantum conuenit rebus omnino independẽtibus à materia, dicitur enim subsistentia, quasi existentia sub omni alio, atque adeò in nullo alio existens, & ideo secundum eiusdem quæstio. docet subsistentiam esse rationem, qua aliquid perse existit, & non in alio. & hic modus existendi proprius est rerum independentium à materia: si vero consideretur id ad quod significandum est impositum, sic proprie etiam conuenit cuicunque substantiæ etiam

formæ

formę materiali, significat enim incommunicabilitatem & independentiam ab alio vt supposito, quæ incommunicabilitas est propria perfectio & vltimus terminus existentię cuiuscunq; substantiæ, igitur D. Thom. attendens id à quo hoc nomen subsistés est impositum, absolute negat formas materiales esse subsistentes, sed tantum composita.

Ad confirmat. eiusdé fund. sumptum ex formis accidentalibus respódetur, vt formæ accidétales nó dicantur subsistentes, vt quod, sufficientem causam esse inhærentiá, & dependentiam earum à materia vel subiecto, quia nimirú ipsę nó habét ipsum suum esse, cuius sunt principia, sicut de formis materialibus dicebá, nam quo adhoc eadem est in vtroq; ratio & ideo D. Tho. locis citatis simul vtraque excludit à ratione subsistentiú. Quòd si quis quærat, an formę accidentales saltem sint principia effectiua subsistentiæ & subsistant, vt quo, sicut de formis materialibus dictum est.

Respondendú est & secúdo dicendum in hac quæst. formas accidentales neque esse principia subsistendi, neque subsistere vt quo. Ratio huius conclusionis nó est, quia depédét à subiecto, & in eo inexistunt precise, sed quia sunt formæ accidentales quibus natura sua repugnat esse principiú alicui' modi substátialis, vel terminari per ipsú: sed subsistentia proprie sumpta est modus substantialis cóstitutiuus suppositi vt sic, & vltimus terminus naturæ substátialis: ergo formæ accidentales nó possunt esse principia subsistédi, nec subsistere vt quo. Assumptum probatur & declaratur à simili: Primo quia natura substantialis eo precisse quod substátia est poni nó potest in aliquo per modum inhærentis, quia repugnat ratione substátiæ vniri, vel terminari intrinsece modo aliquo accidentali: ergo similiter accidentalis terminari non potest adhoc quod modificetur & intrinsecè afficiatur per modú subsistentiæ substantialis.

Formæ accidétales sunt ne: principia subsistendi, neque subsistunt vt quo.

Secundo, quia sicut intelligi non potest lineam terminari superficie, vel superficiem & corpus terminari punctis, eo quod inter huiusmodi terminabilia, & terminantia nulla est proportio, nullaque capacitas, pari ratione intelligi non potest, naturam accidétalem terminari subsistentia, quia in accidentali

naturali per eductionẽ illius de potentia materiæ, idest dependenter à materia, à qua etiam naturaliter dependet in cõseruari, sed nulla forma separata a materia dependet ab ipsa materia, quia materia nihil causat, vel conseruat, nisi recipiendo in se formã, quę ab ipsa dependet: ergo nulla forma materialis potest naturaliter separari a materia.

Assertio. 2 Dicendum secundo, possibile est per diuinam potentiam formam substantialem materialem seperari a materia. Ratio huius est prima, quia non magis dependet a materia, forma materialis substantialis, quam accidentalis: sed forma accidentalis, v.g. quantitas separatur a materia in Sacramento Eucharistiæ: ergo similiter forma substantialis poterit separari a materia, vel creari sine illa.

Secunda ratio a priori est, quia formam materialem fieri, vel conseruari sine materia nullam implicat contradictionẽ: ergo id potest a Deo absolute fieri. Probatur antecedẽs, quia forma suam habet partialẽ entitatem actualem, & subsistentiam, & quãuis eam habeat dependenter a materia, poterit tamẽ Deus hanc caulalitatem materiæ supplere, nam quod communiter dicitur Deum non posse suplere causalitatem materialem, neque formalem, solum est verum de illa causalitate materiali, vel formali, quæ cõsistit in intrinseca cõpositione, quia hoc imperfectionem includit & repugnantiam inuoluit, potest tamen Deus supplere causalitatem aliam materialem, quæ consistit in influxu quodã extrinseco respectu effectus, a materia pendentis, qualis est hæc dependẽtia formæ à materia; quia hęc dependentia suppleri potest per vim actiuam & creatiuam Dei, qua potẽs est, res etiam natura sua pendentes à materia, sine ipsa, efficere & conseruare, quod nullã imperfectionẽ ponit in Deo, sed potius supponit maximam perfectionem & virtutem.

Ex hac conclusione infero primò, formam separatam à materia duos habituram esse substantiales modos essendi per se ex natura rei distinctos. Primus est modus substantiæ partialis per quem formaliter constitueretur illa forma incommunicabilis alteri supposito. Secundus esset modus quidam essendi per se, id est independenter a materia tanquam a causa materiali a qua natura sua

Modi essendi per se formæ separatæ à materia.

quando separaretur à materia separanda esset cum duplici isto modo, posito in illa modo independentię à materia loco vnionis substantialis.

Denique quod hic modus essendi perse independenter à materia sit substantialis cōstat, tum quia est formaliter incompossibilis cum modo substantiali vnionis, atque adeo esse debet eiusdem generis. Tum quia modus subsistentiæ proprie dictus præsupponit in ipsa forma hunc modum independendi à materia in ipsa forma, quia substituitur loco vnionis formæ ad materiam, quam ex natura rei præsupponit substentia formę, est ergo substantialis, vnde etiam erit principium cuiusdam modi subsistēt &c vt statim dicā de modo vnionis.

Infero secundo formam separatam à materia non conseruari à Deo eodem genere actionis, seu concursus, quo cōseruabatur in materia, sed diuerso. Ratio est primo, quia in materia conseruabatur dependentur à materia, idest per actionem essentialiter dependentem à concursu materiæ, & terminatam in ipsam formam vt vnitam materię, quæ actio est vere eductiua non creatiua, at extra materiam conseruatur forma a Deo omnino independenter à materia, atque adeò per actionē similē omnino creationi, quæ terminatur in formam vt perse existentem & independentem à materia: quia sicut actio eductiua terminatur in formam, vt vnitā materię, ita actio creatiua terminatur in formā per se existentem, idest independentem à materia, quæ duæ conseruationes genere diuersæ sunt, sicut generatio & creatio, ita enim inter se comparantur actiones conseruatiuę sicut productiuæ.

Tertio infertur formas materiales etiam esse separabiles per miraculum à quantitate & sine illa habere posse partes distinctas in ordine ad locum, eo modo quo de materia supradictum est. Ratio huius est, quia effectus quantitatis non est extensio partiū, vel distinctio entitatiua, quia hanc habet forma per suam substantialem entitatē, neq; etiam est effectus illius præsentię localis diuisibilis, qua partes formæ commensurātur diuisibili spacio per correspondentiam partis formæ ad partem spacij & totius formę ad totū spacium, quia huius præsentię est capax for-

ma

ma materialis natura sua eo præcise, quod entitatiue & substantialiter est diuisibilis & plures habet partes distinctas: solum ergo habet forma substantialis à quantitate impenetrabilitatem aptitudinalem, quā immediate tribuit quantitas materiæ primæ, & consequenter etiam formæ, cuius partes proportionātur necessario partibus materiæ sub quantitate existente, & ratione ipsius vbi quantitatiui, quod naturaliter cōsequitur quantitatem, etiam participat actualem impenetrabilitatem, quæ primo conuenit quantitati, tanquam effectus formalis suæ præsentiæ localis, & consequenter communicatur materiæ & formæ, hic igitur sola impenetrabilitate priuatur forma ex separatione ipsa, qua poneretur extra materiam, & quantitatem.

QVAESTIO VI.

De modo vnionis substantialis materiæ, & formæ, an ipse etiam sit principium alicuius subsistentiæ modalis.

RATIO Dubitandi ex vna parte est quia diximus omnem substantiam esse principium subsistendi: sed vnio formæ substantialis, cum materia est modus substantialis: ergo ipsa etiam erit principium subsistendi?

Ex alia autem parte contrarium videtur. Primo, quia diximus materiam & formam etiam materialem, posse mutuo vnam ab altera separari de potentia absoluta, quia habent subsistentiam, qua separatę subsistant: ergo si vnio hæc substantialis habet propriam subsistentiam similiter poterit à materia, & forma separari per diuinam potentiam: consequens autem repugnat essentiæ ipsius vnionis: nam vt supra diximus omnis modus realis ex natura rei distinctus à sua entitate includit in sua essentia actualem coniunctionem cum illa re cuius est modus: ergo vnio per suam essentiam habet esse coniunctam & vnitam materiæ & formæ, est igitur inseparabilis ab illis per quamcumque potentiam,

Se-

Secundo modus vnionis accidentis cum subiecto est vltimus terminus existentiæ ipsius accidentis, & ideo non habet in se alium terminum vel modum inhærendi: ergo similiter modus vnionis formæ materialis cum materia non habebit alium vlteriorem terminum existendi, atque adeò non habebit subsistentiam.

Modali subsistentia vnuntur subsistentiæ materiæ & formæ.

Nihilominus dicendum est primo probabilius esse modum vnionis materiæ & formæ esse principium alicuius modalis subsistentiæ, qua subsistentiæ materiæ & formę interse vniuntur: hanc conclusionē supponit Pater Suarez, tomo 1. supra citat. disp. 17. sect. 5. in explicatione tertiæ cōclusionis. Ratio huius conclusionis prima est à simili, quia indiuisibilia substantialia, quibus vniuntur partes integrantes materiæ sunt principium alicuius subsistentiæ, per quā ipsa in se ipsis immediate sunt incommunicabilia alteri vt supposito: ergo pari ratione modus iste vnionis partium essentialiū naturæ substantialium erit principium alicuius subsistentiæ, per quam ipse in se ipso & immediate fiat incommunicabilis alteri vt supposito. Antecedens probatur: Quia ideo docent communiter recentiores Phylosophi qualitates habere propria indiuisibilia correspondentia indiuisibilibus quantitatis, quia intelligi non potest qua ratione albedo existens in aliquo subiecto extenso, & continuatiuo sit vna & continua in se, nisi eius partes respondentes partibus quantitatis vniantur proprijs illis indiuisibilibus. Sed similiter non potest intelligi, quod subsistentia materiæ sit vna in se, nisi subsistentiæ partium ipsius vniantur, & quasi continuentur subsistentia indiuisibilis substantialis materiæ, ergo. Consequentia vero illa probatur, quia sicut indiuisibilia substātialia materiæ sunt modi quidam, siue vniones substantiales partium materiæ subsistentium, pari ratione vnio partium naturæ substantialis est modus substantialis vnitiuus materiæ & formæ, quę proprijs subsistentijs terminantur, ergo.

Vrgentius quidem & speciali quadam ratione confirmatur hæc ratio, quia nisi vnio materiæ & formæ terminetur etiam sua propor-

tionata

tionata subsistentia intelligi non potest, qua ratione ex subsistentijs materiæ & formæ fiat vna totalis subsistentia, quia vniri nõ possunt seipsis immediate, eo quod vna non est modus alterius, sed realiter omnino distinctę sicut ipsę quantitates materiæ & formæ distinguuntur. Vnde sicut entitates ipsę nonvniuntur nec componũt vnam naturam substãtialem nisi media vnione substantiali, pari ratione subsistẽtiæ earum vniri non possunt, neq; efficere aliquam vnam subsistentiam, nisi media subsistẽtia ipsius vnionis.

Ratio à priori. Secunda ratio à priori nostræ conclusionis est, quia proprium est subsistentiæ vt sic, principium esse subsistendi: sed vnio materiæ & formę est modus substãtialis: ergo necesse est ipsam quoque principium subsistendi esse, neque enim melius potest aliqua alia ratione probari hanc vnionem esse modum substantialem, nisi quia est principium subsistendi.

Dicendũ est secundo modalis ista subsistentia recipitur in subsistentia materiæ, à qua tanquam à causa materiali dependet. Hęc sequitur ex alia simili conclusione primæ quæst. vbi idem dixi de subsistentia formæ: nam hæc subsistentia modalis (voco autem illam. Modalem, non solum quod sit modus, nam hoc commune est omni creatæ subsistentiæ) sed quia est subsistentia modificatiua & terminatiua eiusdem modi, scilicet est vnitiua seu potius formalis vnio subsistentiarũ materiæ & formæ, nam per ipsam, subsistentia formę substantialis vnitur subsistentiæ materiæ, vt in subiecto à quo dependet: ergo immediatius, & magis per se erit in eadẽ subsistentia materiæ ista subsistentia vnitiua, seu modi vnionis: nã hæc est in illa per suam essentiam, subsistentia vero formæ non per suã essentiam, sed media ipsa subsistentia modi vnionis.

In quo recipiatur modalis ista subsistentia.

Vnde fit primo quod sicut subsistentia modalis alicuius indiuisibilis substantialis materiæ primę duo exercet munera, primum enim terminat, & incommunicabilem reddit formaliter subsistentiam, & entitatem illius indiuisibilis, secũdo ipsas substãtias partium, quibus essentialiter adhæret, interse vnit. Pari ratione subsistẽtia ista vnionis substantialis materię & formæ, primo ipsam actualitatem vnionis incommunicabilem efficit, & deinde ipsas

materiæ

materiæ & formæ subsistentias inter se vnit, atque cōiungit, ita vt ex hac subsistentiarum vnione resultet quædam totalis subsistentia adæquate terminans totam naturam, non solum secūdum entitates vtriusque partis, sed etiam secundum substantialem ipsam vnionem. Sicut ex subsistentijs partium integralium materiæ vnitis medijs subsistētijs indiuisibiliū substantialium resultat quædam subsistentia cōposita, & adæquate terminās totā entitatē materiæ primę, & indiuisibilia illius.

Secundo sequitur ex dictis modum in existendi, siue vnionis, quo forma vnitur materię, siue quo materia recipit formam non esse vltimum terminum existētiæ ipsius formæ, sed solū esse causalitatem formæ respectu totius, quia non componit totū, nisi media illa vnione. Ratio est, quia & ipsa forma vnita materiæ terminatur vlterius per subsistentiam, & ipsa quoque eius vnio terminatur similiter per propriam subsistentiam. Vnde ex hoc colligitur differentia inter modum, quo forma vnitur materiæ, & quo accidens inhæret subiecto, quia accidens non est terminabilis vlterius per aliquē alium modum, seu terminum suæ existentiæ intrinsecum, neq; modus inhæsionis ipsius requirit aliquē aliū terminum, cum tamen tam forma substātialis, quam eius vnio sit susceptiua modi subsistētiæ per quam vltimo terminantur. Cuius à priori est ipsa ratio substantiæ & accidētis: quia sicut naturam accidentalem consequitur modus inhærendi, tanquam vltimus & cōnatutalis terminus illius, sic naturam substantialem, partes, & modos illius consequitur modus subsistētiæ tanquam connaturalis, & vltimus terminus existentiæ illius, & per hoc patet ad secūdam rationem dubij in cōtrarium propositam.

Ad primam vero neganda est prior consequentia, & ratio illa primo instari potest in modis substantialibus vnitiuis partium integrantiū materiæ primæ, qui licet subsistent, am habeāt propriā n distinctam ex natura rei a subsistentia partium inseparabiles sunt ab ipsis partibus, quarū sunt modi: pari ratione licet mod' vnionis habeat propriam subsistentiam potest esse inseparabilis à partibus vnitis. Deinde ratio à priori vtriusque est, quod omnis modus est per suam essentiā

coniunctus propriæ entitati, & ideo quāuis habeat propriā subsistentiam est inseparabilis à sua entitate.

Et declaratur alio exēplo, quia licet materia habeat subsistentiā independētem à forma, quia tamē indiget forma ad naturalem suam conseruationē, ideò est naturaliter inseparabilis ab illa: ergo cum modus vnionis habeat actualitatē & subsistentiā propriā dependētem essentialiter ab ipsa materia & forma, etiam erit inseparabilis de potentia Dei absoluta ab ipsis, quia nō minus implicat respectu etiā diuinæ essentiæ miraculose operantis conseruare rem sine sua essentia, quā repugnet respectu potētię naturalis cōseruari rē sine suo cōplemento, & perfectione naturali.

Vltimo denique ex dictis constat modum hūc vnionis esto terminetur vltimò propria modali subsistentia non esse proprie loquendo subsistētem: nam rationes, quibus supra probauimus formas materiales non dici subsistentes vt quo, maiorem vim habent respectu modi vnionis, solū dici poterit hæc vnio subsistens vt quo, idest principiū alicuius subsistentiæ per quā subsistentia tertius vltimò cōpletur & perficitur.

QVAESTIO VII.

Vtrum priuatio realiter distinguatur à forma & materia.

SVpponēdum est id quod supra diximus disp. 4. huius libri, scilicet in generatione alicuius formę duplicem interuenire priuationem. v. g. Quando generatur ignis: & est considerare priuationē formæ ligni, quæ est terminus ad quem corruptionis ligni & priuatio formæ ignis, quæ fuit in materia, priusquam reciperet formam ignis, & hæc est principium rei naturalis, nā vnaquæque forma substantialis generatur ex priuatione sui, tanquam ex termino à quo: qua autem ratione hæc priuatio sit principium rei naturalis loco allegato ostendimus.

Secundo aduertēdum est, quod in generatione ignis duplex carentia formæ ignis potest considerari: alia quæ est in materia ligni. V. g. alia vero quæ est in forma ligni: quia quando materia dum habet formā ligni, habet priuationē formę ignis, etiā ipsa forma ligni habet carentiam 2. Suppos.

for-

formæ ignis, quia vniuersaliter quælibet res dicit non esse alteram. Qualiter ad essentiam hominis consequitur quod non sit equus. Inter has autem duas carentias formæ ignis, duplex est discrimen. Primum quod carentia formæ ignis, quæ est in materia est priuatio: quia est carentia formæ in subiecto apto ad habendam formam, illa vero carentia formæ ignis, quam dicit forma ligni est negatio, quia est in forma ligni, quæ non est subiectum aptum ad habendam formam ignis: qualiter homo dicit negationem essendi equum.

Secundum discrimen est quod in illa carentia quæ est in forma ligni, v. g. non est principium generationis ignis, nisi tantum priuatio quæ est in materia: ratio est quia terminus à quo & ad quem versantur immediate circa idem subiectum, quod maneat sub vtroque termino, vt quando aliquod subiectum mutatur de frigido in calidum, frigus & calor recipiuntur immediate in eodem subiecto: sed terminus ad quem generationis ignis, scilicet forma ignis non recipitur in forma ligni, sed immediate in materia prima, ergo terminus a quo in tali generatione non est negatio formæ ignis recepta immediate in forma ligni, sed priuatio formæ ignis immediate recepta in materia ligni.

Secundo, quia si per possibile, vel impossibile præcessisset materia priuata omni forma posset in illa per diuinam potentiam optime generari forma ignis, ergo terminus à quo per se generationis ignis est priuatio, quæ est in materia, non vero negatio, quæ est in forma alia: Solũ ergo quærimus vtrum priuatio formæ generandę, quę est principiũ rei naturalis & immediate in materia prima, distinguatur ex natura rei tam ab ipsa materia, quã à forma generanda.

Priuatio distinguitur realiter à forma generanda.

Et in primis conueniunt omnes talem priuationem distingui realiter, seu ex natura rei ab ipsa forma generanda qua priuat, imo potius opponuntur priuatiuè: & ratio est efficax, quia quando est forma genita, iã nõ est priuatio, illi' neque potest esse, & ècõtra, quando est priuatio formæ generandę nõ potest esse talis forma: ergo datur à parte rei vnum sine alio & è contra, ergo distinguuntur realiter, quia separatio realis præsertim mutua, in opinione omnium arguit distinctionem rea-

realem. Solum ergo est dubiú vtrú talis priuatio formæ generádę ex natura rei distinguatur à materia in qua est.

In qua re Sotus & alij hoc lib. asserunt priuationem sola ratione distingui à materia prima: pro qua sententia nullum probabile fundamétum video, nisi illud fortasse quod adducunt ex Arist. hoc lib. text.68. vbi dicit priuationé non distingui numero à materia, distingui tamen specie, tamen longe alia est mens Aris. nam cum dicit priuationem nó distingui à materia numero, nó loquitur de distinctione indiuiduali: nam hoc modo impossibile est aliqua distingui specie, & non distingui numero, vt docuit ipse Arist.5.metha.c 6. ergo cum hoc loco fateatur materiá & priuationé distingui specie nó potest negare quod distinguantur indiuidualiter, quia semper maior distinctio infert minoré, sensus ergo Aris. est priuationem non habere aliquam entitaté numerabilé diuersam a materia, cum entitas numerabilis proprie loquendo debeat esse positiua, cú hoc tamen reuera distinguitur realiter negatiuè a materia, vt docuit Sonc. lib. 1. Met.quęst. 17. Iabelus. q. 1.

Imo in vniuersum dicendum est omné priuationem distingui realiter negatiuè à subiecto in quo est. Pro cuius intelligentia aduertendú est quod distinctio realis est duplex, alia positiua, & est, quæ versatur inter extrema realia & positiua, qualis est inter hominem & equú: alia vero est, distinctio relalis negatiua, & est quæ nó versatur inter duo extrema positiua, sed inter duo extrema negatiua, qualis est inter duas cęcitates duorum hominum, vel inter vnú extremú positiuú & alterá negatiuum.

Dico ergo priuationé realiter distingui à materia negatiue saltė, & omnem priuationé à suo subiecto: cuius cóclusinis efficax fundamentú est illud sæpe à nobis repetitum, scilicet, quod separatio realis etiá si sit non mutua euidenter arguit distinctioné realé inter illa extrema, quæ separátur, ná impossibile est idé a parte rei & secluso omni intellectu separari a se ipso: sed priuatio realiter separatur a materia per aduentú formæ & priuatio quęlibet per aduétú sui habitus realiter separatur a subiecto, ergo omnis priuatio realiter distinguitur a subiecto. *Quod distinctum.*

Ná quod dici solet idé secúdum diuersas rationes forma

les

les posse separari à se ipso fribolum est, vt sæpæ dixi: nam cum illa distinctio rationum formalium solum habeat locum per intellectum, separatio illarum rationum non esset realis, sed per intellectũ: ergo necessaria est ad separationem realem à parte rei distinctio realis, & secluso omni intellectu.

Secundo probatur conclusio, quia aliàs male admitterent omnes Phylosophi, à parte rei dari tria principia rei naturalis, si priuatio & materia non sunt principia diuersa à parte rei, & fortasse, qui intendunt priuationem non distingui realiter a suo subiecto locuntur de distinctione reali positiua, non vero negatiua & hæc de hac disputatione.

DISPVTATIO SEPTIMA, DE PRINCIPIO INDIVIDVATIONIS rei naturalis.

FATEOR Quidem disputationẽ hãc ad Metaphisicã pertinere vbi agitur de vnitate indiuiduali quæ est passio entis singularis, quia tamen iam more omnium introductum est Methaphisicas disputationes, nõ seorsum, sed phylosophicis per mixtas per tractare, oporter quod suum est communi demus consuetudini, præsertim cum non in mesem omnino alienam manũ mitamus nam cũ hactemus de Principijs rei naturalis in cõmuni sumptæ actũ sit nõ ideo inordinate de principio indiuiduationis eiusdẽ disputatur.

QVAESTIO. I.

Quid sit principium indiuiduationis in substantijs materialibus.

IN Hac re nonnulla, quæ apud omnes certa debent esse supponenda sunt. Primo enim certum est principium indiuiduationis Metaphysicam esse differentiam indiuidualẽ, quam natura singularis vt sic addit supra rationem specificam. Ratio est, quia sicut differentia specifica est pars Methaphi-

In quam sententiam inclinari videtur Cartusianus in 2. d. 3. quę tamen sentẽtia merito reijcitur ab omnibus. Nã vel existentia distinguitur ex natura rei ab ipsa entitate actuali, saltem sicut modus rei à re vt plures Thomistæ supra citati intendũt, & tunc iam existentia suponit essentiam singularem, & indiuiduam, cum existẽtia sit modus super additus & cadens supra ęssentiã singularẽ, atq; adeò nõ poterit esse principiũ indiuiduationis, cum supponat essentiã iam indiuiduatam. Si autẽ existentia non est aliquid diuersum ab ipsa entitate actuali, erit idem, ac dicere vnanquamque rem indiuiduari à sua intrinseca entitate, quod licet verũ sit, vt dicam infra, tamen sententia hæc non recte loquitur dum principiũ indiuiduat onis tribuit existẽtiæ, clarius enim dici poterat vnãquanq; rẽ indiuiduari à sua intrinseca entitate.

2. Sent. Secunda sententia est Scoti in 2. dist. 2. quæst. 6. quem sui secuntur asserentes, Principium indiuiduationis esse hæceitatem (vt ipsi locuntur) intelligunt autem nomine hæceitatatis actualitatem quandam vltimam ex natura rei distinctam à materia, forma, & toto composito, hæc sententia quæ vix profecto capi potest est falsa: nam vel illa actualitas aduenit toti composito iam in suo esse constituto à parte rei, & sic non erit principium indiuiduationis illius, cum adueniat illi iam in suo esse indiuiduali constituto, vel talis actualitas est pars ipsius compositi substantialis, & sic nõ poterit esse aliquid ex natura rei diuersum a materia, vel forma, vel modo vnionis ex quibus integratur totum cõpositum.

Tertia sententia asserit principium indiuiduationis sumi a forma, ita quod, quẽadmodum anima rationalis, v. g. in communi sumpta est principiũ specificationis hominis, quia species sumitur a forma, ita anima rationalis prout singularis sit principium indiuiduationis huius, vel illius homnis. Citari solet pro hac sententia Duran. in secundo dist. 8. quæst. 2. immerito tamen, nam numero 15. expresse fatetur principia intrinseca indiuaduationis in substantijs materialibus esse hanc numero materiam & hanc numero formam: tenet tamen setentiam istam Aberroes 1. de anima, capite 7. & lib. 2. comento. 89. & 60. & 3. physic. co- 3. Sentent.

mento 60. Auicen. 6. Meth. & probant suam sententiam ex Arist. 2 lib. de anima capite 1. vbi dicit formã esse quæ constituit hoc aliquid: & ratione etiam probari potest. Quia differentia specifica sumitur à forma in cõmuni sumpta, v.g. differentia specifica ignis sumittur a forma ignis in cõmuni considerato: ergo indiuidualis debet sumi a forma singulari. Patet cõsequentia: quia nõ alia ratione species sumitur à forma in cõmuni sumpta, nisi quia forma sic cõsiderata constituit speciẽ, sed etiam forma singularis constituit indiuidum: ergo forma est principium indiuiduationis, & cõfirmatur quia ex Arist. 7. Meth. textu 49. actus est qui distinguit & separat: sed forma indiuidualis verè & propriè est actus, scilicet actus formalis, ergo ab illa sumittur principium indiuiduationis, & distinctionis vnius indiuidui ab alio.

Verumtamen si hæc sententia intendat principium indiuiduationis esse solam formam falsa est, vt infra dicam, si tamen intendat formam quanuis non esse adęquatum principium indiuiduationis compositi substantialis, esse tamen principium magis principale quam materia, verum dicit, vt etiã infra ostondam.

Quarta & celebris sententia satis hoc tempore recepta præcipue inter Thomistas, est, materiam esse principium indiuiduationis tenet Diuus Thomas, 1. contra gentes capite 21. & de ente & essentia, capite 2. & prima par. quæst. 50. artic. 4. & quæst. vltima, artic. 1. sed quia principium indiuiduationis debet esse principium eius indiuidui quod constituit, materia autem nudè sumptam indifferens est ad plura indiuidua: nam eadem numero materia quæ fuit incorrupto manet ingenito, ideo sanctus Thom. 3. part. quæst. 77. articulo 2. addit principiũ indiuiduationis esse materiãm signatam quantitate: Et quidem quod a materia sit summedũ principium indiuiduationis probant Thomistę: primo ex Arist. 5. Metaph. tex. 42. vbi dicit, *Ea esse vnum numero quorum est materia vna*: ergo distinctio, vel vnitas indiuidualis debet sumi ex diuersitate vel vnitate materiæ & 12. Meth. text. 49. ex eo probat. Primũ motorẽ esse vnum numero, neque esse numero multiplicabilẽ, quia non habet materiã: & similia habet. 1. lib. de cœlo. cap. 9.

Secundo

Secundo probant ratione. Quia materia est principium multiplicationis, nam in eadem materia fluũt, & refluũt plures formæ: ergo materia est principium distinctionis numericæ in substantijs materialibus.

Tertio, quia substantia materialis completa integratur ex materia & forma, ex quib⁹ forma habet quod sit hæc numero, quia est educta ex hac numero materia: ergo tãdem prima radix indiuiduationis petenda est ex materia.

Quarto, quia distinctio indiuidualis ab omnib⁹ authoribus appellatur distinctio materialis, scilicet quæ fit per principia materialia: ergo ideo est, quia principium distinctionis indiuidualis ex materia desumitur.

Hæc est tamen diui Thomæ sententia, tametsi propter ipsius autoritatem probabilis sit, & ab eius discipulis communiter defendatur, tãmen reuera non admititur, vt iam hoc tempore plures docent, nam contra illam efficax est argumentum supra factum. Nam vel principium indiuiduationis est materia secundum se considerata, & nude sumpta, vel materia signata quantitate: non materia nude sumpta, quia hæc est indifferens ad plura, & diuersa indiuidua, cum eadem numero sit ingenito, & incorrupto, principium autem indiuiduationis debet esse propriũ eius indiuidui, quod constituit. Quod vero nec sit principium indiuiduationis materia signata quãtitate euidenter etiam probatur excludendo omnes modos, quibus hæc sententia explicari solet à Thomistis.

Primus ergo modus dicendi est per materiam signatam quantitate intelligi materiam simul cum quantitate idest materiam iam affectam quantitate, quem secũtur nobiliores ex Thomistis, vt Capreolus in 2. distinctione. 3. quæst. 1. art. 1. Ferr. 1. contra gentes cap. 21. Sonc. 7. Metha. quæst. 34. quæ interpretatio sinedubio, est ad mentem diui Thom. nam 3. part. quæst. 77. art. 2. in corpore dicit. Quod cum vnum sit indiuisum à se, & diuisum aquolibet alio, & quãtitas sit principium diuisionis, ipsa quantitas, seu materia signata quantitate, est principium indiuiduationis, & vnitatis numericę, & quęstione. 2. de ueritate art. 5. ad primum dicit principium indiuiduationis esse materiam cum determinatione harum vel illarum dimensio- *1. Modus dicendi.*

mensionum, similia habet quæst. 16. de malo art. 1. ad. 8.

Sed hunc modum dicendi omnino esse falsum ex eo probatur, primo quia principium indiuiduationis in substantijs debet esse aliquid substantiale, nam substantia singularis, & indiuidua, quæ est prima substantia nullum accidens includit: ergo principium indiuiduationis substantialis illius debet esse aliquid substantiale: ergo quantitas, quæ accidens est, nullo modo potest subire rationem principij formalis indiuiduationis, neq; alias materia nude sumpta potest esse principium formale indiuiduationis, vt ostēdi: ergo nec materia signata quantitate.

Secundus modus. Secundo in nostra sententia quā existimamus eandem numero quantitatem manere in genito, & incorrupto facile impugnatur hic modus dicēdi. Nam genitum, & corruptum sunt diuersa indiuidua, & tamen habent eandem numero materiam & quantitatem: ergo principium indiuiduationis non est materia signata quātitate: sed quia Thomistæ nō admittūt principiū illud, q̄ hæc ratio supponit ideo prima ratio adducta magis aduersus illos procedit.

Secundus modus dicēdi est asserentiū quantitatē nō esse principiū formale indiuiduationis in substātijs, quia reuera, vt probatū est, debet esse aliquid substātiale: dicūt tñ, saltē esse cōditionē requisitā ex parte materiæ, vt materia sit principiū indiuiduationis. Sed neq; hoc placet: quia si Deus per miraculum crearet substātiā aliquā sine vlla quātitate, illa substantia esset indiuidua, & singularis: ergo quantitas non est conditio per se requisita ad indiuiduationem substantiæ.

Tertius modus. Tertio alij per materiam signatā quantitate non tantū intelligunt materiā affectam quantitate mathematica, sed quantitate sensibili, quæ affecta sit qualitatibus sensibilib⁹, ita quod materia affecta dispositionibus exigentibus determinatā formam sit principiū indiuiduationis: & hoc est quod alij appellant materiā sigillatā, quia per tales dispositiones materia sigillatur & determinatur ad hanc numero formam cū qua efficit hoc numero cōpositū substātiale, sic tenet Caietanus de ente, & essentia cap. 2. q. 5. Iabelus. 5. Meth. q. 5. AEgedius quodlibeto. 1. q. 5. art. 1. sed hæc sentētiā facile impugnari potest sicut prima. Quia vel materia sola est principiū

indiuj

indiuiduationis: & hoc nõ, vt dixi, quia illa de se est indifferens ad plura indiuidua: vel est materia simul cũ illis dispositionibus: & hoc esse non potest, quia tales dispositiones sunt accidentia quædam, & ita principium indiuiduationis substantialis esset aliquod accidens, atq; adeò prima substantia, vt sic includeret aliquod accidens, à quo haberet esse hanc, & indiuiduam: quæ ratio procedit in quauis opinione. In nostra tamẽ sentẽtia, qua asserimus easdẽ numero dispositiones quæ fuerunt incorrupto manere ingenito, etiam hæc sententia facile impugnatur, quia ingenito, & incorrupto est eadẽ numero materia: & ędẽ numero dispositiones, & tñ genitũ & corruptum sunt diuersa numero indiuidua: ergo materia sigillata non est principiũ indiuiduationis.

Etsi respondeas nullũ esse inconueniẽs quod idẽ numero principiũ indiuiduationis successiuẽ sit in plurib⁹, & ita idem numero principium indiuiduationis ꝙ fuit incorrupto postea manet ingenito. Sed contra est, nam impossibile est, quod idem numero principium sit in pluribus indiuiduis, etiam successiuè alias non essent diuersa indiuidua, sed vnum.

Tertio impugnari põt eadẽ sentẽtia, quia Thomistę asserũt omnia accidẽtia subiectari in toto cõposito. Vel ergo principiũ indiuiduationis in genito de nouo sunt accidẽtia, quę perierũt simul cũ corrupto ex deffectu subiecti, vel illa quæ secundũ illos de nouo subiectãtur ingenito: illa quæ fuerũt incorrupto nõ possunt esse principiũ indiuiduationis geniti, quia nõ manẽt ingenito secũdũ illos: illa autẽ, quæ de nouo sunt ingenito etiam nõ possunt esse principiũ indiuiduationis: ratio est, quia omnia accidẽtia præsuponũt subiectũ iã cõstitutũ in suo esse, quia subiectũ saltẽ in genere causę materialis est prius natura accidẽtib⁹ quę subiectãtur in illo ergo si iã præ intelligitur prius natura cõstitutũ in suo esse indiuiduali, talia accidẽtia non possunt esse principiũ indiuiduationis illi⁹ presertim ꝙ hic etiã accõmodari possũt rationes iã factæ, scilicet ꝙ nullũ accidẽs potest esse principiũ indiuiduationis substãtialis.

Quartus modus dicendi est eorũ qui dicũt materiã sigillatã dispositionibus præcedẽtibus esse principiũ indiuiduationis, nõ ita quod accidentia sortiãtur rationem *Quartus modus.*

forma-

formalem principij indiuiduationis, sed quod materia prout ex vi accidentium quę pręceserunt, manens determinata ad hanc numero formam sit principium indiuiduationis. Etsi ab eis inquiras quid reliquerint in materia accidentia illa, quæ præcesserunt incorrupto, ratione cuius materia maneat determinata ad recipiendā hāc numero formam geniti. Respondent nihil intrinsecū in illa manere, tamen esse determinatam ex eo pręcise, quod antea habuerit dispositiones exigentes hanc numero formam.

Sed neque hoc placet, quia eundem numero ignem qui de facto producitur medijs dispositionibus præcedentibus, potuisset Deus de potentia absoluta producere nullis præcedentibus dispositionibus. Nam quanuis dispositiones se habeant ex parte causæ materialis, potest tamen Deus effectum aliquem causæ materialis se solo suplere, non materializando, sed efficiendo, vt supra explicui: sed idem numero indiuiduum debet habere idem numero principium indiuiduationis, quod in hoc casu nullo modo esse posset materia prout determinata per dispositiones, quia nullæ tales præcesserunt: ergo neque hoc modo materia est principium indiuiduationis.

Secundo quia, hæc determinatio materię iuxta hanc sententiam non est aliqua entitas illi super addita, & intrinseca, & ita solum erit extrinseca denominatio sumpta à dispositionibus præcedētibus; vnde principium indiuiduationis non erit aliqua entitas positiua. Nam si dicas solam materiam esse principiū indiuiduationis, falsum est, quia vt sæpe dixi illa est de se indifferens ad plures formas, & ad plura indiuidua.

Quare quintus modus dicendi est hanc sigillationem esse modum quendam substantialem determinante materiam ad hanc numero formam, quem modum substantialem dicunt oriri in materia ex vi dispositionum quibus disponitur ad hanc numero formam. Qui modus dicendi maxime hoc tempore viget, & reuera magis consequenter loquitur. Nam in primis cum principium indiuiduationis in substantijs debeat esse aliquid substantiale ideo asserunt illum modū esse substantialem; & cum materia sola non sufficiat ad ratio-

rationem principij indiuiduationis, ideo dicunt materiam, vt sigillatam illo modo substantiali esse principium indiuiduationis, tamen re maturiús considerata plura in hac sententia inueniútur falsa, & omnino gratis, & sine fundamento dicta.

Vnde primo argumétor cótra hanc. Nam vel ille modus substantialis, quem isti fingunt in materia prima, est idem quod modus vnionis, connectens materiam cum forma, quem diximus esse modum substantialem, vel est aliquis modus alius diuersus: non potest dici esse aliú modum diuersum: & probatur plane. Quia totum resultat ex partibus vnitis: ergo considerado hanc materiam, & hanc formam & hunc modum vnionis sufficientissime intelligitur hoc numero totum constitutum, secludêdo omnem alium modum super additum: ergo impertinenter & falsò ponitur alius modus ad constituendú hoc numero indiuiduum. Quod vero neque posit esse principium indiuiduationis materiam sigillatam per modum vnionis probari potest. Nam si ad recipiendam hanc formam substantialem indiget materia prima determinari per modum substantialẽ super additum; quare ad recipiendum etiam illum modú substantialẽ nõ indigebit alio modo super addito? ergo sicut sufficienter intelligitur materiam determinari ad recipiendum illum modú substantialem ex vi dispositionũ quare ex vi earundem nó determinabitur materia ad recipiendam talem, vel talem formam substantialem, quin sit opus addere alium modum substantialem.

Secundo quia infra ostendam, posse esse idem numero indiuiduum, quamuis modus vnionis inter materiam, & formam sit diuersus: ergo neq; modus vnionis simul cú materia potest esse principium indiuiduationis. Patet ergo ex hactenus dictis reuera difficilem esse D. Tho. sententiá quod scilicet materia sit principiú indiuiduationis.

Vnde sumatur principium indiuiduationis

Quare vltima sententia, & quæ à nobis tenenda est asserit principium indiuiduationis sumi à tota entitate rei, ita vt in substantijs corporeis quæ componuntur ex materia, & forma, principium indiuiduationis sumatur à tali materia, & à tali forma vnitis: in substantijs vero simplicibus, quales sunt substantiæ spirituales principium indiuiduationis

ab eo quod fuit prius quia idem numero indiuiduũ nõ tantum dicit eandem numero formam, sed etiam eãdem numero materiam, cum materia sit etiam pars substantialis compositi substantialis: ergo principium indiuiduationis non est desumendũ à materia, neque à forma seorsum sumpta, sed ab vtraque parte vnita, & ita à tota entitate rei.

Sed respondent Thomistæ ipsos non negare principium indiuiduationis, quasi adæquatũ sumi ab vtraq; parte compositi substãtialis, sed solum asserere principium radicale indiuiduationis sumendum esse à materia, vt ex prima radice à qua res habet esse. Sed non placet: quia principiũ indiuiduationis debet esse aliquid proprium huius numero indiuidui, materia autẽ secũdũ se, & nude sumpta nõ est propria huius numero indiuidui, quia eadẽ numero præcessit antea in alio indiuiduo iam corrupto, materia autẽ sigillata non potest esse principium indiuiduationis, vt iam probauimus impugnantes omnes modos quibus illa sigillatio explicari posset & ita materia seorsũm nõ est appellanda principium indiuiduationis.

Dico secundo si comparemus materiam cum forma, *Assertio. 2* quæ sunt principia incompleta, & partialia principalius principium indiuiduationis est forma, quã materia; vtraque tamen est principium incompletum, & se sola, insufficiẽs. Ratio est, quia inter partes essentiales compositi substantialis longe principalior est forma, & forma est magis propria huius indiuidui quã materia, quæ per varia indiuidua indiuiduari vagatur, & ita principalius principiũ indiuiduationis est forma quã materia; tamen reuera vtraque se sola est insufficiens principium indiuiduationis.

Dico tertio ad vnitatem *Assertio. 3* numericam compositi substantialis non requiritur vnitas numerica modi vnionis, quo materia & forma vniuntur. Hoc dixerim contra quosdam nouos Methaphysicos, qui rem minus bene callentes partem cõtrariam tuẽtur. Hanc conclusionem quidam ex eo probant. Nam homo iam mortuus, quando iterum per resurrectionẽ producitur, est idẽ numero ac fuit antea, aliàs idẽ numero Lazarus nõ resurrexisset: sed per resurrectionẽ non habet eũdem numero modum

vnionis,

vnionis, quem habuit prius ante mortem: ergo ad vnitatem numericā indiuidui substantialis non requiritur vnitas numerica modi vnionis. Probat minorē: quia modus vnionis, quem quis habuit ante mortem produ..us est per generationem; modus vero vnionis, quem habet in resurrectione fit per resurrectionem: sed resurrectio est actio diuersa realiter à generatione, vt dicā 2. lib. physicorum: ergo, & modus vnionis, quem quis habet post resurrectionem est realiter diuersus ab illo quem habuit ante mortem, cum tamen sit idem numero indiuiduum.

Hæc tamen ratio mihi parū videtur efficax nam. 2. libro. physicorum ostendemus actiones realiter diuersas posse terminari ad eundem terminum secundum rem, dum probemus actionem realiter distingui à termino: ergo ex eo quod generatio, & resurrectio sint actiones realiter diuersæ, non recte colligitur terminos formales illarū distingui realiter. Secūdo quia quamuis generatio, & resurrectio sint actiones realiter diuersæ, tamen terminus totalis productus per vtramq; est idem, quia idem numero homo vtrobique producitur: ergo similiter terminus formalis vtriusque, scilicet modus vnionis poterit esse idē. Tandem, quia non repugnat per diuinam potentiam reproduci eundem modū vnionis.

Quare aliter patet prædicta conclusio, quia tam de essentia continui sunt continuatiua, quibus vniuntur partes continui, sicut de essentia compositi substantialis est modus vnionis, quo materia, & forma inter se connectuntur: sed si Deus corrumperet pūctum quo, vniū tur duæ medietates vlnæ, & aliud eius loco subsisteret, adhuc maneret eadem numero vlna: ergo similiter ad vnitatem numericam non requiritur vnitas numerica modi vnionis, sed reuera posset Deus, quando homo aliquis per resurrectionem produci tur, producere modum vnionis diuersum ab eo quem ante habebat. Et ratio quasi à priori huius est. Quia modus vnionis proprie loquendo non est pars compositi substantialis, sed vnitiuū partium, seu conditio requisita, vt partes componant totum: ergo dummodo maneant eædem partes substantiales, etiāsi modus vnionis

sit diuersus, erit idem numero indiuiduum substantiale. Tertio reuera videtur incredibile q̄ sit idē numero corpus, & eadē numero anima rationabilis, & tn nō sit idē numero homo quantunuis idē numero mod⁹ vnionis sit diuersus. Sed obijcies ablato quouis essētiali nō potest stare essentia rei: sed quāuis modus vnionis nō sit pars cōponēs, tn̄ est modus substātialis & vnitiuū substantiale pertinēs ad substātiā & essentiā cōpositi substantialis: ergo si nō manet idē numero modus vnionis nō potest manere idē numero cōpositū substātiale. Respōdetur de essentia huius numero cōpositi substātialis, tātū esse q̄ habeat modum vnionis inter suas partes substātiales; tn̄ q̄ habeat hunc modū determinatū, vel illud accidentale est saltē accidenti prædicabili (quod potest esse substantia. Sicut de essentia cōtinui est quod habeat continuatiua: tn̄ si punctū continuans duas partes quantitatis à Deo corrumpatur, & aliud eius loco producatur manebit eadem numero quātitas.

Respōdetur argum. oppositæ sent. Ad 1. 3. sent. Tandē respōdetur ad argumēta quibus oppositæ sentētiæ nitūtur, & ad pri nū tertiæ sentētiæ. Respōdetur verū esse, formā vltimate cōstituere indiuiduū, nō tn̄ adæquate & cōplete: quia entitas indiuidui, tā integratur ex materia, quā ex forma, & ita principium indiuiduationis adæquatum sumitur à tota entitate rei, atq; adeò reuera sumitur principiū indiuiduationis in qualibet re à se ipsa: nā quælibet res per suam entitatem est, hæc, & singularis.

Ad secundū quod vt ostēdimus in Logica capite de differētia q. 5. differē ia specifica quanuis vltimate sumatur à forma, nō tn̄ adæquate, sed à tota entitate rei, quia rationale, vt sic, nō tātū dicit animā rationalē, sed etiā corpus illi vnitū, & ita similiter principiū indiuiduationis sumitur a tota entitate Physica rei in singulari considerata.

Ad cōfirmationē respōdetur, solū probare talē formā esse id q̄ vltimate distinguit hoc indiuidū ab alio, tn̄ principiū adæquatū sumitur a tota entitate, quia illa saltē est aliquis actus entitatiuus, qui sufficiens est ad distinguendam vnam rem ab alia.

Et si obijcias nā principiū indiuiduationis est id quo vnū indiuiduū distinguitur ab alio: sed genitū nullo modo distinguitur a corrupto, quod habuit eādē materiam ipsam: ergo materia ipsa nullo mo-

lo modo potest esse principiū indiuiduationis. Respondetur quod quāuis genitū nō distinguatur à corrupto per materiā, tñ distinguitur ab alijs indiuiduis simul cū illo existētibus per materiā, quia habent diuersam materiā numero, & ita est principiū indiuiduationis, præsertim ꝙ materia tātū non est principiū indiuiduationis, sed tota entitas resultans ex materia & forma, & hæc non præcesʃit incorrupto. Ad argumenta Thomistarū respondetur in primis quod quādo Arist. 5. met. text. 42. dicit, *Ea esse vnū numero, quorū est materia vna*, nō loquitur de indiuiduis, quæ succedūt in eadē materia, hæc enim in opinione omniū sūt diuersa, quātūuis materia sit eadem, sed loquitur de indiuiduis simul existētibus. Et tunc inquit, ea esse vnū numero, quæ habēt eādē materiā, quia nō potest eadē materia simul recipere plures formas, saltem de potētia naturali, nam de potentia super naturali Dei nihil nouit Arist.

Ad argum. Thomistar.

Ad secundū locū Arist. ex lib. 12. met. text. 49. vbi probat primū motorē ideo nō esse numero multiplicabilem, quia nō habet materiā, quod etiā docuit 8 Physic. certe, si libere licet loqui, valde placet sētētia P. Molinæ viri satis de literis bene meriti 1. q. 50. art. 4. & Fons. 5. Meta. c. 6. q. 5. sect. 4. & Scoti in 2. d. 3. q. 7. ad 1. qui asserunt Arist. reuera deceptū fuisse dū existimauit necessariam esse materiā ad multiplicationem indiuidualē: nā vt infra dicā in Angelis possibilis est, saltē de potentia absoluta multiplicatio indiuidualis: & reuera quāuis Arist. multū tribuendū sit, rationi tñ plurimū. Verūtamen ne quorūdā molles aures offendamus quibus S. Thom. autoritas, & merito, quasi de fide Catholica est, aliter; respōderi potest, ꝙ quandocūq; asserit, ea quæ nō habēt materiā non posse numero multiplicari, nō loquitur de multiplicatione, quæ reuera fieri potest per creationē qualis est possibilis in Angelis, sed de multiplicatione, quæ reuera fit per generationē, hæc enim fit ex subiecto præsupposito, ꝙ subiectū est materia prima, & ita Angeli, qui sūnt simplices entitates ingenerabiles sūt. Et ex his patet solutio ad secūdū: quāuis enim materia sit principiū multiplicationis, quæ fuit per generationē, nō est tñ necessaria ad multiplicationem quæ fieri potest per creationē.

Secūdo dico ꝙ ex eo ꝙ materia

teria sit principiũ multiplicationis nõ recte infertur esse principium indiuiduationis. Ratio est, nã vt sit principiũ multiplicationis satis est ꝙ sit subiectũ cõmune ex quo plura indiuidua generari possũt; tñ vt sit principiũ indiuiduationis debet esse propria vnius & nõ cõmunis plurib⁹.

Ad 3. Ad tertiũ verũ esse substantiã cõpletã integrari ex materia & forma, & quauis concedamus formã esse hãc, quia est educta de potẽtia huius materiæ, nõ sequitur materiã esse radicale principium indiuiduationis, quia principiũ indiuiduationis debet esse radix propria indiuiduationis illius materia autẽ est radix cõmunis ad plures formas, & ad plura indiuidua.

Dico tñ tertio formã essentialiter nõ habere quod sit, hæc, eo quod sit educta ex potẽtia huius materiæ, potuisset enim saltẽ de potẽtia absoluta eadẽ forma nõ fieri ex illa materia, sed per creationẽ, aut fortasse fieri ex alia materia, quod latius persequar quæst. seq. & ita indiuiduatur à sua intrinseca entitate.

Ad quartum ꝙ vt vidimus in Logica titulo de vniuersalibus disp 1. distinctio indiuidualis non ideo appellatur distinctio materialis, quia vnũ indiuiduũ dũtaxat distinguatur ab alio per materiã, sed quia cõuenit rebus singularibus, quæ sunt subiectũ prędicatorũ vniuersalium, in quãtũ prædicata vniuersalia dicuntur de singularib⁹, ideo quia omne subiectum habet rationẽ materię, distinctio singulariũ appellatur distnctio materialis: & hæc de hac quęstion.

QVAESTIO II.

Quod sit principium indiuiduationis in substantijs incompletis.

Quo triplex sit substãtia incompleta.

Egimus hactenus de principio indiuiduationis substantiæ corporeæ cõpletæ, nũc vero agendũ restat de principio indiuiduationis substantiæ incõpletę. Est autẽ substãtia incõpleta triplex scilicet, materia, forma & mod⁹ substãtialis, siue ille sit modus vnionis qui est inter materiam, & formã, siue sit subsistentia qui est modus substantialis diuersus ab vnione materiæ cum forma: nam in Christo fuit vnio animæ, & corporis non tamen fuit subsistentia debita humanitati, sed tantum subsistentia Verbi Diuini (vt fides docet) de his ergo substan-

ſtantijs incõpletis ſigillatim videndum eſt, ꝙ habeat principium indiuiduationis.

De materia ergo dicendum eſt in primis non indiuiduari in ſua intrinſeca entitate à forma. Ratio eſt primo, quia materia vt ſupra oſtendimus in ſua intrinſeca entitate nõ pendet à forma tam quãã cauſa, à qua accipiat ſuũ eſſe, ſed de ſe ipſa habet entitatẽ: ergo ſimiliter habet aliquam vnitatem de ſe & nõ à forma.

Secundo quia eadẽ materia eſt indifferens ad plures formas & plures recipit ſaltem ſucceſsiue, imo etiã ſimul poteſt plures recipere ſaltẽ de potẽtia abſoluta vt vidimus: ergo non poteſt indiuiduari per ordinem ad aliquã determinatam formam.

Tertio, quia ſi indiuiduaretur materia per ordinẽ ad formã, etiã forma per ordinẽ ad materiã, cũ multo magis materia ſit cauſa formæ, quã forma cauſa materiæ, & ita eſſet circulus. Addo tñ materiam primã dicere ordinẽ trãſcendẽtalẽ & ſecũdũ dici, nõ quidẽ ad aliquã determinatã formã, ſed ad formã abſolute, ſeu vage ſumptã. Ratio eſt, quia omnis potẽtia eſſentialiter dicit ordinẽ ad actũ: ſed materia prima ex ſua eſſentia eſt paſsiua & receptiua formarũ: ergo eſſẽtialiter dicit ordinẽ ad formã, tãquã ad actũ, quẽ recipit, cũ hoc tñ materia prima eſt entitas abſoluta, quia relatio trãſcẽdẽtalis & ſecundũ dici nõ eſt relatio de prædicamẽto relationis, ſed potiꝰ diuagatur per omnia prędicamẽta, vt ſuo loco dictũ eſt.

A quo indiuiduetur materia.

Tãdẽ dicẽdũ eſt materiã nõ indiuiduari neq; diſtingui ab aliqua materia per quãtitatẽ & quoduis aliud accidẽs. Ratio eſt, quia vna materia diſtinguitur ab alia ſubſtãtialiter: ergo talis diſtinctio nõ poteſt prouenire ab aliquo accidẽtis, ſed à ſua intrinſeca entitate, & ita materia per ſe ipſam habet indiuiduationẽ, & diſtinctionẽ à quouis alio, ſicut ex ſe ipſa habet entitatẽ.

De forma vero, ſunt qui exiſtimẽt formã indiuiduari per ordinẽ ad determinatã materiã. Tenet Cai. 1. p. q. 29. art. 1. & de ente, & eſſentia c. 2. q. 5. Iabel. 5. met. q. 15. Sõz. lib. 7. q. 34. Ferr. 2. cõtra gẽtes c. 85. & 75. Banez 1. de genar. c. 15. q. de princ. indiu. Cuius ſẽtẽtiæ fundamẽtũ eſſe poteſt: nã forma incõmuni ſũpta dicit eſſẽtialiter ordinẽ ad materiã incõmuni: ergo hęc determinata forma eſſẽtialiter dicit ordinẽ ad determinatã materiã, atq; adeò formę indiuiduãtur per ordinẽ ad deter

minatas

minatas materias quas respiciunt.

A quo forma. Dicendum tamen est, quod quauis forma essentialiter dicat ordinem transcendentalem, & secundum dici ad materiam, eo quod actus essentialiter dicit ordinē ad suam potentiā, tamen essentialiter non dicit ordinē ad determinatam materiam, & ita formę non indiuiduantur per ordinem ad determinatam materiam, sed per suas intrinsecas entitates se ipsis diuersas tenet Durand. in 2. d. 3. q. 2. Fōsec. 5. meta. cap. 6. quæst. 3. & Tolet. saltem de anima id docet 3. lib. de anima q. 8. & ratio est: quia in opinione omnium eadem anima rationalis post separationem à suo corpore quod informauit, potest per diuinā potentiā informare aliud corpus: nam sicut re vnitur miraculose cum priori corpore per resurrectionē, quare non posset vniri cum quouis alio, imo idē posset à Deo fieri in quauis alia forma, cum saltē per diuinā potentiam posset conseruari separata à materia, quam prius informauit, & deinde alteri reuniri: ergo forma essentialiter non dicit ordinē ad determinatā aliquā materiā, & ita non indiuiduatur per ordinē ad determinatā materiā sed per suā intrinsecā entitatē se ipsa diuersam à quouis alio. Præterea: quia hæc forma, quæ de facto educta est ex hac numero materia potuisset proculdubio de potētia saltē absoluta fieri ex alia materia diuersa, & ita forma nō potest indiuiduari per ordinē ad determinatā materiā

Tandē id probat ratio generalis adducta superiori quæstione: nā sicut quælibet res ex se ipsa est ens per suā intrinsecā entitatē, ita ex se ipsa est vna, quin opus sit aliunde mendicare principiū indiuiduationis. Neq; fundamētū oppositæ sentētiæ aliquid probat. Respōdetur enim negando cōsequentiā, eo quod nō solū forma incōmuni, sed neq; hæc forma est essentialiter determinata ad hanc numero materiā, cū eadem nō repugnet esse in alia materia. *Respond. ad fundamen. contrariæ sententiæ.*

Etsi obijcias nā esse huius numero formæ pēdet ex hac numero materia, eo q hæc forma educta est ex hac materia: ergo etiā indiuiduatio huius formæ debet sumi ex hac materia. Respōdetur negando cōsequētiā, quia sicut esse huius formę nō depēdet essētialiter ab hac determinata materia cū potuisset fieri ex alia, ita neq; indiuiduatio per se pēdet à tali materia determina-

Vnde indiuiduentur modi. minata. Tādē circaindiuidua tionē modorū substantialiū dicendū est indiuiduari etiā per suā intrinsecā entitatem se ipsa diuersam à quauis alia: quia sicut habēt esse ens per suam intrinsecā entitatem; ita habent esse vnum numero ab eadē entitate, nam vnū supra ens tantum addit negationē diuisionis, &c.

Secūdo quod modus vnionis nō possit indiuiduari per materiā, aut formā probatur. Nāmateria in primis est indifferens ad plures vniones cū pluribus formis: ergo nō potest esse principiū indiuiduationis huius determinatæ vnionis, quia tale principiū debet esse principiū proprium eius, cuius est principiūm in diuiduationis, & nō cōmune pluribus. De forma verò probatur: nam potest formā semel separata à materia illi rē vniri per diuersam vnionem à priori: nā quāuis possit eadē numero vnio reproduci, vt supra dicebam, nihil tñ repugnat ꝙ possit Deus in resurrectione aliam vnionem produceredi uersāà priori cū tñ sit eadem numero forma quæ reunitur.--

Dubium circa modos vnionis. Etsi inquiras vtrum formæ diuersæ speciei vniantur cū suis materijs per vniones diuersæ speciei, ita quod vnio qua vnitur forma equi cū sua materia sit diuersæ rationis ab illa qua vnitur forma ignis.

Respondetur affirmatiuè. Ratio est, quia modus vnionis est terminus quasi partialis productus per generationem, generatur enim forma nōquomodocūq; sed vnita: sed generatio equi & ignis sunt diuersæ rationis & diuersæ speciei, sicut substātiæ ipsæ productæ sunt diuersæ speciei: ergo & vniones formarū diuersæ rationis distinguūtur specie. Et ratio à priori est, quia extrema diuersæ rationis postulāt vnitiua & nexus diuersæ rationis: qualiter partes lineæ vniūtur punctis & partes superficierū vniuntur lineis: ergo similiter formæ diuersæ rationis vniuntur cum suis materijs per vniones diuersæ rationis. Addo etiā naturas diuersæ rationis habere subsistētias diuersæ rationis, ita ꝙ subsistentia equi specie differat à subsistentia ignis. Ratio est, quia subsistētia est vltimū cōplemētū substantiale propriū cuiuslibet naturæ, & ita naturę diuersæ speciei postulāt subsistētias specie diuersas. Sed obijcies nā vt diximus, c. de rel. relatio similitudinis, quę est inter duas albedines

dines nō distinguitur specie relatione similitudinis, quę inter duas nigredines, quā extrema harū relationum diuersæ rationis: ergo similiter formæ diuersæ rationis: poterūt vniri per vniones eiusdē rationis. Respondetur negādo paritatē; quia extrema per se relationis similitudinis nō sunt duæ albedines, v.g. in quātū tales qualitates sunt, sed in quātū sunt vnum in qualitate. Quod autē extrema quæ sunt vnū in qualitate sint albedines, aut sint nigredines, accidentale est ad similitudinē, tñ vnio essentialiter respicit extrema in quātū talia sunt, quia ordinatur ad cōstituēdū tale, vel tale totū integratū ex his, vel illis partibus: vnde sicut tota sunt diuersæ rationis, ita vniones partiū debēt esse diuersæ rationis: præsertim, quod vt dicam 2. lib. Physic. forma vnitur materiæ per suam informationem, & quia formæ diuersę diuersas tribuunt informationes, ideo formæ diuersæ diuersas habent vniones.

QVAESTIO III.

Quod sit principium indiuiduationis in substātijs spiritualibus.

Hac in re concors est fere omniū sentētia, principiū indiuiduationis in substantijs spiritualibus desumendum esse ab entitate illorū, quæ simplex est & indiuisibilis. In qua adhuc Thomistæ conueniunt, nam cum in Angelis non sit materia non potest esse in illis principium indiuiduationis materia signata quantitate, & ita principium indiuiduationis illorum debet sumi ab entitate Physica indiuisibili illorum. Id vero quod addunt Thomistæ principium indiuiduale, & specificum in Angelis esse prorsus idem, si loquantur de identitate reali verum est: nam vt vidimus in Logica prædicata vniuersalia non distinguū tur ex natura rei à singularibus in quibus sunt inclusa. Quod etiam in naturis materialibus tenet verum; si tamē velliut, nec ratione distingui rationē specificam ab indiuiduali in Angelis, omnino est absurdū vt ostēdi q. 1. huius disputationis, verū est ab eadē entitate indiuisibili illorū sumi rationē specificā & rationē indiuidualem: sicut etiam in puncto, quia prorsus indiuisibile est ab eadē entitate sumitur principiū specificū & indiui-

indiuiduale, cum tñ in oppinione omnium ratio indiuidualis, & ratio specifica ratione distinguantur in puncto.

Solũ hoc loco restabat difficultas an in natura Angelica quanuis in ea nõ sit materia posśit fieri multiplicatio indiuidualis, saltẽ de potentia absoluta Dei. De quare latissime disputãt Theol. Scolast. quidẽ in 2. sentẽtia. d. 3. Thomist. vero 1. p. q. 50. ar. 4. ideo ne Philosophiæ limites trãsgredi videar: nũc breuiter solũ dicã opinionẽ D. Thom. & aliorũ asserentiũ nõ posse dari sub eadẽ specie plures Angelos numero diuersos nulli firmę rationi inniti, & ita cõtrariã sentẽtiã longe esse probabilẽ, quã sequitur maior pars Theologorũ adhuc, quidã ex Thomistis eã secũtur, & explicant D. Thom. q̃ loquatur de potẽtia ordinaria, nõ tñ de potentia absoluta, quales sunt Ferr. 2. contra gentes c. 93. Capreolus in 2. disp. 3. quæstion. 1. & Caietan. 1. part. quæstion. 50. articul. 4. & plures alij. Præter Thomist. vero eandẽ sententiã sequitur Scot. in 2. d. 3. q. 3. & 7. Durand. q. 3. Alex. Alẽsis 2. p. q. 20. m. 6. art. 1. Bon. in 2. d. 3. p. 2. distinctionis q. 1. eandẽ etiã sentẽtiã secũtur plures ex sanctis patrib⁹ quĩ quod amplius est, asserunt d[e] facto dari plures Angelos [so]lo numero differentes, qu[od] tamẽ minus certũ est: t[...] August. in Enchiridio ca[...] Greg. Nisen. in lib. de c[re]atione hominis c. 8. & Greg. Nazianz. in oratione in laudẽ Virginis Athanas. 69. ad Basil. lib. 3. contra Eunomium Anselm. lib. 2. cur Deus homo c. 21. deniq; eandẽ sentẽtiã amplecxati sunt. Doctor. Parisi. qui plane docent herrorẽ esse cõtrariũ asserere: nã art. 8. dicũnt quod asserere: *Quod quia intelligentia non habẽt materiẽ nõ posśit Deus plures eiusdẽ speciei facere.* Herrorẽ esse & similia verba habẽt art. 96. & 191. & ita res hæc iã hoc tẽpore apud doctiores est prorsus certa & quidẽ nescio, quę implicatio cõtradictionis signari posśit in eo q̃ sint plures Angeli eiusdẽ speciei: nãquãuis materia sit necessaria ad multiplicationẽ numericam, quæ fit per generationẽ, eo quod generatio fit ex pręsupposito subiecto, tamẽ ad multiplicationem, quæ fieri potest per creationem, non est necessaria, cũ creatio ex nullo subiecto præsupposito fiat qua ratione potest Deus plures materias numero diuersas creare.

V. In Angel. s sit multiplicatio indiuidualis.

Id etiã quod secũdo obijciunt

ciunt Thomistæ, scilicet multiplicationem indiuiduorum solum esse ad conseruationem speciei, vt corrupto vno indiuiduo, illa species in aliis conseruetur, & ita quod cum Angeli sint incorruptibiles nó est cur in eis ponatur multiplicatio indiuiduorum. Fribolum est: nam quamuis hęc ratio sufficiens cõiectura sit, vt de facto, & per naturã non sint ponendi plures Angeli numero diuersi, non tamen est sufficiens, vt asseramus, id esse omnino impossibile, etiã de potentia absoluta: nam de potẽtia absoluta posset Deus propter alium finẽ illos creare. v. g. ad manifestandam diuinam potentiam, aut propter mille alios fines incomprehensibiles, Dei sapientiæ minime impossibiles. Tandem quæ sit mẽs Aristot. 12. Metaph. text. 49. & 42. & 1. lib. de cœlo, cap. 9. & sæpe alibi asserentis, ea non posse numero multiplicari, quę materiam non habent, diximus q. 1. huius disput. probabile enim est illum, solum loqui de multiplicatione, quæ fit per generationem, non per creationem, qua fiunt Angeli de re tamen aliena satis sit hæc dixisse.

QVÆSTIO Vltima.

Vtrum accidentia indiuiduentur per subiectum, atque adeò. Vtrum plura accidentia solo numero diuersa poßint simul esse in eodem subiecto.

Quid certũ

POstquam de substantiis diximus, restat inquirendum principium indiuiduationis in accidentĩbus, tam spiritualibus, quàm corporalibus. In qua re conueniunt omnes, accidentia, nõ indiuiduari intrinsecè per subiectum: nam principium indiuiduationis intrinsecum debet esse intime inclusum in essentia rei, quæ est singularis, & indiuidua, constat autem subiectum esse extra entitatem intrinsecam accidentis, qualiter corpus est extra entitatem intrinsecam accidentis, vt corpus est extra entitatem albedinis.

2. Certum.

Secundo certum est, accidentia omnia essentialiter dicere ordinem ad subiectum, quantumuis in singulari considerentur, quia semper sunt entis ens, id est, sunt affectiones substantiæ, quæ est ens

Restant tamen duo explicanda. Primum est. Vtrum plura accidentia, solo numero diuersa possint esse in eodem subiecto, nam si non sint solo numero, sed specie diuersa nullus dubitat: nam albedo, & dulcedo, quæ specie differunt simul reperiuntur in lacte. Secundũ est. Vtrum etiam possit idem numero accidens esse in pluribus subiectis.

Circa hoc non desunt, qui asserant accidentia indiuiduari à subiecto, & consequenter asserunt; neque per Diuinam potentiam posse plura accidentia solo numero diuersa esse simul in eodem subiecto, quia sequeretur euidens implicatio contradictionis, nam si indiuiduantur à subiecto: ergo quæ sunt vna subiecto sunt vna numero, & aliàs supponimus esse plura diuersa numero: ergo simul essent plura, & non plura: quæ ratio optime procedit, supposito priori principio, tamen sicut illud est falsum, ita quod in eo fundatur falsum est.

Assert. circa 2. dubio quæst. Vnde dico secundo, in hac quæstione saltem, de potentia absoluta Dei, non repugnat plura accidentia, solo numero diuersa esse simul in eodem subiecto quæuis illa sint. Quam sententiam auctores omnes supracitati tenent, qui asserunt rem quamlibet à sua entitate indiuiduari. Et vt ratione probetur, suppono id in quo omnes Auctores conueniunt, scilicet saltem successiue, posse esse plura accidentia, solo numero diuersa in eodem subiecto: nam contingit calorem existentem in ligno corrũpi, & deinde aliquo transacto tempore, quando iterum idem lignum calefit, non potest recipere eundem numero calorem, quem prius habuit, aliàs idem numero corruptum rediret, per naturam: ergo ille calor diuersus numero est à præexistenti, & ita omnes conueniunt, saltẽ successiue posse plura accidentia diuersa numero esse in eodem subiecto: ex quo principio sic formatur ratio. Nam possunt plura accidentia numero diuersa successiuè esse in eodem subiecto: ergo saltẽ de potentia absoluta non repugnabit, quod sint simul. Probatur consequentia, nam differentia tẽporis extrinseca est calori. v. g. ergo sicut successiuè calores numero diuersi habẽt diuersas differentias indiuiduales in

in ordine ad idem subiectū, etiam possent simul positi in illo subiecto retinere easdem differentias indiuiduales, & ita sicut succesiuè indiuiduantur à diuerso ordine, quem dicunt ad idem subiectum, ita si simul in illo ponerentur, dicerent diuersum ordinem ad idem subiectum, qui ordo ad subiectum est ipsa entitas, & essentia accidentis.

Secundo, quia accidentia indiuiduantur per suam intrinsecam entitatem: ergo poterunt duo calores, retinere suam intrinsecam distinctionem, quantumuis ponantur in eodem subiecto. Dixi autem in conclusione, quæuis illa sint ad significandam prędictam conclusionem, non solum habere locum in accidentibus, quæ sunt res, qualis est calor, albedo, &c. sed etiam in accidentibus modalibus, qualiter 4. lib. Physic. ostendam idem corpus posse simul constitui in diuersis locis, & ita simul habere duas præsentias locales, numero diuersas.

Maius dub. Maius dubium est. Vtrum etiam per naturā, posint esse plura accidentia numero diuersa in eodem subiecto. In qua re, distinctione opus est, nam inter accidentia solo numero diuersa, quædam sunt omnino similia, non solum in natura, sed etiā in munere, ad quod ordinātur, qualia sunt duæ albedines, duo calores, &c. quia in his nihil habet vnum, quod non habeat aliud, & ex his accidentibus non possunt plura differentia numero esse in eodem subiecto, quia cum duæ albedines habeant eadem prorsus munera, ideo subiectum semel habens albedinem, nō habet potentiam naturalem, vt simul aliam albedinem recipiat, quia prior pręstat, quidquid alia pręstare posit. *A quo ser ma indiui- duetur.* Alia vero sunt accidentia, solo numero differētia, quę licèt sint similia in natura specifica, tamen non habent omnino eadem munera, qualiter species visibilis Petri, & especies visibilis Pauli, quanuis sunt eiusdem speciei, tamen habent diuersa munera, quia non repræsentant idem obiectum: nam vna repræsentat Petrum & altera re pręsentat Paulum, & ita magis differunt, quam si vtraque repræsentaret idē obiectum: hæc ergo accidentia, quæ non sunt omnino similia in munere, quod præstant, qualia sunt accidentia, quæ vocantur intentionalia, scilicet species sensibiles, & intelligibiles, possunt per naturam

turam plura solo numero differentia esse simul in eodem subiecto, quia cum habeant aliquam dissimilitudinẽ in munere ad quod ordinatur, ideo quamuis subiectum habeat vnum ex illis, adhuc habet potentiam naturalem ad recipiendum aliud simul, & ita 2. lib. de anima ostendam plures species intentionales simul recipi in eodem subiecto, saltem quando repræsentant diuersa obiecta: nam duæ species repræsentantes idem numero obiectum, cũ habeant eandem prorsus munera, fortasse de illis non est eadem ratio, quod latius patebit loco allegato.

Circa secundũ vero. Vtrũ scilicet idem numero accidens, possit esse in pluribus subiectis partialibus, & inadæquatis: in primis certum est, quod idem accidens secundum diuersas sui partes, per naturã potest esse in pluribus subiectis partialibus, & inadęquatis; qualiter eadẽ albedo totalis hominis secũdum diuersas sui partes subiectatur in pluribus partibus subiecti.

Solum ergo est dubium. Vtrum idem numero accidens totale, simul possit esse in pluribus subiectis adęquatis, & totalibus. In quo secundo certum est per naturam id esse impossibile, non solum simul, sed etiam successiuè, ita quod non possit idem accidens per naturam migrari de subiecto in subiectum. Et quidẽ quod simul non possit simul esse in pluribus subiectis per naturam facilis est ratio; quia cũ sufficienter substétentur in vnico subiecto adæquato, non potest esse in pluribus: sicut neq; potest esse in pluribus locis simul: quia multò magis dependet accidens à subiecto, quàm locatum à loco, cum locus non sit causa locati, sicut subiectum est causa accidentis. Quod verò neque idem accidẽs possit per naturam migrari de subiecto in subiectum ex eo constat, quia hoc differt inter actum, & potentiam, quod potentia natura sua est indifferens ad plures actus: qualiter potentia actiua. v. g. potentia visiua eadem numero potest elicere plures visiones, & eadẽ potentia passiua materiæ primæ successiuè recipit plures formas: tamen actus, cum aliquid determinatiuum sit non est indifferens ad plura, & ita cum omnes formæ accidentales sint actus quidã, saltem accidẽtales nulla forma accidentalis per naturam

potest

potest transmigrare de subiecto in subiectum.

Si tamen loquamur de potentia absoluta distinguendum est: nam accidentia modalia, neque simul, neque successiuè, possunt esse in pluribus subiectis. Ratio est. Quia si idem modus posset esse in pluribus subiectis, ex se, esset indifferens vt vniretur vni, potius quã alteri, & ita vnio cũ hoc determinato subiecto esset aliquid super additum ipsi modo, quod est cõtra essentiam illorum: nam modus cum de sua essentia dicat actualem dependentiam à subiecto, quod modificat per suam essentiã, intime vnitur cum illo, absq; aliquo superaddito.

Et si obiicias: nam duo modi solo numero differentes simul possunt esse in eodẽ subiecto, vt dixi de secunda præsentia locali: ergo etiam poterit idem modus esse in pluribus subiectis. Respondetur negando paritatem rationis: nam quod duo modi numero differentes sint in eodem subiecto, nõ tollit quod quilibet vniatur cum illo per suam intrinsecam essentiam, tamen quod vnus possit esse in pluribus subiectis, tollit hoc vt vidimus, & ita cũ hoc sit de essentia modi non potest immutari per Diuinam potentiam.

Dico tamen vltimo, quod si loquamur de accidentibus quæ sunt res, & non modi, vt quantitas, & calor non repugnat per Diuinam potentiam, idem accidens simul, aut successiue esse in pluribus subiectis. Ratio est, quia in his non currit ratio facta, vt vniantur cum subiecto per vnionem superadditam suæ essentiæ, & ita cum aliàs accidentia non habeãt indiuiduationem à subiecto, vt dixi. Ideo nulla est implicatio cõtradictionis, quod simul, aut successiue idem accidens sit in pluribus subiectis.

Respondet. ad arg. Thomistarum.

Tandẽ ad argumenta Thomistarum. Respondetur ad primum, quod cum subiectũ sit causa materialis accidentis, etiã est causa vnitatis numericæ, quæ est in tali accidenti, quia vnum sequitur adens, & ita loquendo hoc modo, ab illa accipit indiuiduationem, quia indiuiduatio est ipsa indiuidualis entitas accidentis, ex hoc tamen non probatur qnod subiectũ sit principium indiuiduationis, prout hic loquimur de principio indiuiduationis: quia ratione est aliquid propriũ talis rei indiuiduę, quod non habet subiectum, quia cum

cum in illo possint recipi plura accidentia numero diuersa, est indifferens ad plura, & ita argumentū æquiuoce loquitur de principio indiuiduationis: nam etiam entitas indiuidua procedit à causa efficienti, non tamen dicimus causam efficientem esse principium indiuiduationis; nam ab eadem causa efficienti procedunt plures effectus numero diuersi.

Ad secundum respondetur locum illum Aristot. posse in præsenti explicari, sicut quæstione prima huius disputationis à nobis explicatus est, scilicet quod quando dicit, ea esse vnū numero, quorum est materia vna, loquitur de indiuiduis simul existentibus à parte rei, & in his verum est, ea accidentia esse vnum numero, quæ habent subiectum idem simul: nam per naturam non possunt accidentia numero diuersa, simul recipi in eodem subiecto, loquitur autem de accidentibus, quæ appellātur realia, vt distinguuntur contra intētionalia, quales sunt species sensibiles, & intelligibiles: nam de accidentibus intentionalibus, iam plura esse posse diximus per naturam in eodem subiecto; & ita in his non valet ea esse vnum numero, quorum est materia vna, & hæc satis de hoc primo libro Physicorum.

(?)

Finis huius primi Libri.

LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

SVMMA TEXTVS.

INtentum Arist. in hoc capite est agere de principiis & causis motus entis naturalis, postquam in primo egit de principiis ipsius entis naturalis, & quia vnum quodque, vel mouetur à propria natura, vel ab aliis causis, ideo Aristoteles hoc lib. agit de natura, & causis motus entis naturalis. Deinde vero, in tertio libro agit de ipso motu. Agit autem in hoc lib. secundo Aristotel. 1. de natura, quæ est principium motus. Secundo ostendit differentiam inter Physicum & Mathematicum quãuis vterque videatur agere de ente naturali. Tertio agit de causis, scilicet de causa efficienti, materiali, formali, & finali, &c.

Ad primam autem partem accedentes, diffinit Aristoteles naturam hoc modo. Natura est principium, & causa motus, & quietis eius in quo est primo, & per se, & non secudum accidens. *Dicit* principium, & causa, *ad significandum naturã non esse, quomodocunque principium motus, sed principium quod sit causa influens in ipsum motum*

motum : nam ut supradictum est principium, & causa habent se, sicut superius, & inferius, eo quod causa addit, supra principium influere in effectũ, & ita priuatio non est natura, quia quamuis sit principium generationis rei naturalis (quæ quidam motus est, ut dicam 3. lib. Physicorum) non tamen est causa influens, cũ nihil sit. Ponitur autem illa particula, motus, & quietis, *ad significandum naturam, non solum esse principium motus, sed etiam quietis : nam quies in centro non minus prouenit à natura corporis grauis, quàm motus in idem centrum. Ponitur illa particula*, eius quo est, *ad significandum naturam, esse principium motus, aut quietis, eius rei in qua est natura, & ita dicitur eius in quo est. Ponitur tandem illa particula* (primo, *aut* principium) *ad significandum naturam non esse, quodlibet principium motus, sed principium primum, idest substantiale, non vero secundum, & accidentale. Verbi gratia, quando mouetur graue, habet duo principia illius motus, aliud primum, nempe ipsam substantiam, & naturã grauis, quæ ex se illum motum petit, aliud secundum, & accidentale nempe grauitatem, quæ est quædam qualitas, & ita accidens : natura ergo debet esse principium primum substantiale, & ita natura substantia quædam est, accidentia enim potius sunt affectiones naturæ, quam natura ipsa.*

Ponitur ergo illa particula, per se, & non secundum accidens, *ad significandum naturam non esse per accidens causam motus, sed per se : qua ratione inquit Aristoteles, si contingat aliquem medicum habere ægritudinnem ars medendi quæ in illo est non est natura, distinguuntur enim na-*

tura, & ars. Ratio est, quia per accidẽs est quod ars medendi sit in ægroto: vnde cum natura, substantia sit, substantia vero integretur, ex materia, & forma, dicit naturam esse materiam, & formam, quia ex his integratur vnaquæque rei substantia: substantia autem rei est eius natura: dicit tamen formam esse magis naturam, quam materiam; quia forma est, quod vltimate constituit essentiam, & substantiam rei, non vero materia.

In secunda parte huius capitis ostendit differentiam inter Physicũ, & Mathematicum: Nam quamuis vterque agat de quantitate, diuersimode tamen: nam Physicus agit de quantitate, quatenus est affectio, & passio corporis naturalis, Mathematicus vero agit de illa secundum se abstrahendo à subiecto.

Tandem in tertia parte huius libri agit de causis, dicens quatuor esse genera causarum, scilicet materialem, formalem, efficientem, & finalem, quas docet sibi inuicem esse causas, qua ratione inquit, exercitatio in actibus, est causa habitus, & deinde habitus est causa exercitationis in actibus.

Tandem dubitat, an fortuna, & casus sint causæ; distinguit tamen inter fortunam, & casum dicens, hoc differre, quod casus latius patet quam fortũna, dicens fortunam tantum reperiri in his, quæ ratione vtuntur, neque enim belluam bene, aut male fortunatam dicimus, sicut hominem bene fortunatũ appellamus casus vero etiam reperitur in his quæ non vtuntur ratione: vnde concludit, casum, & fortunam reduci ad causam efficientem, esse tamen causas per accidens: nam cum quis per se intendens terræ effossionem, thesaurum inuenit, hoc per accidens

cidens contingit effodienti terram, & præter illius intentionem, & hæc breuiter de litera huius capitis: nam si quæ alia sint animaduersione digna in disputationibus de his rebus habendis referam.

DISPVTATIO PRIMA DE NATVRA.

HAEC est prima disputatio, quam Aristot. hoc lib. intendit, quam persequitur à textu 1. vsque ad 15. suppono autem in hac disputatione ex variis acceptionibus naturæ, quas supra in proœmio Physicæ adduximus, naturam hic sumi, prout significat principium motûs, idest principiũ alicuius operationis, hic namque motus operationem significat, suppono etiam naturalia entia multis differre ab artificialibus, vt in primo libro disputatione secũda ostensum est.

QVÆSTIO I.

Quid sit natura.

ARistoteles hoc modo diffinit naturam, de qua hic loquimur: *Natura est principium motus & quietis eius in quo est primo, & per se, & non secundum accidens.*

Circa quam diffinitionem aduertendum est, quod principiũ alicuius motus duplex esse potest; alterum actiuum; nempe quod actiue concurrit, ad motum illum efficiendum, aliud passiuũ, scilicet quod tantum passiuè concurrit ad motum, scilicet recipiendo illum motum in se, in eligimus autẽ hic nomine motus, non tantum motum localem, sed etiã alios motus, qualis est motus augmentationis, & alterationis. *Principium motus duplex.*

Sed rursus principium actiuum motus duplex est, aliud intrinsecum in eo subiecto in, quo est motus: qualiter viuentia habent in se principium actiuum, intrinsecum sui motus: quia vt postea dicam mouentur à *Actiuũque duplex.*

se. Aliud vero est principiũ actiuum extrinsecum, scilicet quod non est in eodẽ subiecto in quo est motus; qua ratione motus cœli est principium actiuum extrinsecũ motuum horum inferiorum. Similiter principium passiuum motus duplex est; aliud naturale, scilicet quod naturaliter ordinatur ad recipiendum illum motum: qua ratione aqua quando frigefit, habet naturale principium receptiuum illius motus: qu a est illi conaturalis; aliud vero est præternaturale, & est quando motus receptus non est conaturalis subiecto, eo quod subiectum iuxta exigentiam suæ naturæ, non petit illum motum: qua ratione quando aqua recipit calefactionem, non habet principium passiuum, naturaliter ordinatum ad recipiendum illum motum, quim potius calefactio est contra naturam aquæ.

Quid aduertit. Secundo aduertendum est, quod tam principium actiuum, quàm passiuum, motus duplex est: aliud radicale, & remotum, quod est substantia, qua ratione substantia viuentis est principium actiuum radicale motus viuentis: quia viuentia mouentur à se ipsis; & substantia aquæ, est principium passiuum radicale ad recipiendam frigefactionẽ. Aliud vero, est principium proximum, & immediatum, qua ratione à qua recipit frigefactionem media quantitate, quia frigus, & reliquę qualitates corporeæ inhærent substantiæ media quantitate, viuentia mouentur à se actiue mediis potentiis, & instrumentis quibus operantur.

Quid sufficiat ad rationem motus. His suppositis conueniũt omnes ad rationem naturæ satis esse, quod sit principium actiuum, vel passiuum motus. Quod in primis colligitur ex diffinitione naturæ ab Aristotele adducta: dicit enim naturam esse principium, & causam motus eius in quo est, &c. Hæc autem tam verificantur de principio actiuo, quàm passiuo. Secundo quia viuentia, secundum naturam mouentur à se actiuè: ergo talis motus appellatur naturalis, quia prouenit à natura: ergo ad rationem naturæ satis est esse principium actiuum motus. Idem etiam probatur de principio passiuo: quia Aristotel. hoc lib. textu 8. probat materiam esse naturam quandam: sed materia

ria est principium pasſiuum: quia est pura potentia pasſiua, ergo. Tum etiam: quia illud appellatur alicui naturale, ad quod habet naturalem inclinationem: ſed hæc inclinatio naturalis, etiam poteſt eſſe pasſiua: qua ratione materia prima, ſolum habet naturalem inclinationem pasſiuam ad formas ſubſtantiales: ergo ad rationem naturæ, à qua denominatur naturale, ſatis eſt quod ſit principium pasſiuum motus.

Quid aduertẽ. Eſt tamen aduertendum, quod debet eſſe principium actiuum, vel pasſiuum naturale, ideſt, naturaliter ordinatum ad illum motum: nam, quando aqua recipit in ſe calefactionem, non appellatur calefactio illa naturalis, quia quamuis habeat principium pasſiuum, ad recipiendam calefactionem, non tamen naturale; quia ex ſua natura, non poſtulat calefactionem, & ita ſolum habet potentiam pasſiuam, quam vocant obedientialem, quia poteſt obedire agenti fortiori, calefacienti illam, non tamen petit ſecundum ſuam naturam, talem calefactionem.

Sed quamuis, apud Auctores hæc certa ſint, adhuc tamen circa hanc diffinitionem naturæ, aliqua ſunt dubia. Primum eſt, an natura dicatur, tantum eo quod ſit principium motus recepti, in eodem ſubiecto in quo, eſt natura, quæ fuit principium illius motus: vel etiam natura dicatur, quia ſit principium motus recepti in alio ſubiecto, diuerſo, v. g. an ſubſtantia ignis dicatur natura, etiam, quia eſt principium calefactionis receptæ in alio ſubiecto, nempe in ligno.

Plures enim communiter exiſtimant, naturam tantum dici ex eo, quod ſit principium motus, recepti in eodem ſubiecto, in quo eſt talis natura. Et probant ex verbis huius diffinitionis, ſcilicet, natura eſt principium motus, & quietis eius in quo eſt: ergo non reſpectu aliorum motuum, qui non ſunt in eodem ſubiecto.

Exiſtimo tamen naturam etiam dici talem, ex eo, quod ſit principium motuũ, qui recipiantur in alio ſubiecto diuerſo. Et probatur; quia quando ignis calefacit lignum, quamuis talis cale- *Reſpectu eius dicatur natura.*

factio sit violenta ligno, in quo recipitur, quia destruit illum, tamen illa calefactio, naturalis est: quia calefacere naturale est igni: sed motus appellatur naturalis, quia prouenit à natura aliqua: ergo natura etiam appellatur talis, quia sit principium motus recepti in alio subiecto: neque enim calefactio recepta in ligno appellatur naturalis, quia sit in illo: sed quia naturale est igni, quod ab illo proueniat calefactio.

Secundo quia ars non solum est principium operationum, quæ recipiuntur in eodem subiecto, in quo est ars, sed etiam earum, quæ recipiuntur in alio subiecto: qualiter ars domificatiua est principium ędificationis domus, quæ est actio transiens extra artificem: ergo similiter natura erit principium actionis transeuntis ad aliud subiectum.

Neque fundamentum contrariæ sententiæ alicuius est momenti: nam illa verba, *Natura est principiũ motus eius, in quo est*, non significat naturam debere esse principium motus eius subiecti, in quo est motus; sed sensus est. Naturã esse principium motus illius subiecti, in quo est natura, non vero in quo est motus. Pro cuius intelligentia aduertendum est, quod motus dupliciter dicitur esse alicuius, vel effectiuè, vel subiectiuè: nam eadem calefactio, quæ subiectiue est calefactio ligni: quia subiectatur in illo, effectiuè est actio ignis, quia prouenit ab igne: natura ergo dicitur principiũ mot', quia est, vel prouenit ab illo subiecto, in quo est natura, quamuis in eodem subiecto, non sit motus.

Dubitatur secundo, circa eandem diffinitionem. Vtrũ natura non tantum debeat esse principium motus, sed etiam quietis, ita vt illa particula, &, debeat sumi copulatiue, vel potius disiunctiuè: ita vt natura sit principium motus, vel quietis. Respondetur illam particulam, &, non sumi copulatiuè, sed disiunctiuè, faciatq; distributionem acommodatam, ita vt in his quæ habẽt motum, natura sit principiũ motus: in his vero quæ tantum habent quietem sit principium quietis, & in his, quę vtrunque simul habent, sit principium motus, & quietis: Qua ratione modo grauia mouentur ad centrũ, modo in

do in illo quiescunt. Hanc expositionem sequūtur Porphirius, Philoponus, & Valles. hoc lib. cap. 1. & Sanctus Thom. 1. par. quæst. 70. artic. 3. ad quartum. Perei. lib. 7. Physic. cap. 4. Sotus hoc lib. quæst. 1. estque communis sentētia. Et ratione probatur quia in sententia Aristot. ponentis motum cœli in æternum duraturum, cœlum non habet quietem, sed solum motum: ergo Aristotel. non sentit naturam debere esse principium motus, & quietis copulatiuè. Similiter cœlum Impyreum, quod est omnium vltimum, & à Theologis ponitur, vt sit sedes beatorum, ita quiescit quod nūquam moueatur, nec mouendum sit: ergo natura non debet esse principium motus & quietis copulatiuè, sed disiunctiuè.

Obicit. contra definit. Sed contra diffinitionem naturæ hactenus explicatam nonnulla obiici possunt. Primo, quia natura cum sit substantia vt diximus, est quid absolutum; male ergo definitur per principium motus, quia in hoc inuoluitur relatio, & ordo ad motum.

Secundo, quia tota hæc diffinitio conuenit arti: nam ars saltandi est principium motus, eius in quo est primo, & per se, & non secundum accidens; ars enim saltandi per se, & primario est principium illius motus: sed ars maxime distinguitur à natura: ergo diffinitio naturę nō est exacta.

Tertio, quia quies est priuatio motus, & ita nihil est: sed id quod nihil est non habet causā: quia nihil est: ergo male definitur natura, q̄ sit principiū motus, & quietis.

Quarto, quia natura est determinata ad vnum: ergo nō est causa oppositorum: sed motus, & quies sunt opposita: ergo male definitur natura, quod sit principium motus, & quietis.

Quinto, quia cum principium sit superius ad causam includitur in ratione causæ: ergo satis esset dicere, natura est causa motus, &c. Et ita illa particula (*principium*) superflua ponitur in hac definitione. Sicut quia viuens includitur in animali superflua esset hæc definitio hominis, homo est viuens animal rationale.

Sed respōdetur ad primū q̄ principium, & causa in hac diffinitione non sumuntur formaliter pro relatione ad principatum, vel ad effectū,

sed pro fundamento illius relationis, nempe pro eo quod est principium, & causa motus, & hoc quid absolutum est.

Nec placet eorum solutio, qui asserunt, naturam importare relationem, secundum dici, & ita hoc non obstat, quo minus absolute loquendo sit quid absolutum. Hoc inquam non placet. Quia relatio causæ ad effectum, & principij à principiatū sunt relationes, secundum esse de prædicamento relationis, vt in eodem prædicamento dixi. Ex quibus patet diffinitionem naturæ essentialem esse, & non descriptiuam: quidquid sentiant hoc loco Philoponus, & Ferrariensis intelligatur desinitio modo à me explicato, & non pro relationibus. Ratio est quia esse principium, & causam motus per se conuenit naturæ, & non accidentaliter: ergo diffinitio quæ hoc explicat essentialis est. Neque sumitur principium, & causa pro causa in actu, scilicet quæ actu influit in effectum: nam actu causare motum accidentale est naturæ. Sicut actu ridere in homine: sed sumitur pro causa in potentia, ita vt sensus sit: quod natura est causatiua motus, & quietis: nam vt dicunt Logici, verba in diffinitione non dicunt actum, sed aptitudinem.

Ad secundum respondetur negando, quod hæc diffinitio conueniat arti; quia ars saltandi non est principium radicale motus: hoc enim est natura ipsius hominis saltantis: ars vero, est principiū proximū quod dirigit: qualiter ille motus fieri debeat, & ita hæc diffinitio non conuenit arti: quia debet intelligi de principio radicali, & non de principio proximo. Omitto eorum solutionem, qui asserunt habitum qualis est, non concurrere ad actus, quantum ad eorum entitatem, sed quātum ad modum illis superadditum, scilicet quantum ad facilitatem, hoc enim incertum est, & forsam falsum vt dicemus in nostro tractatu de habitibus.

Ad tertium, quod quies dupliciter sumi potest, primo pro mera priuatione motus, & hoc modo non habet causam, quia nihil est: alio modo sumitur propter manentiā mobilis in termino ad quem: qualiter lapis postquam mouetur ad centrum ibi

ibi habet quandam præsentiam permanentem, & quies hoc modo sumpta pro tali per manentia quid reale est, & ita potest habere causam.

Vel secundo respondetur, quod priuatio qualis est quies, quamuis non habeat causam efficientem per influxum realem, habet tamẽ causam deficientem: nam eadem natura, quæ dum influit in motũ, illum causat, dum deficit à tali influxu causat quietem; & ita quies, quæ est quidam defectus, & priuatio motus non habet causam efficientem, sed deficientem.

Ad quartum respondetur, quod illud principium, natura est determinata ad vnum, non significat naturam non posse causare plura. Qualiter natura ignis producit calorem, & siccitatem. Sed sensus est, quod natura operatur determinata ad vnum id est necessario, & non cum libertate ad hoc, vel illud; & ita quanuis natura causet plura, necessario tamen causat, & absque libertate.

Etsi obijcias nam ex hoc sequitur animam rationalem non esse naturam quod est falsum, vt dicemus postea. Sequela vero probatur, quia anima rationalis libere operatur & causat suas actiones motus.

Respondetur, quod anima rationalis potest considerari dupliciter vno modo, vt habet liberum arbitriũ, quo libere operatur, & hoc modo proprie loquendo non appellatur natura. Alio modo consideratur secundum, quod operatur actiones aliquas necessario absque libertate & deliberatione, & hoc modo proprie loquendo appellatur natura. Vel secundo, & melius respondetur quod quando dicitur quod natura est determinata ad vnum, idest, quod non operatur libere, sumitur natura vt distinguitur contra liberum: at vero hic sumitur natura prout est principinm motus, siue liberum, siue necessarium, & ita anima rationalis, etiam prout libere operatur est natura.

Ad quintum respondetur, quod principium & causa possunt sumi specificatiue, & reduplicatiue, sicut homo, & anima, nam homo tum sumitur specificatiue, quando significat integram essentiam, & speciem hominis & sic inferius essentialiter includit superius, quia superiora sunt de conceptu

essentiali inferiorum, & hoc modo causa includit principium; tamen si sumantur reduplicatiue scilicet pro vltimis differentijs, causa non includit principiũ: quia vt ostendimus capite de differentia differentia inferior non includit superiores: & ita quia in hac diffinitione principium & causa sumuntur reduplicatiue pro vltimis differentijs vnum non includit aliud & ita nihil superfluit in hac desinitione.

Omitto solutionem asserentium quod principium in hac diffinitione significat priuationem, causa vero significat materiam, & formam, & ita sentiunt priuationem esse naturam, quod ridiculum est: nam cum priuatio sit nihil, nulla natura est.

QVAESTIO II.

Quibus conueniat ratio naturæ.

Nomen naturæ conuenit Deo, & Intellig.

IN hac quæstione plura se se offerunt explicanda, nam primo dubitari potest vtrum ratio naturæ conueniat Deo, & Intelligentijs. Et certum est quod Deus, & Intelligentiæ secundum quod sunt principia actionum spiritualium non sunt natura: quia natura ex omnium sententia debet esse principium non cuiuslibet motus, sed motus Physici: qualis est motus corporeus, & sensibilis, tantum enim agit Physicus de hoc motu, non vero de motu spirituali, & insensibili: solum ergo est dubium an Deus, & Intelligentiæ secundum quod sunt principia motus Physici, v. g. motus localis, sint naturæ. Plures negant existimantes naturam solum dici per hoc quod sit principium motus recepti in eodem subiecto in quo est natura: & quia in Deo, & intelligentijs cum spirituales sint non potest recipi aliquis motus corporeus, & Physicus, ideo asserunt rationem naturæ non conuenire Deo & intelligentijs: hoc tamen fundamẽtum, vt superiore quæstione ostendi falsum est. Quare dicendum est nomen naturæ conuenire Deo, & intelligentijs secũdum quod sunt principia motus Physici. Et probatur ratione primo, quia vt iam cõmunis opinio tenet hæc diffinitio naturæ conuenit animæ rationali, in quantum causat

causat actiones corporeas, & Physicas, quæ fiunt ab homine, quanuis ipsa in se sit quid spirituale: ergo similiter, quanuis Deus, & Angeli spirituales sint, tamen prout sunt principia motus Physici habent rationem naturæ. Secundo probatur de omnibus: quia Deus & Intelligentiæ, & anima rationalis sunt entia naturalia de quibus agit Physicus qualiter Aristotel. 8. lib. Physicorum agit de primo motore, Deo scilicet. & de anima rationali tertio libro de anima, & de Intelligentijs sæpe sæpius: ergo si sunt entia naturalia expectantia ad Physicum habent naturam, de qua agit Physicus: ergo ratio naturæ conuenit Deo Intelligentijs, & animæ rationali. Tertio probatur à diffinitione ad diffinitum: quia ista omnia sunt principium, & causa motus, & quietis, eius in quo est primo, & per se, & non accidẽtaliter: ergo sunt natura.

De cęlo autem Themistius, & Albertus hoc loco existimant non conuenire illi definitionem naturæ, quẽ omnes alij Auctores merito reijciunt; tunc quia cęlum verè est ens naturale, & ita debet habere naturam: tum etiam, quia cęlum habet principium sui motus, vt postea dicam: ergo habet naturam: patet, quia natura est principium motus.

Tandem in hac re certum est omnia corpora corruptibilia sublunaria esse naturas quasdam totales: quia vel actiue, vel passiue concurrunt ad suos motus. *Quid certũ*

Solum ergo examinandum restat, vtrum definitio naturæ conueniat materiæ, & formæ, ita quod sint naturæ, saltem partiales. Quidam enim asserunt solam formam substantialem esse naturam non vero materiã. Tenet Simplicius Aberroes, & Albertus hoc loco Alexander Alensis 5. Metaphysicorum capit. 4. sed nihilominus dico primo definitio naturæ tam conuenit materiæ, quàm formæ, materiæ quidem, vt principio passiuo, formæ vero vt principio actiuo, saltem in quibusdam, de quo postea. Est communis sententia quam tenet Simplicius hoc libro textu 3. Albertus titulo 1 capite 3. Niphus 5. Metaphysic. textu 5. & ibidem Diu. Thom. & 1. parte quæstion. 29. articulo primo ad quartum, & quæstione 60. artic. 3. Pereir. 7. Metaphysic. & reliqu *Quid certũ*

liqui expositores hoc libro eamque partem docet Arist. hoc lib. text. 4. dicens: *naturā aut esse subiectum vel in subiecto*: sed materia est subiectum, & forma in subiecto: ergo ratio naturæ, tam conuenit materiæ, quàm formæ. Similia habet textu 7. & 12. Et ratione probatur imprimis de materia: quia cum motus Physicus, imo & omnia alia accidentia recipiantur in materia prima, iam materia est principium motus, saltem passiuum: ergo est natura.

Secundo quia motus cęli est naturalis: sed prouenit ab eius materia, tanquam à principio in quo recipitur: ergo materia natura est.

De forma vero præter loca citata idem docuit Aristotel. 8. Physicorum textu 27. dicens, *Quæ mouentur à se qualia sunt animalia à natura mouentur*: Sed animata mouentur à sua forma tanquam à principio actiuo, vt postea ex communi sententia dicemus: ergo etiam formæ conuenit ratio naturæ. Et hinc sumitur ratio, quia motus naturalis prouenit à natura: sed viuentia mouentur naturaliter à sua anima: ergo etiā forma est natura.

Addendum tamen est cum Aristotel. hoc lib. text. 13. formam esse magis naturam, quàm materiam: quod probat. Quia natura totalis totius compositi principalius prouenit à forma, quàm a materia: forma enim est, quæ vltimate dat esse, & constituit speciem: ergo forma magis est natura, quam materia, tunc etiam: quia materia nunquam est principium actiuum motus Physici, forma vero est principium actiuum: sed principiū actiuum principalius est quam passiuum: ergo forma est magis natura, quam materia.

Dico secundo naturam analogice dici de natura totali & partiali; vniuoce tamen dici naturam partialem de forma & materia. Est communis sententia quam docent Sotus & Toletus hoc libro quæstione prima. Et probatur primo, quia natura totalis est substantia totalis & completa: natura vero partialis est substantia partialis: sed substantia totalis, & partialis in nullo cōueniunt vniuoce, sed substantia partialis dicitur, per habitudinem ad totalē, quā componit, & est imperfecte substantia: ergo natura analogice dicitur de totali, & partiali. Quod vero natura partia-

partialis vniuoce dicatur de materia & forma probatur. Quia esse principium motus ita essentialiter reperitur in materia, sicut in forma, quamuis forma, quia est principiũ actiuum sit perfectior natura quàm materia, hoc tamen non impedit vniuocationem nam etiam homo est præstantior species animalis quam equus, & nihilominus vniuoce conueniunt in ratione animalis: quia solum est perfectior ratione differentiæ cõtra hentis: qua ratione verum est formam esse magis naturam, idest perfectiorem naturam quam materiam.

QVÆSTIO. III.

Quid sit motus naturalis.

Quotmodis dicatur motus. PRo cuius intelligentia aduertẽdum est motum, seu operationem aliquam multis modis posse dici naturalem. Primo sumpto naturali prout condistinguitur contra super naturale. Qua ratione motus quãtuuis violentus potest dici naturalis. Vt quando graue violenter mouetur sursum, quia absq; miraculo talis motus fieri potest.

Secundo aliqua operatio potest dici naturalis sumpto, *naturali*, vt distinguitur contra liberum: qua ratione omnis actio quæ fit absque libertate appellatur naturalis, idest necessaria, etsi violenta sit, vt quando lapis mouetur sursum.

Tertio ergo ad nostrum propositum appellatur aliquis motus, seu operatio naturalis, quando est iuxta exigentiam subiecti in quo est: neque satis est quod sit naturalis respectu agentis, à quo prouenit. Qua ratione quamuis igni naturale sit calefacere, calefactio tamen recepta in aqua non est illi naturalis, quia non est hæc actio, iuxta exigentiam à quæ, debet ergo motus aliquis vt dicatur naturalis esse iuxta exigentiam subiecti in quo est, qui motus opponitur motui violento, hic enim est cõtra naturam subiecti. Dubiũ ergo est quid requiratur ad talem motum naturalem.

Dico primo, vt motus aliquis dicatur naturalis debet esse ab aliquo principio intrinseco, vel actiuo, vel passiuo. In hac conclusione omnes conueniunt. Ratio est, quia ille est motus naturalis, qui est iuxta exigentiam

tiam naturæ ipsius mobilis, ad quem, mobile habet naturalem inclinationem: sed omnes inclinatio naturalis, vel est causa actiua ad causandum motum, qua ratione grauitas causat motum deorsum, vel est passiua ad recipiendum motum: ergo omnis motus naturalis debet esse à principio intrinseco, vel actiuo, vel passiuo.

Assert. 2. Dico secundo, vt motus aliquis sit naturalis non est necessarium quod proueniat à principio intrinseco actiuo sic docuit Sanctus Thomas 1. parte quæstion. 70. articul. 3. Scotus in 2. distinction. 8. quæstion. 1. Antonius Andreas 5. metaph. capit. 4. Sotus & Toletus hoc libro quæst. 2. & probatur ratione. Quia generatio formæ est naturalis materiæ, sicut forma producta per generationem est connaturalis ipsi materiæ: sed materia ad generationem formæ non concurrit actiue; sed passiuè recipiendo formam ab alio genitam: ergo ad motum naturalem non est necessarium quod proueniat à principio intrinseco actiuo. Idem etiam probatur de motu cœli, qui est illi naturalis, & tamen cœlum non habet principium actiuum illius motus, quia mouetur ab Intelligentia.

Assert. 3. Addo tamen quod si contingat motum aliquem esse à principio intrinseco actiuo naturali, erit perfectissimè motus naturalis. Ratio est, quia cum principium actiuum sit præstantius, quàm passiuum, motus, qui prouenit à principio intrinseco actiuo naturali, perfectius dicitur naturalis, quam qui prouenit à principio passiuo naturali.

Dico tertio, vt aliquis motus dicatur naturalis non satis est quod proueniat à principio passiuo, sed tale principium debet esse naturale respectu illius motus, id est: debet habere inclinationem naturalem ad illum motum: patet, quia aliàs omnis motus quantumuis violentus diceretur naturalis. Et probatur, quia quando aqua violenter calefit, vel lapis mouetur sursum, passiue concurrit ad talem motum, cum illum in se recipiat: ergo vt motus aliquis dicatur naturalis debet prouenire à principio intrinseco actiuo, vel passiuo naturali.

Dico quarto inter motum naturalem, & violentum dantur alij motus, qui appellantur præter naturales, quia

Assert. 4. nec sunt iuxta exigentiam mobilis, nec contra illius naturam, sed præter naturam illius. Est communis conclusio: & probatur. Quia quod ignis in suo loco naturali, moueatur circulariter ad raptum cœli, neque est contra eius naturam, cum per talem motum non tendat in corruptionem, neque iuxta exigentiam suæ naturæ, quia talem motum non petit, & ita appellatur motus præter naturalis (si verum est ignem talem habere motum) quod modo non disputo, & fortasse non est ita, tamen ad conclusionem probandam satis est imaginemur dari illum motum.

Vt intelligatur definitio motus violenti. Ex dictis sequitur qualiter sit intelligenda definitio motus violenti, solet enim diffiniri violentum hoc modo, *Violentum est à principio extrinseco passo non conferente vim*, illa enim particula, *non conferente vim*, non debet sumi negatiue, alias motus præter naturalis vere diceretur violentus: quia motus præter naturalis est à principio extrinseco actiuo, & passum ad illum nullam confert vim, i. lest, inclinationem naturalem; quia est præter eius naturam. Debet ergo illa particula, *non conferente vim*, sumi contrarie, idest; passo positiuè resistente ad talem motum; quia est contra eius naturam. Qua ratione graue positiue resistit ad motum sursum per grauitatem quam habet. Ex quibus sequitur quod illi motus qui absolute loquendo sunt violenti, alicui subiecto respectu materiæ primæ sunt naturales v. g. quanuis calefactio sit violenta aquæ, quia destruit illam, tamen præcise respectu materiæ primæ est motus naturalis, quia ordinatur ad introducendam formam ignis, quam materia naturaliter petit. Et idem est de frigefactione: nam cum materia habeat appetitum ad varias formas non mirum est quod actiones contrariæ sint illi naturales, quod non contingit in alia re, quia tantum petit vnicam formam.

Sed instabis sicut materia appetit formam, quam non habet appetitu desiderij, ita appetit formam, quam habet appetitu fruitionis: ergo actio quæ disponit ad nouam formam violenta est materiæ.

Respondetur materiam consi-

considerari dupliciter vno modo prout informatur hac forma, quam appetit appetitu fructionis, & hoc modo actio quæ disponit ad nouam formam est illi violenta: tamen materiæ secundum se consideratæ, qua ratione appetit omnes formas, omnes actiones, quæ disponunt ad tales formas sunt illi naturales, quantumuis contrariæ sint: sicut etiam formę incompossibiles, sunt naturales eidem materiæ.

Dubio. Etsi inquias quare calefactio aquæ sit illi violenta, si quidem si est contraria formæ aquæ, est naturalis materiæ illius? Respondetur causam esse, quia in quolibet composito formà est præstantior materia, & esse talis compositi sumitur principaliter à forma, tanquam ab vltimo cõstitutiuo, & ita quod ratione formæ appellatur violentum, absolutè & simpliciter dicitur illi violentum. Verum est esse alios motus, qui etiam respectu materiæ appellantur præternaturales, qui nec conducunt ad conseruationem, neque ad destructionem alicuius formæ: qualis est motus circularis ignis, ille enim neque formam aliquam conseruat, neque introducit de nouo & ita solum est præternaturalis materiæ ignis: & hæc de hac quæstione.

QVAESTIO. IIII.

Vtrùm motus cœli sit naturalis.

Dupliciter motus distingui potest in corporibus cęlestibus saltem in illis, in quibus resident planetæ v. g. cœlum lunę in communi sententia duplicem habet motum; alterum proprium ab occidenti in Oriẽs; alterum raptum, quo luna mouetur ad raptum orbis superioris ab Orienti in Occidens (Quidquid sit de veritate horum motuum, quod modo non disputo, sed dicam in libro de cœlo) conueniunt omnes motũ raptũ (si reuera in cęlo reperitur) nõ esse naturalem cęlo, sed præter naturalem, aut violentum quia est mere ab extrinseco, nempe ad raptum superioris orbis: solum ergo est difficultas de motu proprio ipsius cęli, an sit illi naturalis.

Prima sententia in hac re negat, quam tenet Auicen. 9. met. capit. 1. Albertus 2. Physic. text. 1. c. 3. Scotus in

I. Sent. 2. distinctione. 2. quæst. 6. Durand. in. 2. distinct. 14. quęst. 2. quorum fundaméta sunt. Ratiões dub. Primo, quia omnis motus naturalis est ad acquirendum locum, aut terminum aliquem naturalem: ideo enim graue mouetur ad centrũ, quia ibi est suus locus naturalis, sed cælum iam est in suo loco naturali: ergo motus cæli nõ est naturalis.

Secundo quia si motus cęli esset illi connaturalis, non indigeret aliqua intelligentia: ergo non est talis motus naturalis.

Tertio quia si motus cæli est naturalis: ergo quies in fine mundi, illi futura, erit illi violenta, quia opponitur motui naturali illius, cõsequens autem falsum est: tũ quia nullum violentum est perpetuũ ex Arist. 1. lib. de cœlo, cœlũ autem post finem mundi in eternum durabit quietum: tũ etiam, quia tunc vt scriptura docet præstantior erit mundi status: ergo talis quies nõ erit violenta cœlo.

Quarto quia violentum est à principio extrinseco passo non conferente vim: sed motus cœli est ab extrinseco nẽpe ab intelligentia, & cœlum ad illũ non confert vim, quia non concurrit actiue ad illũ, sed ab alio mouetur: ergo nõ est motus naturalis. Tandem quia omnis motus naturalis debet esse finitus, quia prouenit à natura, quæ quid finitũ est: sed motus cœli ex Arist. 8. Physicorũ infinitus est, quia secundum illum in æternum durabit ergo.

Vera tamen & cõmunis sententia est motũ cœli esse naturalẽ illi, saltẽ ratione principij passiui, quæ sententia cõmunis est inter expositores Arist. Tenet Philoponus, & Simplitius, & Auerroes hoc loco S. Tho. 1. p. q. 7. art. 3. ad 4. & 3. contra gentes c. 23. & ibidem Ferr. Perei. 7. lib. Phisic. Tolet. hic quæst. 3.

Vnde dico primo, motũ cœli esse illi naturalem probãt hanc conclusionẽ Auctores supra citati ex Arist. 1. lib. de cœlo textu. 5. & 13. vbi ait q. sicut terræ naturale est moueri deorsum, ita cœlo moueri circulariter, & dupliciter probatur primo: quia cœlũ natura sua est causa vniuersalis rerũ corruptibiliũ, quę producũtur in his inferiorib⁹: ergo quidquid perse est necessariũ ad hunc finẽ naturale est ipsi cœlo. Assertio. 1. Patet consequẽtia quia cũ natura nihil agat frustra, quicquid habet inclinationẽ naturalẽ ad aliquẽ finẽ etiã hẽt inclinationẽ ad media natura sua requisita ad islum

ũ finẽ:sed motus localis cęli necessarius est ad hũc finem, nã sole accedẽte ad tale signũ, plãtæ germinãt: accedẽte vero ad aliud signũ contrariũ exicãtur: ergo talis motus naturalis est ipsi cœlo.

Secũdo, quia motus rectus est naturalis alicui corpori: nã motus sursum est naturalis igni, motus vero deorsum terræ: ergo etiã motus circularis debet esse naturalis alicui corpori, nõ alteri, nisi cœlo, vt patet experiẽtia ergo. Tandẽ figura circularis cœli non parũ indicat cœlũ circularẽ motũ postulare: ergo talis mot⁹ naturalis est ipsi cęlo.

Quem motum habeat cælum. Dico secũdo motus cæli nõ est naturalis à principio intrinseco actiuo, sed tãtũ passiuo, quod est dicere cœlũ nõ habere principiũ actiuũ naturale intrinsecũ sui mot⁹, sed tãtũ habere principiũ passiuũ. Hanc cõclusionẽ etiã docent oẽs auctores citati. Cuius ratio est, quia si cœlũ moueretur actiuè à se nõ indigeret intelligẽtia motrice: sed cœlũ tãtũ mouetur actiuè ab intelligẽtia vt cũ Arist. & cõmuni sententia dicã in lib. de cœlo: ergo tãtũ habet principium passiuũ naturale sui motus.

Difficultas. Sed statim oritur difficultas, an tale principiũ passiuũ in cœlo sit sola forma, vel sola materia illius, vel totũ cõpositũ substantiale. Communis sententia asserit totũ cõpositũ esse tale principiũ passiuũ, ita quod non solũ materia, sed etiã forma sit principiũ passiuũ, & receptiuum talis motus. Quã sententiã tuẽtur, qui existimant accidẽtia nõ subiectari immediate in materia prima, sed in toto cõposito quos retulimus. 1. lib. Physicorũ disp. 5. q. penult. in quo consequenter loquũtur: quia tamẽ eodẽ loco nos late ostendimus accidẽtia in sola materia prima subiectari consequẽter nobis dicẽdum est solã materiã primam cœli esse principiũ passiuum naturale ad talẽ motũ: quia cũ talis motus sit accidens in sola materia cœli recipitur tãquã in subiecto, legantur dicta loco allegato.

Illatio. Ex quo infero quod nunquã forma sit principiũ passiuũ motus Physici: quia sola materia recipit accidẽtia phisica; solũ ergo forma solũ est principiũ actiuũ alicuius motus, vel nullo modo est principiũ illius, vt dictũ est de forma cœli. Addo tñ formã cæli esse quasi cõditionẽ requisitã vt materia cœli recipiat talẽ motũ, quia nisi talis materia esset cõiũcta cũ forma cœli, non reciperet talem motum.

Ad

R. ad ratio nis dub.

Ad argumenta cōtrariæ sententiæ respōdetur ad primū qđ quędā mouētur propter bonū propriū, qualia sūt hęc corpora corruptibilia; terra enim mouetur ad cētrū, quia ibi naturaliter cōseruatur: tamen corpora cęlestia, quæ incorruptibilia sunt non mouētur propter bonū propriū, sed propter bonū aliorū, nēpe ad causandū medio motu in his inferioribus generationes, & corruptiones, & ita nō opus est φ cœlū moueatur ad nouū locū, sed in suo loco mouetur propter hæc inferiora.

Ad secūdū quodquāuis motus cœli sit naturalis adhuc indiget Intelligētia motrice, qui tantum habet in se principium passiuum motus non vero actiuum.

Ad tertiū verum esse talem quietē infine mundi futuram, esse violentam cœlo, quia est contra motum naturalem. Quando vero dicitur quod nullum violentum est perpetuū intelligēdū est naturaliter, & absq; miraculo; at vero quies cœli infinè mūdi futura, miraculosa erit.]

Etsi obijcias, quod quanuis vnio animę rationalis ad corpus sit illi naturalis, tū quando est separata à corpore, nō est violenter: ergo similiter quanuis motus cœli sit naturalis, non ideo quies infine mundi futura, erit illi violenta. Respondetur esse longe diuersam rationem: quia anima rationalis, sicut quælibet alia forma corporis petit vniri corpori, existentibus certis quibusdam dispositionibus, quas ex sua natura requirit, & ita illis corruptis non petit vniri corpori, atq; adeò non, est violenter separata à corpore, quādo tales dispositiones iam perierunt: at vero cœlū nullam dispositionem requirit ad suum motum, & ita cessare à tali motu esset illi violentum.

Etsi respūdeas, quod indiget intelligētia mouēte, atq; adeò cessante in fluxu intelligētię nō poterit moueri. Sed cōtra est: quia vt dicā in lib. de cœlo intelligētia nō mouet cœlū media aliqua qualitate prius impressa, sed in fluxus intelligētiæ est ipse motus immediate ab illa causatus, & ita sicut cœlū petit talē motū, ita petit in fluxū intelligentiæ: at vero dispositiones quas anima rationalis requirit ad vnionē cū corpore sunt aliquid distinctū, & præ requisitū ad talē vnionē, quas dispositiones anima rationalis secundum se, & ad suam conseruationē nō petit nisi tātū vt vniatur corpori.

 Ad

Ad quartum motum cœli ideo non esse violentũ, quia quãuis sit à principio extrinseco actiuo, tñ passum cõfert vim aliquam saltem passiuã naturalem ad illum motum, & ita non est violentus.

Ad vltimũ respondetur in literis secundũ fidẽ, motũ cœli non esse infinitũ, quia in fine mundi cessabit, quanuis Arist. falso existimauerit motũ cœli in ęternũ duraturum Cõtra quã adhuc nihil probat ratio illa, quia sicut materia cœli quantũ ad suã entitatem, & essentiã est quid finitum, ita motus cœli in sua entitate, & essentia quid finitum est; tamen sicut natura cœli secundum Arist. erit infinita secũdum durationem, ita nullum esset inconueniẽs quod eius motus esset infinitus secũdum durationem futuram. Solum est quæstio. vtrum natura in viuentibus sit principium motus actiuũ vel passiuũ, idest vtrum viuẽtia moueãtur, à se, vel ab alio.

QVAESTIO. V.

Vtrum natura in viuentibus sit principium motus actiuum, vel passiuũ, idest, vtrum viuentia mouẽtur à se, vel ab alio.

Qvanuis sententia satis cõmunis sit & verissima, animata à seipsis moueri actiue, non tñ dessunt rationes, quæ partẽ hanc difficilem reddant Arist. n. 7. lib. phisi. text. 1. & 2. & 1. lib. de generatione cap. 7. docet ꝙ idem non potest agere in seipsum, & sæpe alibi probat ratione, quod mouetur, ab alio moueri. Et ratione probatur; quia si aliquod creatũ potest moueri à se, sequitur nõ posse ostendi dari Primũ motorem: probatur sequela. Nam tota ratio qua ducti sunt Philosophi ad constituendũ vnicum Primũ motorẽ, qui moueat alia, & ipse à nullo alio moueatur, est, quia sicut omnes res creatæ; & productæ habent esse ab alio, ita debent operari, & moueri ab alio, operari enim sequitur esse, & ita ne concedatur processus infinitũ, concedẽdus est vnicus primus motor qui omnia moueat, & gubernet. Quę ratio prorsus cessat si cõcedamus viuẽtia, aut aliã rẽ creatã moueri à se, quia iam non indigeret. Primo motore mouente illã.

Secundo quia si idẽ pȏt moueri à se ipso, sequitur quod idẽ simul sit in actu, & in potẽtia, atq; adò, ꝙ simul sit, & non

1 Senten... *Locus Ar.* *Rationis dub.*

nõ sit: nam ꝙ est, in actu est: ꝙ vero est in potẽtia, non dũ est, atq; adeò simul esset & nõ esset. Quod vero hoc sequatur probo: quia omne ꝙ operatur debet esse in actu operatiuũ, quia prouenit ab actuali aliquo, id vero ꝙ mouetur passiue debet esse in potẽtia, debet enim habere potentiã passiuã: ergo si idẽ põt moueri à se ipso, sequitur quod simul sit idem in actu & in potentia.

Viuentia à se ipsis actiue mouentur

Nihilominus recepta omniũ sentẽtia est ꝙ viuẽtia moueantur à seipsis actiue, ita ꝙ idẽ viuens sit mouens & motũ, est expressa sentẽtia Arist. 8. lib. Physi. text. 28. & saepe alibi, quem oẽs interpretes sequuntur. Dico primo nõ repugnat idẽ moueri à se ipso, probatur euidenter in motu Angeli eadẽ enim substantia indiuisibilis Angeli mouet se ad talẽ, vel talẽ locũ: ergo etiã non repugnabit idẽ moueri à seipso motu corporeo. Secũdo idẽ probatur de motu augmentationis nã eadem pars viuentis, quę disponendo alimentũ sibi proximũ, cõuertit illũ in propriã substãtiã, eadẽ post cõuersionẽ augetur: ergo etiã motu augmẽtationis idẽ põt mouere se ipsum. Nec placet solutio asserẽtiũ ꝙ viuens auget se actiue ratione partiũ pręexistentiũ, augetur vero ratione partiũ aduenientiũ. Haec in quã solutio falsa est: nã aliud est quaerere quid est ꝙ augetur, aliud vero ratione cuius augetur: quãuis ergo pars praeexistens augeatur ratione partiũ aduenientiũ, de nouo autẽ id ꝙ augetur reuera est pars pręexistens: nã aliquid fieri maius de nouo necessario supponit antea fuisse: ergo reuera eadẽ pars, quę auget, augetur atque adeo eadem pars potest mouere seipsam.

Ex his dico secundo, viuentia mouentur à seipsis actiue. Est communis sententia quã omnes expositores tenent cũ Arist. loco supra allegato, & patet experientia, constat enim animal mouere se prout sibi placet, modo in hanc, modo in illam partem.

Quid aduerti.

Est tamen aduertendũ varios esse motus: nam alius est motus localis: alius vero augmentationis: alius vero alterationis: alius vero generationis: nam etiam generatio est motus, licęt non propriè dictus. Certum ergo est, nullam rẽ posse moueri à seipsa motu generationis, ita vt, idem seipsum generet: quia sequeretur idem simul esse, & non esse: nã vt generet actiue, debet prae existere, agere enim

sed pro fundamento illius relationis, nempe pro eo quod est principium, & causa motus, & hoc quid absolutum est.

Nec placet eorum solutio, qui asserunt, naturam importare relationem, secundum dici, & ita hoc non obstat, quo minus absolute loquendo sit quid absolutum. Hoc, inquam non placet. Quia relatio causæ ad effectum, & principij à principiatū sunt relationes, secundum esse de prædicamento relationis, vt in eodem prædicamento dixi. Ex quibus patet diffinitionem naturæ essentialem esse, & non descriptiuam: quidquid sentiant hoc loco Philoponus, & Ferrariensis intelligatur definitio modo à me explicato, & non pro relationibus. Ratio est quia esse principium, & causam motus per se conuenit naturæ, & non accidentaliter: ergo diffinitio quæ hoc explicat essentialis est. Neque sumitur principium, & causa pro causa in actu, scilicet quæ actu influit in effectum: nam actu causare motum accidentale est naturæ. Sicut actu ridere in homine: sed sumitur pro causa in potentia, ita vt sensus sit: quod natura est causatiua motus, & quietis: nam vt dicunt Logici, verba in diffinitione non dicunt actum, sed aptitudinem.

Ad secundum respondetur negando, quod hæc diffinitio conueniat arti; quia ars saltandi non est principium radicale motus: hoc enim est natura ipsius hominis saltantis: ars vero, est principiū proximū quod dirigit: qualiter ille motus fieri debeat, & ita hæc diffinitio non conuenit arti: quia debet intelligi de principio radicali, & non de principio proximo. Omitto eorum solutionem, qui asserunt habitum qualis est, non concurrere ad actus, quantum ad eorum entitatem, sed quātum ad modum illis superadditum, scilicet quantum ad facilitatem, hoc enim incertum est, & forsam falsum vt dicemus in nostro tractatu de habitibus.

Ad tertium, quod quies duppliciter sumi potest, primo pro mera priuatione motus, & hoc modo non habet causam, quia nihil est: alio modo sumitur propter manentiā mobilis in termino ad quem: qualiter lapis postquam mouetur ad centrum ibi

ibi habet quandam præsentiam permanentem,& quies hoc modo sumpta pro tali per manentia quid reale est, & ita potest habere causam.

Vel secundo respondetur, quod priuatio qualis est quies, quamuis non habeat causam efficientem per influxum realem, habet tamē causam deficientem: nam eadem natura, quæ dum influit in motū, illum causat, dum deficit à tali influxu causat quietem; & ita quies, quæ est quidam defectus, & priuatio motus non habet causam efficientem, sed deficientem.

Ad quartum respondetur, quod illud principium, natura est determinata ad vnum, non significat naturam non posse causare plura. Qualiter natura ignis producit calorem, & siccitatem. Sed sensus est, quod natura operatur determinata ad vnum id est necessario, & non cum libertate ad hoc, vel illud; & ita quamuis natura causet plura, necessario tamen causat, & absque libertate.

Etsi obijcias nam ex hoc sequitur animam rationalem non esse naturam quod est falsum, vt dicemus postea. Sequela vero probatur, quia anima rationalis libere operatur & causat suas actiones motus.

Respondetur, quod anima rationalis potest considerari dupliciter vno modo, vt habet liberum arbitriū, quo libere operatur, & hoc modo proprie loquendo non appellatur natura. Alio modo consideratur secundum, quod operatur actiones aliquas necessario absque libertate & deliberatione, & hoc modo proprie loquendo appellatur natura. Vel secundo, & melius respondetur quod quando dicitur quod natura est determinata ad vnum, idest, quod non operatur libere, sumitur natura vt distinguitur contra liberum: at vero hic sumitur natura prout est principium motus, siue liberum, siue necessarium, & ita anima rationalis, etiam prout libere operatur est natura.

Ad quintum respondetur, quod principium & causa possunt sumi specificatiue, & reduplicatiue, sicut homo, & anima, nam homo tum sumitur specificatiue, quando significat integram essentiam, & speciem hominis & sic inferius essentialiter includit superius, quia superiora sunt de conceptu

 essen-

essentiali inferiorum, & hoc modo causa includit principium; tamen si sumantur reduplicatiue scilicet pro vltimis differentijs, causa non includit principiũ: quia vt ostẽdimus capite de differẽtia differẽtia inferior non includit superiores: & ita quia in hac diffinitione principium & causa sumuntur reduplicatiue pro vltimis differentijs vnum non includit aliud & ita nihil superfluit in hac definitione.

Omitto solutionem asserentium quod principium in hac diffinitione significat priuationem, causa vero significat materiam, & formam, & ita sentiunt priuationem esse naturam, quod ridiculum est: nam cum priuatio sit nihil, nulla natura est.

QVAESTIO II.

Quibus conueniat ratio naturæ.

Nomen naturæ conuenit Deo, & Intellig.

IN hac quæstione plura se se offerunt explicanda, nam primo dubitari potest vtrum ratio naturæ conueniat Deo, & Intelligentijs. Et certum est quod Deus, & Intelligentiæ secundum quod sunt principia actionum spiritualium non sunt natura: quia natura ex omnium sententia debet esse principium non cuiuslibet motus, sed motus Physici: qualis est motus corporeus, & sensibilis, tantum enim agit Physicus de hoc motu, non vero de motu spirituali, & insensibili: solum ergo est dubium an Deus, & Intelligentiæ secundum quod sunt principia motus Physici, v. g. motus localis, sint naturæ. Plures negant existimantes naturam solum dici per hoc quod sit principium motus recepti in eodem subiecto in quo est natura: & quia in Deo, & intelligentijs cum spirituales sint non potest recipi aliquis motus corporeus, & Physicus, ideo asserunt rationem naturæ non conuenire Deo & intelligentijs: hoc tamen fundamẽtum, vt superiore quæstione ostendi falsum est. Quare dicendum est nomen naturæ conuenire Deo, & intelligentijs secũdum quod sunt principia motus Physici. Et probatur ratione primo, quia vt iam cõmunis opinio tenet hæc diffinitio naturæ conuenit animæ rationali, in quantum causat

causat actiones corporeas, & Physicas, quae fiunt ab homine, quanuis ipsa in se sit quid spirituale: ergo similiter, quanuis Deus, & Angeli spirituales sint, tamen prout sunt principia motus Physici habent rationem naturae. Secundo probatur de omnibus: quia Deus & Intelligentiae, & anima rationalis sunt entia naturalia de quibus agit Physicus qualiter Aristotel. 8. lib. Physicorum agit de primo motore, Deo scilicet. & de anima rationali tertio libro de anima, & de Intelligentijs saepe saepius: ergo si sunt entia naturalia expectantia ad Physicum habent naturam, de qua agit Physicus: ergo ratio naturae conuenit Deo Intelligentijs, & animae rationali. Tertio probatur à diffinitione ad diffinitum: quia ista omnia sunt principium, & causa motus, & quietis, eius in quo est primo, & per se, & non accidetaliter: ergo sunt natura.

De cęlo autem Themistius, & Albertus hoc loco existimant non conuenire illi definitionem naturae, quē omnes alij Auctores merito reijciunt; tunc quia cęlum verè est ens naturale, & ita debet habere naturam: tum etiam, quia cęlum habet principium sui motus, vt postea dicam: ergo habet naturam patet, quia natura est principium motus.

Tandem in hac re certum est omnia corpora corruptibilia sublunaria esse naturas quasdam totales: quia vel actiue, vel passiue concurrunt ad suos motus. *Quid certū*

Solum ergo examinandum restat, vtrum definitio naturae conueniat materiae, & formae, ita quod sint naturae, saltem partiales. Quidam enim asserunt solam formam substantialem esse naturam non vero materiā. Tenet Simplicius Aberroes, & Albertus hoc loco Alexander Alensis 5. Metaphysicorum capit. 4. sed nihilominus dico primo: definitio naturae tam conuenit materiae, quàm formae, materiae quidem, vt principio passiuo, formae vero vt principio actiuo, saltem in quibusdam, de quo postea. Est communis sententia quam tenet Simplicius hoc libro textu 3. Albertus titulo 1 capite 3. Niphus 5. Metaphysic. textu 5. & ibidem Diu. Thom. & 1. parte quaestion. 29. articulo primo ad quartum, & quaestione 60. artic. 3. Pereir. 7. Metaphysic. & reliqu *Quid certū*

liqui expositores hoc libro, eamque partem docet Arist. hoc lib. text. 4. dicens: *naturā aut esse subiectum vel in subiecto*: sed materia est subiectum, & forma in subiecto: ergo ratio naturæ, tam conuenit materiæ, quàm formæ. Similia habet textu 7. & 12. Et ratione probatur imprimis de materia: quia cum motus Physicus, imo & omnia alia accidentia recipiantur in materia prima, iam materia est principium motus, saltem passiuum: ergo est natura.

Secundo quia motus celi est naturalis: sed prouenit ab eius materia, tanquam à principio in quo recipitur: ergo materia natura est.

De forma vero præter loca citata idem docuit Aristotel. 8. Physicorum textu 27. dicens, *Quæ mouentur à se qualia sunt animalia à natura mouentur*: Sed animata mouentur à sua forma tanquam à principio actiuo, vt postea ex communi sententia dicemus: ergo etiam formæ conuenit ratio naturæ. Et hinc sumitur ratio, quia motus naturalis prouenit à natura: sed viuentia mouentur naturaliter à sua anima: ergo etiā forma est natura.

Addendum tamen est cum Aristotel. hoc lib. text. 13. formam esse magis naturam, quàm materiam: quod probat. Quia natura totalis totius compositi principalius prouenit à forma, quàm a materia: forma enim est, quæ vltimate dat esse, & constituit speciem: ergo forma magis est natura, quam materia, tunc etiam: quia materia nunquam est principium actiuum motus Physici, forma vero est principium actiuum: sed principiū actiuum principalius est, quam passiuum: ergo forma est magis natura, quam materia.

Dico secundo naturam analogice dici de natura totali & partiali; vniuoce tamen dici naturam partialem de forma & materia. Est communis sententia quam docent Sotus & Toletus hoc libro quæstione prima. Et probatur primo, quia natura totalis est substantia totalis & completa: natura vero partialis est substantia partialis: sed substantia totalis, & partialis in nullo cōueniunt vniuoce, sed substantia partialis dicitur, per habitudinem ad totalē, quā componit, & est imperfecte substantia: ergo natura analogice dicitur de totali, & partiali. Quod vero natura partia-

partialis vniuoce dicatur de materia & forma probatur. Quia esse principium motus ita essentialiter reperitur in materia, sicut in forma, quamuis forma, quia est principiũ actiuum sit perfectior natura quàm materia, hoc tamen non impedit vniuocationem nam etiam homo est præstantior species animalis quam equus, & nihilominus vniuoce conueniunt in ratione animalis: quia solum est perfectior ratione differentiæ cõtra hentis: qua ratione verum est formam esse magis naturam, idest perfectiorem naturam quam materiam.

QVÆSTIO. III.

Quid sit motus naturalis.

Quotmodus dicatur motus.

PRo cuius intelligentia aduertẽdum est motum, seu operationem aliquam multis modis posse dici naturalem. Primo sumpto naturali prout condistinguitur contra super naturale. Qua ratione motus quãtuuis violentus potest dici naturalis. Vt quando graue violenter mouetur sursum, quia absq; miraculo talis motus fieri potest.

Secundo aliqua operatio potest dici naturalis sumpto, *naturali*, vt distinguitur contra liberum: qua ratione omnis actio quæ fit absque libertate appellatur naturalis, idest necessaria, etsi violenta sit, vt quando lapis mouetur sursum.

Tertio ergo ad nostrum propositum appellatur aliquis motus, seu operatio naturalis, quando est iuxta exigentiam subiecti in quo est: neque satis est quod sit naturalis respectu agentis, à quo prouenit. Qua ratione quan uis igni naturale sit calefacere, calefactio tamen recepta in aqua non est illi naturalis, quia non est hæc actio, iuxta exigentiam à quæ, debet ergo motus aliquis vt dicatur naturalis esse iuxta exigentiam subiecti in quo est, qui motus opponitur motui violento, hic enim est cõtra naturam subiecti. Dubiũ ergo est quid requiratur ad talem motum naturalem.

Dico primo, vt motus aliquis dicatur naturalis debet esse ab aliquo principio intrinseco, vel actiuo, vel passiuo. In hac conclusione omnes conueniunt. Ratio est, quia ille est motus naturalis, qui est iuxta exigentiam

tiam naturæ ipsius mobilis, ad quem mobile habet naturalem inclinationem: sed omnes inclinatio naturalis, vel est causa actiua ad causandum motum, qua ratione grauitas causat motum deorsum, vel est passiua ad recipiendum motum: ergo omnis motus naturalis debet esse à principio intrinseco, vel actiuo, vel passiuo.

Assert. 2. Dico secundo, vt motus aliquis sit naturalis non est necessarium quod proueniat à principio intrinseco actiuo sic docuit Sanctus Thomas 1. parte quæstion. 70. articul. 3. Scotus in 2. distinction. 8. quæstion. 1. Antonius Andreas 5. met. capit. 4. Sotus & Toletus hoc libro quæst. 2. & probatur ratione. Quia generatio formæ est naturalis materiæ, sicut forma producta per generationem est connaturalis ipsi materiæ: sed materia ad generationem formæ non concurrit actiuè, sed passiuè recipiendo formam ab alio genitam: ergo ad motum naturalem non est necessarium quod proueniat à principio intrinseco actiuo. Idem etiam probatur de motu cœli, qui est illi naturalis, & tamen cœlum non habet principium actiuum illius motus, quia mouetur ab Intelligentia.

Assert. 3. Addo tamen quod si contingat motum aliquem esse à principio intrinseco actiuo naturali, erit perfectissimè motus naturalis. Ratio est, quia cum principium actiuum sit præstantius, quàm passiuum, motus, qui prouenit à principio intrinseco actiuo naturali, perfectius dicitur naturalis, quam qui prouenit à principio passiuo naturali.

Dico tertio, vt aliquis motus dicatur naturalis non satis est quod proueniat à principio passiuo, sed tale principium debet esse naturale respectu illius motus, id est: debet habere inclinationem naturalem ad illum motum: patet, quia aliàs omnis motus quantumuis violentus diceretur naturalis. Et probatur, quia quando aqua violenter calesit, vel lapis mouetur sursum, passiue concurrit ad talem motum, cum illum in se recipiat: ergo vt motus aliquis dicatur naturalis debet prouenire à principio intrinseco actiuo, vel passiuo naturali.

Dico quarto inter motum naturalem, & violentum datur alij motus, qui appellantur præter naturales; quid nec

Assert. 4. nec sunt iuxta exigentiam mobilis, nec contra illius naturam, sed præter naturam illius. Est communis conclusio: & probatur. Quia quod ignis in suo loco naturali, moueatur circulariter ad raptum cęli, neque est contra eius naturam, cum per talem motum non tendat in corruptionem, neque iuxta exigentiam suæ naturæ, quia talem motum non petit, & ita appellatur motus præter naturalis (si verum est ignem talem habere motum) quod modo non disputo, & fortasse non est ita, tamen ad conclusionem probandam satis est imaginemur dari illum motum.

Vt intelligatur definitio motus violenti. Ex dictis sequitur qualiter sit intelligenda definitio motus violenti, solet enim diffiniri violentum hoc modo, *Violentum est à principio extrinseco passo non conferente vim*, illa enim particula, *non conferente vim*, non debet sumi negatiue, alias motus præter naturalis vere diceretur violentus: quia motus præter naturalis est à principio extrinseco actiuo, & passum ad illum nullam confert vim, i[d]est, inclinationem naturalem; quia est præter eius naturam. Debet ergo illa particula, *non conferente vim*, sumi contrarie, idest; passo positiuè resistente ad talem motum; quia est contra eius naturam. Qua ratione graue positiue resistit ad motum sursum per grauitatem quam habet. Ex quibus sequitur quod illi motus qui absolute loquendo sunt violenti, alicui subiecto respectu materiæ primæ sunt naturales v. g. quamuis calefactio sit violenta aquæ, quia destruit illam, tamen præcise respectu materiæ primæ est motus naturalis, quia ordinatur ad introducendam formam ignis, quam materia naturaliter petit. Et idem est de frigefactione: nam cum materia habeat appetitum ad varias formas non mirum est quod actiones contrariæ sint illi naturales, quod non contingit in alia re, quia tantum petit vnicam formam.

Sed instabis sicut materia appetit formam, quam non habet appetitu desiderij, ita appetit formam, quam habet appetitu fruitionis: ergo actio quæ disponit ad nouam formam violenta est materiæ.

Respondetur materiam consi-

considerari dupliciter vno modo prout informatur hac forma, quam appetit appetitu fructionis, & hoc modo actio quæ disponit ad nouam formam est illi violenta: tamen materiæ secundum se consideratæ, qua ratione appetit omnes formas, omnes actiones, quæ disponunt ad tales formas sunt illi naturales, quantumuis contrariæ sint: sicut etiam formę incompossibiles, sunt naturales eidem materiæ.

Dubio. Etsi inquias quare calefactio aquæ sit illi violenta, si quidem si est contraria formæ aquæ, est naturalis materiæ illius? Respondetur causam esse, quia in quolibet composito formà est præstantior materia, & esse talis compositi sumitur principaliter à forma, tanquam ab vltimo cõstitutiuo, & ita quod ratione formæ appellatur violentum, absolutè & simpliciter dicitur illi violentum. Verum est esse alios motus, qui etiam respectu materiæ appellantur præternaturales, qui nec conducunt ad conseruationem, neque ad destructionem alicuius formæ: qualis est motus circularis ignis, ille enim neque formam aliquam conseruat, neque introducit de nouo & ita solum est præternaturalis materiæ ignis: & hæc de hac quæstione.

QVAESTIO. IIII.

Vtrùm motus cœli sit naturalis.

Dupliciter motus distingui potest in corporibus cœlestibus saltem in illis, in quibus resident planetæ v. g. cœlum lunę in communi sententia duplicem habet motum; alterum proprium ab occidenti in Oriẽs, alterum raptum, quo luna mouetur ad raptum orbis superioris ab Orienti in Occidens (Quidquid sit de veritate horum motuum, quod modo non disputo, sed dicam in libro de cœlo) conueniunt omnes motũ raptũ (si reuera in cęlo reperitur) nõ esse naturalem cęlo, sed præter naturalem, aut violentum quia est mere ab extrinseco, nempe ad raptum superioris orbis: solum ergo est difficultas de motu proprio ipsius cęli, an sit illi naturalis.

Prima sententia in hac re negat, quam tenet Auicen. 9. met. capit. 1. Albertus 2. Physic. text. 1. c. 3. Scotus in

I.Sent. 2.distinctione.2.quæst.6.Durand.in.2.distinct.14.quæst.2. quorum fundaméta sunt. Primo,quia omnis motus naturalis est ad acquirendum locum,aut terminum aliquem naturalem:ideo enim graue mouetur ad centrũ, quia ibi est suus locus naturalis, sed cælum iam est in suo loco naturali:ergo motus cæli nõ est naturalis.

Rationes dub.

Secundo quia si motus cæli esset illi connaturalis,non indigeret aliqua intelligentia: ergo non est talis motus naturalis.

Tertio quia si motus cæli est naturalis:ergo quies infine mundi,illi futura,erit illi violenta,quia opponitur motui naturali illius,cõsequens autem falsum est:tũ quia nullum violentum est perpetuũ ex Arist.1.lib.de cœlo, cœlũ autem post finem mundi in eternum durabit quietum:tũ etiam,quia tunc vt scriptura docet præstantior erit mundi status:ergo talis quies nõ erit violenta cœlo.

Quarto quia violentum est à principio extrinseco passo non conferente vim:sed motus cœli est ab extrinseco nẽpe ab intelligentia,& cœlum ad illũ non confert vim,quia non concurrit actiue ad illũ, sed ab alio mouetur:ergo nõ est motus naturalis. Tandem quia omnis motus naturalis debet esse finitus,quia prouenit à natura,quæ quid finitũ est:sed motus cœli ex Arist. 8. Physicorũ infinitus est, quia secundum illum in æternum durabit ergo.

Vera tamen & cõmunis sententia est motũ cœli esse naturalé illi, saltẽ ratione principij passiui,quæ sententia cõmunis est inter expositores Arist. Tenet Philoponus, & Simplitius,& Auerroes hoc loco S.Tho.1.p.q.7.art.3.ad 4.&.3.contra gentes c.23. & ibidem Ferr.Perci.7.lib.Phisic.Tolet.hic quæst.3.

Vnde dico primò,motũ cœli esse illi naturalem probát hanc conclusionẽ Auctores supra citati ex Arist.1.lib.de cœlo textu.5.&.13.vbi ait q sicut terræ naturale est moueri deorsum,ita cœlo moueri circulariter,&dupliciter probatur primo:quia cœlũ natura sua est causa vniuersalis rerũ corruptibiliũ,quę producũtur in his inferiorib⁹: ergo quidquid perse est necessariũ ad hunc finẽ naturale est ipsi cœlo. Patet consequẽtia quia cũ natura nihil agat frustra,quicquid habet inclinationẽ naturalẽ ad aliquẽ finẽ etiã hẽt inclinationẽ ad media natura sua requisita ad il- Assertio.I.

ũ finẽ: sed motus localis cœli necessarius est ad hũc finem, nã sole accedẽte ad tale signũ, plã[illegible]æ germinãt: accedẽte vero ad aliud signũ contrariũ exicãtur: ergo talis motus naturalis est ipsi cœlo.

Secũdo, quia motus rectus est naturalis alicui corpori: nã motus sursum est naturalis igni, motus vero deorsum terræ: ergo etiã motus circularis debet esse naturalis alicui corpori, nõ alteri, nisi cœlo, vt patet experiẽtia ergo. Tandẽ figura circularis cœli non parũ indicat cœlũ circularẽ motũ postulare: ergo talis mot⁹ naturalis est ipsi cœlo.

Quem motum habeat cælum. Dico secũdo motus cæli nõ est naturalis à principio intrinseco actiuo, sed tãtũ passiuo, ꝙ est dicere cœlũ nõ habere principiũ actiuũ naturale intrinsecũ sui mot⁹, sed tãtũ habere principiũ passiuũ. Hanc cõclusionẽ etiã docent oẽs auctores citati. Cuius ratio est, quia si cœlũ moueretur actiuè à se nõ indigeret intelligẽtia motrice: sed cœlũ tãtũ mouetur actiuè ab intelligẽtia vt cũ Arist. & cõmuni sentẽtia dicã in lib. de cœlo: ergo tãtũ habet principium passiuũ naturale sui motus.

Difficultas. Sed statim oritur difficultas, an tale principiũ passiuũ in cœlo sit sola forma, vel sola materia illius, vel totũ cõpositũ substantiale. Communis sententia asserit totũ cõpositũ esse tale principiũ passiuũ, ita quod non solũ materia, sed etiã forma sit principiũ passiuũ, & receptiuum talis motus. Quã sententiã tuẽtur, qui existimant accidẽtia nõ subiectari immediate in materia prima, sed in toto cõposito quos retulimus. 1. lib. Physicorũ disp. 5. q. penult. in quo consequenter loquũtur: quia tamẽ eodẽ loco nos late ostendimus accidẽtia in sola materia prima subiectari consequẽter nobis dicẽdum est solã materiã primam cœli esse principiũ passiuum naturale ad talẽ motũ: quia cũ talis motus sit accidens in sola materia cœli recipitur tãquã in subiecto, legantur dicta loco allegato.

Illatio. Ex quo infero quod nunquã forma sit principiũ passiuũ motus Physici: quia sola materia recipit accidẽtia phisica; solũ ergo forma solũ est principiũ actiuũ alicuius motus, vel nullo modo est principiũ illius, vt dictũ est de forma cœli. Addo tñ formã cœli esse quasi cõditionẽ requisitã vt materia cœli recipiat talẽ motũ, quia nisi talis materia esset cõiũcta cũ forma cœli, non reciperet talem motum.

Ad

R. ad ratio nes dub.

Ad argumenta cõtrariæ sententiæ respõdetur ad primũ qđ quędã mouẽtur propter bonũ propriũ, qualia sũt hęc corpora corruptibilia, terra enim mouetur ad cẽtrũ, quia ibi naturaliter cõseruatur: tamen corpora cęlestia, quæ incorruptibilia sunt non mouẽtur propter bonũ propriũ, sed propter bonũ aliorũ, nẽpe ad causandũ medio motu in his inferioribus generationes, & corruptiones, & ita nõ opus est ꝙ cœlũ moueatur ad nouũ locũ, sed in suo loco mouetur propter hæc inferiora.

Ad secũdũ quodquãuis motus cœli sit naturalis adhuc indiget Intelligẽtia motrice, qui tantum habet in se principium passiuum motus non vero actiuum.

Ad tertiũ verum esse talem quietẽ infine mundi futuram, esse violentam cœlo, quia est contra motum naturalem. Quando vero dicitur quod nullum violentum est perpetuũ intelligẽdũ est naturaliter, & absq; miraculo; at vero quies cœli infinè mũdi futura, miraculosa erit.]

Illatio

Etsi obijcias, quod quanuis vnio animę rationalis ad corpus sit illi naturalis, tũ quando est separata à corpore, nõ est violenter: ergo similiter quanuis motus cœli sit naturalis, non ideo quies infine mundi futura, erit illi violenta. Respondetur esse longe diuersam rationem: quia anima rationalis, sicut quælibet alia forma corporis petit vniri corpori, existentibus certis quibusdam dispositionibus, quas ex sua natura requirit, & ita illis corruptis non petit vniri corpori, atq; adeò non, est violenter separata à corpore, quãdo tales dispositiones iam perierunt: at vero cœlũ nullam dispositionem requirit ad suum motum, & ita cessare à tali motũ esset illi violentum.

Etsi respũdeas, quod indiget intelligẽtia mouẽte, atq; adeò cessante in fluxu intelligẽtię nõ poterit moueri. Sed cõtra est: quia vt dicã in lib. de cœlo intelligẽtia nõ mouet cœlũ media aliqua qualitate prius impressa, sed influxus intelligẽtiæ est ipse motus immediate ab illa causatus, & ita sicut cœlũ petit talẽ motũ, ita petit influxũ intelligentiæ: at vero dispositiones quas anima rationalis requirit ad vnionẽ cũ corpore sunt aliquid distinctũ, & prærequisitũ ad talẽ vnionẽ, quas dispositiones anima rationalis secundum se, & ad suam conseruationẽ nõ petit nisi tãtũ vt vniatur corpori.

Ad quartum motum cœli ideo non esse violentũ, quia quãuis sit à principio extrinseco actiuo, tñ passum cõfert vim aliquam saltem passiuã naturalem ad illum motum, & ita non est violentus.

Ad vltimũ respondetur in literis secundũ fidẽ, motũ cęli non esse infinitũ, quia in sine mundi cessabit, quanuis Arist. falso existimauerit motũ cœli in ęternũ duraturum Cõtra quã adhuc nihil probat ratio illa, quia sicut materia cœli quantũ ad suã entitatem, & essentiã est quid finitum, ita motus cœli in sua entitate, & essentia quid finitum est; tamen sicut natura cœli secundum Arist. erit infinita secũdum durationem, ita nullum esset inconueniẽs quod eius motus esset infinitus secũdum durationem futuram. Solum est quæstio. vtrum natura in viuentibus sit principium motus actiuũ vel passiuũ, idest vtrum viuẽtia moueãtur, à se, vel ab alio.

QVAESTIO. V.

Vtrum natura in viuentibus sit principium motus actiuum, vel passiuũ, idest, vtrum viuentia mouẽãtur á se, vel ab alio.

Qvanuis sententia satis cõmunis sit & verissima, animata à seipsis moueri actiue, non tñ dessunt rationes, quæ partẽ hanc difficilem reddant Arist. n. 7. lib. phisi. text. 1. & 2. & 1. lib. de generatione cap. 7. docet ꝙ idem non potest agere in se ipsum, & sæpe alibi probat ratione, quod mouetur, ab alio moueri. Et ratione probatur; quia si aliquod creatũ potest moueri à se, sequitur nõ posse ostendi dari Primũ motorem: probatur sequela. Nam tota ratio qua ducti sunt Philosophi ad constituendũ vnicum Primũ motorẽ, qui moueat alia, & ipse à nullo alio moueatur, est, quia sicut omnes res creatæ; & productæ habent esse ab alio, ita debent operari, & moueri ab alio, operari enim sequitur esse, & ita ne concedatur processus infinitũ, concedẽdus est vnicus primus motor qui omnia moueat, & gubernet. Quę ratio prorsus cessat si cõcedamus viuẽtia, aut aliã rẽ creatã moueri à se, quia iam non indigeret. Primo motore mouente illã.

Secundo quia si idẽ põt moueri à se ipso, sequitur quod idẽ simul sit in actu, & in potẽtia, atq; adò, ꝙ simul sit, & non

1. Sent.

Locus Ar.

Rationis dub.

nõ sit: nam ꝙ est, in actu est: ꝙ vero est in potẽtia, non dũ est, atq; adeò simul esset & nó esset. Quod vero hoc sequatur probo: quia omne ꝙ operatur debet esse in actu operatiuũ, quia prouenit ab actuali aliquo, id vero ꝙ mouetur passiuè debet esse in potẽtia, debet enim habere potentiã passiuã: ergo si idẽ põt moueri à se ipso, sequitur quod simul sit idem in actu & in potentia.

Viuentia à se ipsis actiue mouentur

Nihilominus recepta omniũ sentẽtia est ꝙ viuẽtia moueantur à seipsis actiue, ita ꝙ idẽ viuens sit mouens & motũ, est expressa sentẽtia Arist. 8. lib. Physi. text. 28. & sæpe alibi, quem oẽs interpretes sequuntur. Dico primo nó repugnat idẽ moueri à se ipso, probatur euidenter in motu Angeli eadẽ enim substantia indiuisibilis Angeli mouet se ad talẽ, vel talẽ locũ: ergo etiã non repugnabit idẽ moueri à seipso motu corporeo. Secũdo idẽ probatur de motu augmentationis nã eadem pars viuentis, quę disponendo alimentũ sibi proximũ, cõuertit illũ in propriã substãtiã, eadẽ post cõuersionẽ augetur: ergo etiã motu augmẽtationis idẽ põt mouere se ipsum. Nec placet solutio asserẽtiũ ꝙ viuens auget se actiue ratione partiũ prexistentiũ, augetur vero ratione partiũ aduenientiũ. Hæc inquã solutio falsa est: nã aliud est quærere quid est ꝙ augetur, aliud vero ratione cuius augetur: quãuis ergo pars præexistens augeatur ratione partiũ aduenientiũ, de nouo autẽ id ꝙ augetur reuera est pars prexistens: nã aliquid fieri maius de nouo necessario supponit antea fuisse: ergo reuera eadẽ pars, quę auget, augetur atque adeo eadem pars potest mouere seipsam.

Quid aduert.

Ex his dico secundo, viuentia mouentur à seipsis actiue. Est communis sententia quã omnes expositores tenent cũ Arist. loco supra allegato, & patet experientia, constat enim animal mouere se prout sibi placet, modo in hanc, modo in illam partem.

Est tamen aduertendũ varios esse motus: nam alius est motus localis: alius vero augmentationis: alius vero alterationis: alius vero generationis: nam etiam generatio est motus, licẽt non propriè dictus. Certum ergo est, nullam rẽ posse moueri à seipsa motu generationis, ita vt, idem seipsum generet: quia sequeretur idem simul esse, & non esse: nã vt generet actiue, debet præ existere, agere enim

supponit esse, at vero, vt generetur debet antea non fuisse: nam quod antea fuit non generatur de nouo: si ergo idem posset seipsum generare, idem simul esset, & non esset. De motu vero augmentationis certum est viuentia augeri à seipsis actiue: nam per propriam virtutem augmentatiuam conuertunt alimētū in propriam substātiam. Vtrū vero motu alterationis idem posset seipsum alterare dicemus. 1. lib. de generatione, vbi late disputatur de alteratione, in hac ergo quæstione præcipue solum est quæst. de motu locali, an viuentia moueantur à se.

Nec placet fere cōmunis sententia afferentium, quod quamuis viuētia moueantur à se, tamē non est eadem pars mouens & mota, sed afferunt debere distingui partem perse mouētem a parte perse mota: Sicut in naui instrumentū, quo mouetur nauis, per accidens mouetur ad motum ipsius: ita afferunt partem perse mouētem in animali esse cor reliquas vero partes esse perse motas. Cui sententiæ fauere, videtur Arist. 8. Phys. tex. 42, vbi docet in motu debere distingui partem mouētem & motam.

Hæc in quam sententia quā hoc tēpore plurimi sequūtur omnino falsa est: quia eadem entitas indiuisibilis potest esse per se mouens & perse mota, vt dixi de substātia Angeli mouēte se adhūc, vel illū locū: ergo nō oportet distinguere partē mouentē à parte per se mota Similiter eadē volūntas, quæ se mouet ad eliciēdū suum actū, eadem est prorsus perse mota, & recipit suū actū immanētē, cū tñ sit potentia indiuisibilis, quæ est spiritualis, & idem intellectus possibilis, qui se mouet ad intelligēdum, idem est perse motus & recipit suam intellectionē, cum sit actio immanens.

Etsi respondeas intellectū esse perse mouentē mediante specie intelligibili, secūdū se vero in quātū illā recipit esse per se motū. Cōtra instari potest: nā eadē ratione eadē pars ratione virtutis motiuæ, quā habet poterit esse per se mouens, eadē vero ratione potētiæ passiuæ ad motū poterit esse per se mota: ergo non requiritur realis distintio inter partē per se mouētē & per se motā, sed satis est distintio rationis in ratione mouētis, & moti.

Tertio idē euidēter patet in motu augmētationis, vbi vt vidimus eadē pars, quæ effectiuè augetur conuertēdo actiue-

ue alimētū in propriā substātiā, eadē est, quæ augetur, nō vero pars aduemens: nā quā uis pars adueniens sit id, ratione cuius dicitur augeri, tñ reuera id q augetur pars, preexistens est.

Tandē quarto hoc ipsum probatur: nā incōueniēs q au ctores cōtrarij inferunt, nēpe quod eadē pars esset in actu, & in potētia nullū est, vt dicā in solutione secūdæ rationis dubitādi. Id etiā q hæc sentē tia asserit, in viuētibus cor esse partē per se mouētē, alias vero partes esse per se motas, si intelligāt, quasi radicaliter, & remotē cor esse per se mouens in quantū tātū ab illo deriuantur spiritus requisiti ad operationes nostras, verū est, & ita experimur cessante motu cordis, etiā alias corporis operatio nes cessare, tñ hoc est mouere nimis remote. Si tñ asserāt cor per seipsum, & quasi immediate actiue mouere omnia mēbra, illius, quasi mere passiuē se habētib⁹, falsum est: nā cū cor loco distet a pede, & capite nō pōt quidē per seipsum causare tales motus, Idq; est omnino gratis dictū, cū omnia mēbra habeāt virtutē loco motiuā sufficiētē ad mouēdū se. Idē etiā dicēdum est de ipso corde, & ita nō mouetur à generāte vt auctores cōtrarij fingunt. Quod vero Arist. loco allegato asserit, in eo q à se mouetur distinctā esse partē per se mouētē à parte per se mota, nō debet intelligi de parte integrali, sed de partibus essentialibus, ita q forma substātialis media virtute motiua sit mouēs, materia vero dicatur pars per se mota, in quātū totū cōpositū dicitur recipere motū ratione materiæ, omnia.n. accidētia corpore vt supra vidim⁹ recipiūtur immediate in materia prima.

Deinde ad rationes dubitādi in principio quæstionis adductas respōdetur. Ad primū locū Aris. q quādo asserit omne q mouetur ab alio moueri loquitur tāquā à primo mouēte, qđ nō tollit, quo minus aliquid vt causa secunda possit mouere seipsum: quia quāuis se moueat, semper operatur dependenter à Deo tanquam a primo motore, tamen reuera se mouet. Sicut quamuis Deus concurrat cum igne ad calefaciendum, tamen vere dicimus ignem calefacere. Quando vero Aristot. 1. libr. de generatione capit. 7. ait quod idem non potest agere in se ipsum, non loquitur actione perfectiua, qualiter intellectus possibilis media intellectione producit verbum in se ipso actione perfectiua; sed

Ad primum Ari. li.

Ad alium loc.

sed loquitur actione corruptiua, de quo latius suo loco.

Ad primam rationē respondetur ꝙ quanuis aliquid moueatur a se, optimē probatur debere dari vnicum Primum motorē, quia quāuis animata à seipsis moueantur, semper tñ indigent concursu Dei, & ita optime probatur debere dari vnicum primū mouens quod omnia moueat.

Ad secundā respondet optime Sco. in. 1. d. 3. q. 7. ad argumenta pro secunda opinione quod aliquid dupliciter pōt esse in actu; nēpe, vel in actu formali, vel in actu virtuali, respectu alicuius rei: tunc est in actu formali, quando formaliter, & in actu habet rem illā, vt ignis est in actu formali per calorē, quia formaliter habet calorē, tūc vero res aliqua est in actu virtuali in alio, quando formaliter non habet illā rē, sed habet virtutē ad producendā illam. Qualiter calor non est in sole in actu formali, cœlū enim non habet formaliter calorem, tamen est calor in sole in actu virtuali, quia medio lumine quod habet, habet virtutem ad producendum calorem in alio. Similiter in potētia pōt esse aliquid duobus modis, scilicet in potentia formali, & in potentia virtuali. Tunc

Vt intelligatur esse in actu formali, & in actu virtuali, &c.

est in potentia formali, quando formaliter non habet illā rem, tamen potentialiter illā habet, & ita potentia formalis saltē cōsequenter dicit carentiam rei ad quam est potē tia. Tunc vero aliquid est in potentia virtuali quando nō habet actum virtualē, habet tñ potentiam ad habendum illum. Qua ratione intellect⁹ antequā habeat speciem intelligibilē continet intellectionem in potētia virtuali, quia potest habere speciem intelligibilē, in qua tanquam in actu virtuali, & in causa proxima continetur intellectio.

Illatio advertenda.

Ex quo fit quod non repugnat aliquid esse in potentia formali, & in actu virtuali. Qua ratione intellectus informatus specie intelligibili est in actu virtuali respectu intellectionis, quia habet virtutem ad intelligendum, ēst tamen in potentia formali, quia nondum formaliter habet intellectionem. Postea vero, quando iam in actu intelligit non est in potentia formali, quia nō habet priuationē intellectionis, sed potius est in actu formali. Similiter ergo quę mouētur à se sūt in actu virtuali, quia habētvirtuté vt se moueāt; & in pōa formali, quia nōdū actu se mouent.

uent quādo vero actu mouē-tur iā nō sunt in potētia, sed in actu formali, & nomine potentiæ intelligimus potentiā priuatam actu, nam quod aliquid sit simul in actu & in potētia reducta ad actum, nullum est inconueniēs, imò est necessariū quod quando actus est, sit potentia reducta ad actū: quæ doctrina maximè aduertenda est ad soluendas plures, alias difficultates.

Ex quo sequitur quod causa vniuoca est in actu formali ad operandum, vt quando calidum producit aliud calidum in actu formali habet calorem: causa vero æquiuoca solum est in actu virtuali ad operandum, vt quādo Sol producit calorem virtualiter habet calorem.

Illud aduertendo

Sed contra hanc doctrinā plura obijci possunt: Primo quia inter actus formales plures ex illis sunt perfectiui & nō corruptiui, qualiter lumē est qualitas perfectiua & non corruptiua aeris: ergo isti actus formales perfectiui non destruunt potentiam formalem; aliàs iam essent destructiui, & non perfectiui: ergo non repugnat eandem rem simul esse in actu formali & in potentia formali.

Secundo quia quod est in actu virtuali, si aliàs habet capacitatem ad recipiendum effectum: qualiter viuentia possunt recipere suum motum, simul erit in actu formali, & non tantum virtuali. Patet nam agens naturale statim quod potest operatur: ergo si semel habet virtutem ad producendum in se aliquid, simul quod est in actu virtuali, etiam erit in actu formali.

Tertio quia id quod est in alio virtualiter, vel eminenter perfectiori modo est quam si esset formaliter, quia est modo eminentiori. Qua ratione perfectiori modo est calor in sole, quàm in igne, vbi est formaliter: quia in sole est eminētiori modo: ergo si esse in actu virtuali, est esse perfectiori modo, multo magis repugnabit esse aliquid simul in potentia formali & in actu virtuali, quam potētia formali & in actu formali.

Sed respondetur ad primum quod actus formalis, quantumuis sit perfectiuus tollit potentiam formalem, non quidem quia corrumpat aliquam entitatem ipsius potentiæ, sed quia tollit priuationem sui, quam talis potentia formalis cōsequen-

ter in potentia: hoc enim intelligitur nomine potentiæ formalis vt dixi, cum hoc tamen appellatur actus perfectiuus: quia non destruit aliquam entitatem potentiæ, sed priuationem sui, quæ est in tali potentia: tollere autem priuationē sui generale est ad omnem actum, etiam perfectiuum: qualiter adueniente lumine tollitur priuatio illius, & ita tollitur potentia formalis ad lumen.

Ad secundum respondetur, quod quanuis aliquid sit in actu virtuali, & aliàs habeat capacitatem ad recipiendum effectum quem continet in actu virtuali, nō sequitur, quod simul habeat actū formalem: quia fieri potest quod non producat actum, vel quia libere operatur, qualiter viuentia quæ sunt in actu virtuali ad motum, sua sponte possunt non moueri, vel propter aliud impedimentum: qua ratione non semper quod intellectus habet speciem intelligibilem lapidis, atque adeò est in actu virtuali, non ideo semper intelligi lapidem, quia potest esse adhoc impeditus, ex eo quod sit distractus ad alia obiecta.

Ad tertium respondetur negando cōsequentiam; nam ratio quare repugnat aliquid esse in actu formali & in potentia formali non est, quia quod est in aliquo formaliter sit minus perfecto modo, quâm quod est eminenter, sed quia simul esset & non esset: nam si est in actu formali, iam formaliter est, si vero est in potentia formali, iam non est formaliter: ergo simul esset & non esset: quod inconueniens non sequitur, quando aliquid est in aliquo in actu virtuali & in potentia formali: nam vt diximus intellectus informatus specie intelligibili habet intellectionem in actu virtuali, est tamen in potentia formali, quia nondum intelligit.

QVAESTIO VI.

Vtrum etiam in non viuentibus natura sit principium motus, idest, animata moueantur à se, vel à generante.

HAEC Est celebris illa quæstio, vtrum grauia & leuia moueantur

ueantur à se, vel à generante. Grauia autem sunt in duplici differentia, quædam animata, vt homo & equus, quædam in animata vt terra vel lapis: quæstio ergo non procedit de grauibus animatis, hæc enim iam diximus moueri actiue â se ipsis, sed loquimur de grauibus inanimatis.

Secundo certum est negari non posse quin grauia & leuia moueantur à generante remote, quia cum grauia & leuia moueantur ad sua loca media grauitate & leuitate, quas grauitates à generante acceperunt procul dubio [illegible] lis motus & remote & mediate tribuēdus est generāti, iuxta illud principiū, *Quicquid est causa causæ, est causa causati*. Solum ergo est difficultas an grauia & leuia habeāt in se principium proximum & immediatum actiuum sui motus & ita dicantur moueri à se, vel potius dicantur moueri immediate á generante.

Tertio certum est, non esse idem moueri à se & mouere se: quia mouere se non solum dicit habere in se principium actiuum motus, sed sua sponte se mouere prout sibi placet. Qua ratione quanuis planta, quia viuens est moueatur à se motu augmentationis, quando augetur, non tamen dicimus plantam mouere se: at vero moueri â se solum dicit habere in se principium actiuum sui motus, quanuis non moueatur sponteneè, sed mere naturaliter.

Conueniunt ergo omnes grauia & leuia non mouere se, quia spontaneum solum reperitur in viuentibus & non in omnibus, sed in his quæ operantur media cognitione & appetitu: & ita certum est in animata de quibus nunc loquimur non mouere se. Solum ergo est quæstio, verū moueātur á se actiue, nam quod habeant principium passiuum naturale sui motus certum est, quia motus grauis recipitur in ipso graui. Sed rursus principium actiuū duplex est, aliud principale, & est illud quod est proportionatum & non minus perfectum, quam effectus ipse productus. Qua ratione calor est causa principalis calefactionis, quia est ita perfectus sicut alter calor productus per calefactionem. Aliud vero est principium instrumentale, & est illud quod non habet sufficientem virtutem ad producendum aliquem effectum, quia est illi improportionatum, & ita

Grauia non se mouent.

tiam naturæ ipsius mobilis, ad quem mobile habet naturalem inclinationem: sed omnes inclinatio naturalis, vel est causa actiua ad causandum motum, qua ratione grauitas causat motum deorsum, vel est passiua ad recipiendum motum: ergo omnis motus naturalis debet esse à principio intrinseco, vel actiuo, vel passiuo.

Assert. 2. Dico secundo, vt motus aliquis sit naturalis non est necessarium quod proueniat à principio intrinseco actiuo sic docuit Sanctus Thomas 1. parte quæstion. 70. articul. 3. Scotus in 2. distinction. 8. quæstion. 1. Antonius Andreas 5. metaph. capit. 4. Sotus & Toletus hoc libro quæst. 2. & probatur ratione. Quia generatio formæ est naturalis materiæ, sicut forma producta per generationem est connaturalis ipsi materiæ: sed materia ad generationem formæ non concurrit actiue; sed passiuè recipiendo formam ab alio genitam: ergo ad motum naturalem non est necessarium quod proueniat à principio intrinseco actiuo. Idem etiam probatur de motu cœli, qui est illi naturalis, & tamen cœlum non habet principium actiuum illius motus, quia mouetur ab Intelligentia.

Assert. 3. Addo tamen quod si contingat motum aliquem esse à principio intrinseco actiuo naturali, erit perfectissimè motus naturalis. Ratio est, quia cum principium actiuum sit præstantius, quàm passiuum, motus, qui prouenit à principio intrinseco actiuo naturali, perfectius dicitur naturalis, quam qui prouenit à principio passiuo naturali.

Dico tertio, vt aliquis motus dicatur naturalis non satis est quod proueniat à principio passiuo, sed tale principium debet esse naturale respectu illius motus, id est: debet habere inclinationem naturalem ad illum motum: patet, quia aliàs omnis motus quantumuis violentus diceretur naturalis. Et probatur, quia quando aqua violenter calefit, vel lapis mouetur sursum, passiue concurrit ad talem motum, cum illum in se recipiat: ergo vt motus aliquis dicatur naturalis debet prouenire à principio intrinseco actiuo, vel passiuo naturali.

Dico quarto inter motum naturalem, & violentum dantur alij motus, qui appellantur præter naturales, quid

Assert. 4. nec sunt iuxta exigentiam mobilis, nec contra illius naturam, sed præter naturam illius. Est communis conclusio: & probatur. Quia quod ignis in suo loco naturali, moueatur circulariter ad raptum cœli, neque est contra eius naturam, cum per talem motum non tendat in corruptionem, neque iuxta exigentiam suæ naturæ, quia talem motum non petit, & ita appellatur motus præter naturalis (si verum est ignem talem habere motum) quod modo non disputo, & fortasse non est ita, tamen ad conclusionem probandam satis est imaginemur dari illum motum.

Vt intelligatur definitio motus violenti. Ex dictis sequitur qualiter sit intelligenda definitio motus violenti, solet enim diffiniri violentum hoc modo, *Violentum est à principio extrinseco passo non conferente vim*, illa enim particula, *non conferente vim*, non debet sumi negatiue, alias motus præter naturalis vere diceretur violentus: quia motus præter naturalis est à principio extrinseco actiuo, & passum ad illum nullam confert vim, i. est, inclinationem naturalem; quia est præter eius naturam. Debet ergo illa particula, *non conferente vim*, sumi contrarie, id est; passo positiuè resistente ad talem motum; quia est contra eius naturam. Qua ratione graue positiue resistit ad motum sursum per grauitatem quam habet. Ex quibus sequitur quod illi motus qui absolute loquendo sunt violenti, alicui subiecto respectu materiæ primæ sunt naturales v. g. quamuis calefactio sit violenta aquæ, quia destruit illam, tamen præcise respectu materiæ primæ est motus naturalis, quia ordinatur ad introducendam formam ignis, quam materia naturaliter petit. Et idem est de frigefactione: nam cum materia habeat appetitum ad varias formas non mirum est quod actiones contrariæ sint illi naturales, quod non contingit in alia re, quia tantum petit vnicam formam.

Sed instabis sicut materia appetit formam, quam non habet appetitu desiderij, ita appetit formam, quam habet appetitu fruitionis: ergo actio quæ disponit ad nouam formam violenta est materiæ.

Respondetur materiam consi-

considerari dupliciter vno modo prout informatur hac forma, quam appetit appetitu fructionis, & hoc modo actio quæ disponit ad nouam formam est illi violenta: tamen materiæ secundum se consideratæ, qua ratione appetit omnes formas, omnes actiones, quæ disponunt ad tales formas sunt illi naturales, quantumuis contrariæ sint. sicut etiam formę incompossibiles, sunt naturales eidem materiæ.

Dubio. Etsi inquias quare calefactio aquæ sit illi violenta, si quidem si est contraria formæ aquæ, est naturalis materiæ illius? Respondetur causam esse, quia in quolibet composito formà est præstantior materia, & esse talis compositi sumitur principaliter à forma, tanquam ab vltimo cõstitutiuo, & ita quod ratione formæ appellatur violentum, absolutè & simpliciter dicitur illi violentum. Verum est esse alios motus, qui etiam respectu materiæ appellantur præternaturales, qui nec conducunt ad conseruationem, neque ad destructionem alicuius formæ: qualis est motus circularis ignis, ille enim neque formam aliquam conseruat, neque introducit de nouo & ita solum est præternaturalis materiæ ignis: &, hæc de hac quæstione.

QVAESTIO. IIII.

Vtrùm motus cœli sit naturalis.

Dupliciter motus distingui potest in corporibus cęlestibus saltem in illis, in quibus resident planetæ v. g. cœlum lunę in communi sententia duplicem habet motum; alterum proprium ab occidenti in Oriẽs; alterum raptum, quo luna mouetur ad raptum orbis superioris ab Orienti in Occidens (Quidquid sit de veritate horum motuum, quod modo non disputo, sed dicam in libro de cœlo) conueniunt omnes motũ raptũ (si reuera in cęlo reperitur) nõ esse naturalem cęlo, sed præter naturalem, aut violentum quia est mere ab extrinseco, nempe ad raptum superioris orbis: solum ergo est difficultas de motu proprio ipsius cęli, an sit illi naturalis.

Prima sententia in hac re negat, quam tenet Auicen. 9. met. capit. 1. Albertus 2. Physic. text. 1. c. 3. Scotus in

2. d.

I. Sent. 2.distinctione.2.quæst.6.Durand.in.2.distinct.14.quęst.2. quorum fundaméta sunt. *Rationes dub.* Primo,quia omnis motus naturalis est ad acquirendum locum,aut terminum aliquem naturalem:ideo enim graue mouetur ad centrũ, quia ibi est suus locus naturalis, sed cælum iam est in suo loco naturali:ergo motus cæli nó est naturalis.

Secundo quia si motus cęli esset illi connaturalis,non indigeret aliqua intelligentia: ergo non est talis motus naturalis.

Tertio quia si motus cæli est naturalis:ergo quies in fine mundi,illi futura,erit illi violenta,quia opponitur motui naturali illius,cósequens autem falsum est:tũ quia nullum violentum est perpetuũ ex Arist.1.lib.de cœlo, cœlũ autem post finem mundi in eternum durabit quietum:tũ etiam,quia tunc vt scriptura docet præstantior erit mundi status:ergo talis quies nó erit violenta cœlo.

Quarto quia violentum est à principio extrinseco passo non conferente vim:sed motus cœli est ab extrinseco néspe ab intelligentia,& cœlum ad illũ non confert vim,quia non concurrit actiue ad illũ, sed ab alio mouetur:ergo nó est motus naturalis. Tandem quia omnis motus naturalis debet esse finitus,quia prouenit à natura,quæ quid finitũ est:sed motus cœli ex Arist. 8. Physicorũ infinitus est, quia secundum illum in æternum durabit ergo.

Vera tamen & cõmunis sententia est motũ cœli esse naturalé illi, saltẽ ratione principij passiui,quæ sententia cõmũnis est inter expositores Arist. Tenet Philoponus, & Simplitius,& Auerroes hoc loco S.Tho.1.p.q.7.art.3.ad 4.&.3.contra gentes c.23. & ibidem Ferr.Perei.7.lib.Phisic.Tolet.hic quæst.3.

Vnde dico primo,motũ cœli esse illi naturalem probãt hanc conclusioné Auctores supra citati ex Arist.1.lib.de cœlo textu.5.&.13.vbi ait q sicut terræ naturale est moueri deorsum,ita cœlo moueri circulariter,&dupliciter probatur primo:quia cœlũ natura sua est causa vniuersalis re- *Assertio.1* rũ corruptibiliũ,quę producũtur in his inferiorib⁹: ergo quidquid per se est necessariũ ad hunc finé naturale est ipsi cœlo. Patet consequétia quia cũ natura nihil agat frustra,quicquid habet inclinationé naturalé ad aliqué finé etiã hét inclinationé ad media natura sua requisita ad il-

nũ finẽ: sed motus localis cœli necessarius est ad hũc finem, nã sole accedẽte ad tale signũ, plantæ germinãt: accedẽte vero ad aliud signũ contrariũ exicãtur: ergo talis motus naturalis est ipsi cœlo.

Secũdo, quia motus rectus est naturalis alicui corpori: nã motus sursum est naturalis igni, motus vero deorsum terræ: ergo etiã motus circularis debet esse naturalis alicui corpori, nõ alteri, nisi cœlo, vt patet experiẽtia ergo. Tandẽ figura circularis cœli non parũ indicat cœlũ circularẽ motũ postulare: ergo talis mot⁹ naturalis est ipsi cęlo.

Quem motum habeat cælum. Dico secũdo motus cæli nõ est naturalis à principio intrinseco actiuo, sed tãtũ passiuo, quod est dicere cœlũ nõ habere principiũ actiuũ naturale intrinsecũ sui mot⁹, sed tãtũ habere principiũ passiuũ. Hanc cõclusionẽ etiã docent oẽs auctores citati. Cuius ratio est, quia si cœlũ moueretur actiuè à se nõ indigeret intelligẽtia motrice: sed cœlũ tãtũ mouetur actiuè ab intelligẽtia vt cũ Arist. & cõmuni sentẽtia dicã in lib. de cœlo: ergo tãtũ habet principium passiuũ naturale sui motus.

Difficultas. Sed statim oritur difficultas, an tale principiũ passiuũ in cœlo sit sola forma, vel sola materia illius, vel totũ cõpositũ substantiale. Communis sententia asserit totũ cõpositũ esse tale principiũ passiuũ, ita quod non solũ materia, sed etiã forma sit principiũ passiuũ, & receptiuum talis motus. Quã sententiã tuẽtur, qui existimant accidẽtia nõ subiectari immediate in materia prima, sed in toto cõposito quos retulimus. 1. lib. Physicorũ disp. 5. q. penult. in quo consequenter loquũtur: quia tamẽ eodẽ loco nos late ostendimus accidẽtia in sola materia prima subiectari consequẽter nobis dicẽdum est solã materiã primam cœli esse principiũ passiuum naturale ad talẽ motũ: quia cũ talis motus sit accidens in sola materia cœli recipitur tãquã in subiecto, legantur dicta loco allegato.

Illatio. Ex quo infero quod nunquã forma sit principiũ passiuũ motus Physici: quia sola materia recipit accidẽtia phisica; solũ ergo forma solũ est principiũ actiuũ alicuius motus, vel nullo modo est principiũ illius, vt dictũ est de forma cœli. Addo tñ formã cœli esse quasi cõditionẽ requisitã vt materia cœli recipiat talẽ motũ, quia nisi talis materia esset cõiũcta cũ forma cœli, non reciperet talem motum.

Ad

R. ad ratio nis dub.

Ad argumenta cõtrariæ sententiæ respõdetur ad primũ qđ quędã mouẽtur propter bonũ propriũ, qualia sũt hęc corpora corruptibilia, terra enim mouetur ad cẽtrũ, quia ibi naturaliter cõseruatur: tamen corpora cęlestia, quæ incorruptibilia sunt non mouẽtur propter bonũ propriũ, sed propter bonũ aliorũ, nẽpe ad causandũ medio motu in his inferioribus generationes, & corruptiones, & ita nõ opus est ꝙ cœlũ moueatur ad nouũ locũ, sed in suo loco mouetur propter hæc inferiora.

Ad secũdũ quodquãuis motus cœli sit naturalis adhuc indiget Intelligẽtia motrice, qui tantum habet in se principium passiuum motus non vero actiuum.

Illatio.

Ad tertiũ verum esse talem quietẽ infine mundi futuram, esse violentam cœlo, quia est contra motum naturalem. Quando vero dicitur quod nullum violentum est perpetuũ intelligẽdũ est naturaliter, & absq; miraculo; at vero quies cœli infinè mũdi futura, miraculosa erit.

Etsi obijcias, quod quanuis vnio animę rationalis ad corpus sit illi naturalis, tũ quando est separata à corpore, nõ est violenter: ergo similiter quanuis motus cœli sit naturalis, non ideo quies infine mundi futura, erit illi violenta. Respondetur esse longe diuersam rationem: quia anima rationalis, sicut quælibet alia forma corporis petit vniri corpori, existentibus certis quibusdam dispositionibus, quas ex sua natura requirit, & ita illis corruptis non petit vniri corpori, atq; adeò non, est violenter separata à corpore, quãdo tales dispositiones iam perierunt: at vero cœlũ nullam dispositionem requirit ad suum motum, & ita cessare à tali motũ esset illi violentum.

Etsi respũdeas, quod indiget intelligẽtia mouẽte, atq; adeò cessante influxu intelligẽtię nõ poterit moueri. Sed cõtra est: quia vt dicã in lib. de cœlo intelligẽtia nõ mouet cœlũ media aliqua qualitate prius impressa, sed influxus intelligẽtiæ est ipse motus immediate ab illa causatus, & ita sicut cœlũ petit talẽ motũ, ita petit influxũ intelligentiæ: at vero dispositiones quas anima rationalis requirit ad vnionẽ cũ corpore sunt aliquid distinctũ, & præ requisitũ ad talẽ vnionẽ, quas dispositiones anima rationalis secundum se, & ad suam conseruationẽ nõ petit nisi tãtũ vt vniatur corpori.

nõ sit:nam q̃ est, in actu est: q̃ vero est in potẽtia,non dũ est,atq; adeò simul esset & nõ esset. Quod vero hoc sequatur probo:quia omne q̃ operatur debet esse in actu operatiuũ,quia prouenit ab actuali aliquo,id vero q̃ mouetur passiuè debet esse in potẽtia, debet enim habere potentiã passiuã:ergo si idẽ põt moueri à se ipso,sequitur quod simul sit idem in actu & in potentia.

Viuentia à se ipsis actiue mouentur

Nihilominus recepta omniũ sentẽtia est q̃ viuẽtia moueantur à seipsis actiue,ita q̃ idẽ viuens sit mouens & motũ,est expressa sentẽtia Arist. 8.lib.Physi.text.28.& sæpe alibi,quem oẽs interpretes sequuntur. Dico primo nõ repugnat idẽ moueri à se ipso, probatur euidenter in motu Angeli eadẽ enim substantia indiuisibilis Angeli mouet se ad talẽ,vel talẽ locũ : ergo etiã non repugnabit idẽ moueri à seipso motu corporeo. Secũdo idẽ probatur de motu augmentationis nã eadem pars viuentis,quę disponendo alimentũ sibi proximũ,cõuertit illũ in propriã substãtiã,eadẽ post cõuersionẽ augetur:ergo etiã motu augmẽtationis idẽ põt mouere se ipsum. Nec placet solutio asserẽtiũ q̃ viuens auget se actiue ratione partiũ præexistentiũ, augetur vero ratione partiũ aduenientiũ. Hæc in quã solutio falsa est:nã aliud est quærere quid est q̃ augetur,aliud vero ratione cuius augetur: quãuis ergo pars præexistens augeatur ratione partiũ aduenientiũ, de nouo autẽ id q̃ augetur reuera est pars præexistens:nã aliquid fieri maius de nouo necessario supponit antea fuisse : ergo reuera eadẽ pars,quę auget,augetur atque adeo eadem pars potest mouere seipsam.

Ex his dico secundo,viuentia mouentur à seipsis actiue. Est communis sententia quã omnes expositores tenent cũ Arist.loco supra allegato, & patet experientia,constat enim animal mouere se prout sibi placet,modo in hanc,modo in illam partem.

Quid aduerti.

Est tamen aduertendũ varios esse motus:nam alius est motus localis:alius vero augmentationis:alius vero alterationis:alius vero generationis:nam etiam generatio est motus, licèt non propriè dictus. Certum ergo est,nullam rẽ posse moueri à seipsa motu generationis,ita vt , idem seipsum generet:quia sequeretur idem simul esse,& non esse:nã vt generet actiue,debet præ existere, agere enim

uẽ alimẽtũ in propriã substãtiã, eadẽ est, quæ augetur, nõ vero pars aduemens: nã quãuis pars adueniens sit id, ratione cuius dicitur augeri, tñ reuera id q augetur pars, præexistens est.

Tandẽ quarto hoc ipsum probatur: nã incõueniẽs q au ctores cõtrarij inferunt, nẽpe quod eadẽ pars esset in actu, & in potẽtia nullũ est, vt dicã in solutione secũdæ rationis dubitãdi. Id etiã q hæc sentẽtia asserit, in viuẽtibus cor esse partẽ per se mouẽtẽ, alias vero partes esse perse motas, si intelligãt, quasi radicaliter, & remotẽ cor esse perse mouens in quantũ tãtũ ab illo deriuantur spiritus requisiti ad operationes nostras, verũ est, & ita experimur cessante motu cordis, etiã alias corporis operatio nes cessare, tñ hoc est mouere nimis remote. Si tñ asserãt cor perseipsum, & quasi immediate actiue mouere omnia mẽbra, illius, quasi mere passiuè se habẽtib⁹, falsum est: nã cũ cor loco distet a pede, & capite nõ põt quidẽ per seipsum causare tales motus, Idq; est omnino gratis dictũ cũ omnia mẽbra habeãt virtutẽ loco motiuã sufficiẽtẽ ad mouẽdũ se. Idẽ etiã dicẽdum est de ipso corde, & ita nõ mouetur à generãte vt auctores cõtrarij fingunt. Quod vero Arist. loco allegato asserit, in eo q à se mouetur distinctã esse partẽ perse mouẽtẽ à parte perse mota, nõ debet intelligi de parte integrali, sed de partibus essentialibus, ita q forma substãtialis media virtute motiua sit mouẽs, materia vero dicatur pars perse mota, in quãtũ totũ cõpositũ dicitur recipere motũ ratione materiæ, omnia. n. accidẽtia corpore vt supra vidim⁹ recipiũtur immediate in materia prima.

Deinde ad rationes dubitãdi in principio quæstionis adductas respõdetur. Ad primũ locũ Aris. q quãdo asserit omne q mouetur ab alio moueri loquitur tãquã à primo mouẽte, qđ nõ tollit, quo minus aliquid vt causa secunda possit mouere seipsum: quia quãuis se moueat, semper operatur dependenter à Deo tanquam a primo motore, tamen reuera se mouet. Sicut quanuis Deus concurrat cum igne ad calefaciendum, tamen vere dicimus ignem calefacere. Quando vero Aristot. 1. libr. de generatione capit. 7. ait quod idem non potest agere in se ipsum, non loquitur actione perfectiua, qualiter intellectus possibilis media intellectione producit verbum in se ipso actione perfectiua;

Ad locum Arist. Ad alium loc.

sed loquitur actione corruptiua, de quo latius suo loco.

Ad primam rationē respondetur q quanuis aliquid moueatur à se, optimè probatur debere dari vnicum Primum motorē, quia quāuis animata à seipsis moueantur, semper tñ indigent concursu Dei, & ita optimè probatur debere dari vnicum primū mouens quod omnia moueat.

Ad secundā respondet optime Sco. in. 1. d. 3. q. 7. ad argumenta pro secunda opinione quod aliquid dupliciter pōt esse in actu; nēpe, vel in actu formali, vel in actu virtuali, respectu alicuius rei: tunc est in actu formali, quando formaliter, & in actu habet rem illa n, vt ignis est in actu formali per calorē, quia formaliter habet calorē, tūc vero res aliqua est in actu virtuali in alio, quando formaliter non habet illā rē, sed habet virtutē ad producendā illam. Qualiter calor non est in sole in actu formali, cœlū enim non habet formaliter calorem, tamen est calor in sole in actu virtuali, quia medio lumine quod habet, habet virtutem ad producendum calorem in alio. Similiter in potētia pōt esse aliquid duobus modis, scilicet in potentia formali, & in potentia virtuali. Tunc est in potentia formali, quando formaliter non habet illā rem, tamen potentialiter illā habet, & ita potentia formalis saltē cōsequenter dicit carentiam rei ad quam est potētia. Tunc vero aliquid est in potentia virtuali quando nō habet actum virtualē, habet tñ potentiam ad habendum illum. Qua ratione intellect⁹ antequā habeat speciem intelligibilē continet intellectionem in potētia virtuali, quia potest habere speciem intelligibilē, in qua tanquam in actu virtuali, & in causa proxima continetur intellectio.

Vt intelligatur esse in actu formali, & in actu virtuali, &c.

Illatio aduertenda.

Ex quo fit quod non repugnat aliquid esse in potentia formali, & in actu virtuali. Qua ratione intellectus informatus specie intelligibili est in actu virtuali respectu intellectionis, quia habet virtutem ad intelligendum, est tamen in potentia formali, quia nondum formaliter habet intellectionem. Postea vero, quando iam in actu intelligit non est in potentia formali, quia nō habet priuationē intellectionis, sed potius est in actu formali. Similiter ergo quę mouētur à se sūt in actu virtuali, quia habēt virtuté vt se moueāt; & in pōa formali, quia nōdū actu se mouent.

uenit quãdo vero actu mouẽtur iã nõ sunt in potẽtia, sed in actu formali, & nomine potentiæ intelligimus potentiã priuatam actu, nam quod aliquid sit simul in actu & in potẽtia reducta ad actum, nullum est inconueniẽs, imò est necessariũ quod quando actus est, sit potentia reducta ad actũ: quæ doctrina maximè aduertenda est ad soluendas plures, alias difficultates.

Illatio aduertenda

Ex quo sequitur quod causa vniuoca est in actu formali ad operandum, vt quando calidum producit aliud calidum in actu formali habet calorem: causa vero equiuoca solum est in actu virtuali ad operandum, vt quãdo Sol producit calorem virtualiter habet calorem.

Sed contra hanc doctrinã plura obijci possunt: Primo quia inter actus formales plures ex illis sunt perfectiui & nõ corruptiui, qualiter lumẽ est qualitas perfectiua & non corruptiua aeris: ergo isti actus formales perfectiui non destruunt potentiam formalem, aliàs iam essent destructiui, & non perfectiui: ergo non repugnat eandem rem simul esse in actu formali & in potentia formali.

Secundo quia quod est in actu virtuali, si aliàs habet capacitatem ad recipiendum effectum: qualiter viuentia possunt recipere suum motum, simul erit in actu formali, & non tantum virtuali. Patet nam agens naturale statim quod potest operatur: ergo si semel habet virtutem ad producendum in se aliquid, simul quod est in actu virtuali, etiam erit in actu formali.

Tertio quia id quod est in alio virtualiter, vel eminenter perfectiori modo est, quam si esset formaliter, quia est modo eminentiori. Qua ratione perfectiori modo est calor in sole, quàm in igne, vbi est formaliter: quia in sole est eminẽtiori modo: ergo si esse in actu virtuali, est esse perfectiori modo, multo magis repugnabit esse aliquid simul in potentia formali & in actu virtuali, quam potẽtia formali & in actu formali.

Sed respondetur ad primum quod actus formalis, quantumuis sit perfectiuus tollit potentiam formalem, non quidem quia corrumpat aliquam entitatem ipsius potentiæ, sed quia tollit priuationem sui, quam talis potentia formalis cõsequen-

ter in portat: hoc enim intelligitur nomine potentiæ formalis vt dixi, cum hoc tamen appellatur actus perfectiuus: quia non destruit aliquam entitatem potentiæ, sed priuationem sui, quæ est in tali potentia: tollere autem priuationē sui generale est ad omnem actum, etiam perfectiuum: qualiter adueniente lumine tollitur priuatio illius, & ita tollitur potentia formalis ad lumen.

Ad secundum respondetur, quod quanuis aliquid sit in actu virtuali, & alias habeat capacitatem ad recipiendum effectum quem continet in actu virtuali, nō sequitur, quod simul habeat actū formalem: quia fieri potest quod non producat actum, vel quia libere operatur, qualiter viuentia quæ sunt in actu virtuali ad motum, sua sponte possunt non moueri, vel propter aliud impedimentum: qua ratione non semper quod intellectus habet speciem intelligibilem lapidis, atque adeò est in actu virtuali, non ideo semper intelligit lapidem, quia potest esse adhoc impeditus, ex eo quod sit distractus ad alia obiecta.

Ad tertium respondetur negando cōsequentiam: nam ratio quare repugnet aliquid esse in actu formali & in potentia formali non est, quia quod est in aliquo formaliter sit minus perfecto modo, quâm quod est eminenter, sed quia simul esset & non esset: nam si est in actu formali, iam formaliter est, si vero est in potentia formali, iam non est formaliter: ergo simul esset & non esset: quod inconueniens non sequitur, quando aliquid est in aliquo in actu virtuali & in potentia formali: nam vt diximus intellectus informatus specie intelligibili habet intellectionem in actu virtuali, est tamen in potentia formali, quia nondum intelligit.

QVAESTIO VI.

Vtrum etiam in non viuentibus natura sit principium motus, idest, animata moueantur à se, vel á generante.

HAEC Est celebris illa quæstio, vtrum grauia & leuia moueantur

ueantur à se, vel à generante. Grauia autem sunt in duplici differentia, quædam animata, vt homo & equus, quædam inanimata vt terra vel lapis: quæstio ergo non procedit de grauibus animatis, hæc enim iam diximus moueri actiue à se ipsis, sed loquimur de grauibus inanimatis.

Secundo certum est negari non posse quin grauia & leuia moueantur à generante remote, quia cum grauia & leuia moueantur ad sua loca media grauitate & leuitate, quas grauitates à generante acceperunt procul dubio illis motus & remote & mediate tribuēdus est generāti, iuxta illud principiū, *Quicquid est causa causæ, est c[illegible] causati*. Solum ergo est diffi[illegible]tas an grauia & leuia habeāt in se principium proximum & immediatum actiuum sui motus & ita dicantur moueri à se, vel potius dicantur moueri immediate à generante.

Tertio certum est, non esse idem moueri à se & mouere se: quia mouere se non solum dicit habere in se principium actiuum motus, sed sua sponte se mouere prout sibi placet. Qua ratione quanuis planta, quia viuens est moueatur à se motu augmentationis, quando augetur, non tamen dicimus plantam mouere se: at vero moueri à se solum dicit habere in se principium actiuum sui motus, quanuis non moueatur sponte, sed mere naturaliter.

Conueniunt ergo omnes grauia & leuia non mouere se, quia spontaneum solum reperitur in viuentibus & non in omnibus, sed in his quæ operantur media cognitione & appetitu: & ita certum est inanimata de quibus nunc loquimur non mouere se. *Grauia non se mouent.* Solum ergo est quæstio, vtrū moueatur à se actiue, nam quod habeant principium passiuum naturale sui motus certum est, quia motus grauis recipitur in ipso graui. Sed rursus principium actiuū duplex est, aliud principale, & est illud quod est proportionatum & non minus perfectum, quam effectus ipse productus. Qua ratione calor est causa principalis calefactionis, quia est ita perfectus sicut alter calor productus per calefactionem. Aliud vero est principium instrumentale, & est illud quod non habet sufficientem virtutem ad producendum aliquem effectum, quia est illi improportionatum, & ita

& ita instrumentum indiget eleuari a causa principali, de quo infra. Qua ratione calor est instrumentum impropor tionatum ad producendum ignem, quia cum calor sit accidens, ignis vero substan tiam, est in proportionatus ad talem effectum producen dum, & ita indiget eleuari ab alio vt producat ignem. Conueniunt omnes ergo gra uia & leuia habere in se aliquod principium actiuũ sui motus, quia certum est formam substantialem grauis & grauitatem ipsam actiue con currere ad motum localem. De grauitate patet, quia est qualitas motiua. De forma vero substantiali etiam probatur, quia forma substantialis grauis aliquo modo concurrit ad motum, cum natura sua petat motũ deorsum: sed nunquam forma est prin cipium passiuum motus, vt supra probatũ est: ergo prin cipium actiuum media grauitate. Idem etiam expresse docet Arist. 4. lib. de cœlo textu 2. solum ergo apud au-ctores est cõtrauersia, an grauia & leuia habeant in se prin cipium actiuum principale intrinsecum sui motus, & ita dicantur moueri à se principaliter, vel potius moueantur à generante tanquam a causa principali.

1. Sent. In quare prima sententia affirmat grauia & leuia, neque moueri à se, neque à ganerante, sed à cœlo, ita quod cęli officium sit quodlibet corpus in suo loco naturali cõstituere. Sed merito hęc sententia ab omnibus reijcitur, quia agens naturale fortius agit in propinquum, quàm in remotum: quia est magis applicatum spatio pro pinquo, quam remoto: sed graue descendens à suo loco superiori, quanto magis ad centrum à propinquat, magis que distat à cœlo, velotis mouetur, ergo signum est nõ moueri à cœlo.

2. Sent. Secũda sententia asserit grauia & leuia actiue moueri à suis proprijs locis, dicunt enim, centrum habere in se virtutem quandam attractiuam, qua ad se attrahit grauia. Sicut magnes habet virtutem qua ad se attrahit ferrum: & idem est de loco superiori respectu leuium. Quę sentẽtia non minus est falsa, quã precedẽs: quia fingamus duos lapides ęqualis põderis & magnitudinis descendere ad centrũ, alterum tñ à loco nimis superiori, alterum vero à loco nõ ita superiori. Tunc sic quãdo hi duo lapides per ueniunt adæqualẽ distãtiam circa

circa centrum, v. g. Ad distantiam bipedalem à centro, lapis ile qui descendit à loco magis superiori velocius mouetur, quàm ille qui descendit à loco non ita sublimi, ergo signum est non moueri effectiuè a centro, quia centrum æqualiter a traheret vtrumque lapidem, cũ sint in æquali distantia ab illo & æqualis ponderis.

Duæ sunt sent. huius rei.
Prima est.

Quare his omnibus in presenti quæstione omissis duæ sunt sententiæ prima est asserentium grauia & leuia actiue principaliter non moueri à se, sed à generante, dicunt enim forma substantialẽ grauis & grauitatem ipsam solum esse principium instrumentale relictum à generante vt moueantur, & ita tanquam à causa principali moueri ab ipso generante, tenet S. Thom. 1. part. quæst. 18. ar. 1. ad 2. & quæst. 2. art. 3. & 1. contra gentes cap. 13. & ibidem Ferr. & hoc lib. quæst. 9. Caietanus locis citatis pro S. Tho. AEgidius quodlibeto. 5. quæst. 16. Capreolus in 2. dist. 6. quęst. vnica ar. 3. Auerroes lib. 3. de cœlo comentario 18. Petrus Martinez 4. li. de cęlo, cap. 3. & Toletus hoc loco. Quæ sententia magna ex parte sumpsit fundamentum ex Arist, qui sæpissime docere videtur, grauia & leuia non moueri à se. Imo argumentari ad probandã eandem seutentiam, quia 8. lib. phys. text. 29. & 2. lib. de anima, tex. 19. & lib. 2. de anima, text. 13. sic arguit. Moueri a se est habere vitam: sed animata non habent vitam: ergo non mouetur a se, & 8. phys. textu 28. & 42. docet in eo quod à se mouetur, debere distingui partem per se mouentem à parte per se mota: sed in grauibus & leuibus nõ possumus distinguere partem per se mouentem à parte per se mota: & probatur, quia terra, v. g. est quid homo geneũ, in quo omnes partes sũt eiusdem rationis cum alia, nam quælibet pars terrę est terra: quod non contingit in æthero geneis, ista enim habent partes diuersæ rationis: qualiter caput est diuersæ rationis à pede: ergo in grauibus, quę sunt homo genea nõ est maior ratio, quare vna pars sit per se mouens, quam alia, atque adeò non possumus distinguere partem per se mouentem à parte per se mota? ergo grauia & leuia non mouentur à se. Præterea 8. lib. Physic tex. 29. sic arguit. Quę mouentur à se, possunt in medio motu sistere, vt patet de animalibus, quæ quando volunt

lunt desistunt a suo motu, & mouentur versus quanlibet partem: sed grauia non possunt in medio motu sistere, nec mouentur versus quanlibet partem, sed determinate deorsum: ergo non mouentur à se: & eodem 8. lib. phys. text. 32. ad finem sic arguit. Qui dat formam, debet dare consequentia ad ipsam formam: sed generans dedit graui formam per generationẽ: ergo etiam generans debet dare consequentia ad formã: sed perfectio, quæ consequitur ad formam grauis, est, esse in loco deorsum: ergo debet tribui ipsi graui: sed adquirit locũ deorsum per motum: ergo grauia & leuia mouentur à generante. Qua ratione vtitur etiam S. Thom. & reliqui sectatores huius sententiæ locis supra allegatis, est enim potissimum fundamentum, & illa etiã ratione de distinctione partis per se mouentis à parte per se mota. Hæc sunt fundamenta huius sententiæ, quam plures hoc tempore communiter defendunt, enixi magis testimonijs Arist. quàm alicui firmæ rationi.

Grauia, & leuia mouẽtur à se actione.

Verumtamen hæc omnia satis infirma sunt, & ita iam plures contrariam tuentur sententiam, nempe grauia & leuia habere in se principiũ actiuum principale sui motus, & ita moueri à se actiuè. Tenet Scotus in 2. distin. 2. quæst. 10. Gregorius dist. 6. quæst. 1. ar. 3. Iãdunus. 8. physic. quæst. 12. Niphus. 8. physic. cap. 4. Valle controuersia 11. q. 42. Buridanus. 8. phys. quæst. 4. Perey. 7. lib. physi. c. 17. & in primis ommitto plurima loca Arist. in quibus asserit, grauia & leuia habere in se principium actiuum sui motus, vt 8. lib. de cęlo textu. 24. & 4. physic. text. 86. Ad hoc enim facile respondent auctores contrarij, verum esse quod grauia & leuia habent in se principiũ actiuum sui motus, non tamen principale, sed instrumentale: quare rationibus nobis agendum est ad probandum tale principium actiuum reuera esse principale, & ita hæc solutio friuola manebit.

Primo ergo probatur: quia non minorem habet proportionem forma grauis simul cum grauitate ad motum deorsum, quàm forma viuentis simul cum potentia vitali ad operationem vitalem. v. g. ad augmentationem, vel motũ progressiuũ: sed forma viuentis & potẽtia, v. g. augmẽtiua in opinione omniũ sunt causæ

causæ principales talis mot': ergo similiter forma substantialis grauis, & grauitas erũt causę principales motus deorsum, & ita grauia mouentur à se. Patet consequentia, quia tam proportionatus est motus deorsum graui, sicut augmentatio viuenti.

Secunda ratio à priori huius est, quia de ratione causæ instrumẽtalis naturalis est, q̃ sit minus perfecta, quã effectus ad quẽ ordinatur, & ita indiget eleuatione agẽtis principalis (vt hoc lib. infra dicã) sed forma substãtialis grauis & grauitas sunt longe perfectiora, quã motus localis ad quem ordinatur, ergo: & probatur. Quia motus est accidẽs incõpletum, forma vero substantialis, quãuis sit ens incõpletum, est tamẽ substãtia, ergo est perfectior quàm motus. Similiter grauitas est quædã qualitas perfecta, motus vero est ens incompletũ, ergo longe perfectior est grauitas motu ipso: ergo sũt causæ principales ipsius motus, & nõ instrumenta, atq; adeò grauia & leuia mouentur à se principaliter. Patet cõsequẽtiã, quia nulla alia ratione probatur calorẽ esse causam principalẽ ad producendũ alterũ calorẽ, nisi quia est ita perfectus, sicu calor productus.

Respondent Authores contrarij negando antecedẽs, scilicet, quod de ratione instrumenti sit esse minus perfectum effectu producto, quia serra est instrumẽtum ad scissionem, est tamen perfectior quia serra est substantia quędam, scissio vero cũ sit actio est accidens de prędicamẽto actionis. Similiter in Baptismo aqua est instrumentũ ad producendã gratiã, cum hoc tamẽ aqua entitatiue est perfectior quã gratia, quia aqua est substantia, gratia vero est qualitas, atque adeo accidẽs.

Sed hæc solutio fribola est: nã vt dicã infra in disputatione de causa efficienti, causæ efficiẽtes sunt in duplici differentia. Quædam naturalia, scilicet, quæ ex natura rei, & nõ per artẽ ordinantur ad effectum aliquo modo producendum, & quando istæ sunt, ita perfectæ, sicut effectus producti, reuera sunt causæ principales, & non instrumenta: quia cum natura sua sint ordinatæ ad illũm effectum, & aliàs non sint minus perfectæ quam effectus ipsi, reuera habent sufficientem proportionem cum tali effectu, & ita sunt causæ principales, vt quãdo calor producit calorem: aliç vero sunt causæ efficientes artificiales,

quæ

quæ natura sua non ordinantur ad illum effectum. Qua ratione ferrum quod est in serra non ordinatur ex natura sua ad scindēdum, neq; id à petit, sicut à qua natura sua non petit producere gratiā: & istæ causæ quantumuis sint perfectiores effectu sunt instrumentales, & non principales: quia cum natura sua nō ordinentur ad illum effectū, indigent peculiari eleuatione causæ principalis: tamen inter causas naturales, nulla est æque perfecta, aut perfectior effectu, quæ non sit causa principalis, vt calor, quando producit calorem, atque adeò tam forma substantialis grauis, quām grauitas cū sint causæ naturaliter ordinatæ ad causandum motum deorsum, & habent maximam proportionem sufficientem ad talem effectum, reuera sunt causæ principales, & non instrumenta.

Tertio probatur conclusio, quia si graue mouetur à generante media grauitate, quæ fuit illi relicta à generante, sequitur ergo quod etiam viuentia moueantur à generante: quia mouentur media potentia loco motiua, quæ fuit illi tributa à suo generante. Respondēt esse diuersam rationem, quia omnes perfectiones, quas habet genitum in instanti generationis tribuuntur generanti: nā qui dat formam, dat consequentia ad formam, & quia in instanti generationis grauis, est debitum illi, quod sit incentro, ideo esse in centro tribuitur generāti, atque adeò motus, quo tēdit ad centrum, etiam tribuitur generanti, tamen in instanti generationis, non est debitum viuēti, quod moueatur localiter, vel augeatur, sed postea in alio tempore: quia cum isti motus sint successiui non possunt fieri in instanti: ideo non tribuuntur tales matus generanti, sed viuenti.

Sed contra hanc solutionē potest fieri ex argumentum euidens: nam sicut in instanti generationis viuentis non potest esse motus localis, neque augmentatio, ita motus localis ad centrūm non potest esse in instranti generationis grauis, quia eadem ratione motus est successiuus, atque adeo non potest esse in instanti: ergo quanuis tribuatur generanti, quod graue sit genitum in suo loco naturali, tamen, quod postea post generationem moueatur ad cētrum, a quo abstractum est, nō debet tribui generanti, sed ipsi graui.

Vltimo

Vltimo probatur cõclusio, quia cõtingere potest, quod graue moueatur, quando iam suum generans corruptũ est: ergo tunc generans non potest esse causa efficiens illius motus, probo consequentiã: quia quod non est, nõ potest esse causa efficiens: ergo talis motus tribuẽdus est ipsi graui. Responderi solet huic rationi, quod in tali casu, graue mouetur à causa vniuersali, quæ supplet vicẽ generantis.

Sed contra est: nam quando potest assignari sufficiens causa particularis alicuius effectus, frustra cõfugimus ad causas vniuersales, est enim veluti ad sacra cõfugere. Tũ etiam quia Deus reuera potest producere aliquam particularem causam motus naturalis grauis: ergo credendũ est illam produxisse, sicut ad alios effectus, hęc autem non est generãs iam corruptum: ergo ipsum graue.

Est tamẽ aduertendũ, quod respectu motus grauis, agens *quod*, est ipsum graue, nã actiones vt *quod* sunt suppositorũ: nam sicut suppositum est id, quod est, ita est id, quod operatur, nã operari sequitur esse, forma vero grauis & grauitas sunt principia principalia subordinata, quibus graue se mouet, & ita sunt agens *quo*, seu (vt alij locuntur) ratio formalis mouẽdi. Quẽadmodũ quando ignis calefacit, agens *quod* est ipse ignis, calor vero est agens, seu ratio formalis operandi.

Super est respondeamus ad argumenta cõtrariæ sentẽtię, & in primis Arist. licet videatur multum fauere cõtrariæ sententiæ, tamen non ita euidenter illã tenet, aliquando enim, quando negat grauia & leuia non moueri à se, per nõ moueri à se intelligit, nõ mouere se, idest spõte sua se mouere, quod verũ est; vt in principio quæstionis dixi: sic loquitur 8. phys. tex. 29. vt colligitur ex eius ratione, scilicet, quę mouẽtur à se possunt immedio sistere motũ, quod constat solum conuenire ijs, quæ mouẽtur spontaneè plãta enim, cum sit viuens mouetur à se, nõ tamen potest desistere à suo motu augmẽtationis in medio illius, quia non augetur sponte sua, aliquãdo vero, cum negat grauia, & leuia moueri à se, loquitur eodem modo, quod viuens à se mouetur versus quãlibet partem, & non tantũ indeterminatam partem. Qualiter mouentur grauia & leuia: nũquã tamen negauit Arist. grauia & leuia habere in se principium actiuum sui motus.

Neque rationes quas Arist. conficit aliquid probát contra nos. Ad primam respondetur distinguendo antecedens: scilicet, quæ mouentur à se, habent vitam: nam si sensus sit, quę se mouēt, id est spōtaneè mouentur, habent vitā, verum est antecedens, nos tamen non asserimus grauia & leuia mouere se hoc modo: si tamen sensus sit, quod illa quę mouētur à se, id est, à principio intrinseco actiuè habēt vitam falsum est antecedens, & ratio petit principium, idē quærimus, an etiam quæ non habent vitam moueantur à se.

R. ad rationes Ar.

Ad secundam respondetur falsum esse, quòd illud quod mouetur à se debeat habere partem per se mouentem integralem distinctam à parte per se mota, vt superiori quęstione ostēdimus, & ita quęlibet pars ipsi' grauis est per se mouens ratione grauitatis & per se mota ratione potentiæ passiuę, quàm habet ad talem motum, & ex hoc tātum licet inferre, esse in actu virtuali & impotentia formali ad motum, vt eodē loco explicatū est. Ad Arist. vero quādo dicit, in eo qđ mouetur à se, debere distingui partem per se mouentem à parte per se mota, iam diximus intelligēdum esse de partibus essentialibus, ita quod forma substantialis sit mouens actiuè media grauitate, materia vero sit per se mota, id est, quod recipit motum.

Ad tertiam quod non quęcumque, quæ mouentur à se possunt in medio motus sistere: nam planta in omnium opinione mouetur à se motu augmentationis, cum sit viuens, nō tamen potest in medio augmentationis desistere à tali motu, sed necessario augetur, quo vsq; perveniat ad suum maximum: solum ergo illa propositio est vera de his quæ se mouent sponte sua, qualia sunt animalia: grauia vero & leuia non se mouent hoc modo, &c.

Ad quartam respondetur, distinguendo illam propositionem. Qui dat formam, dat consequentia ad formam: nam si sermo sit de consequentibus ad formam in instanti generationis, & ex vi ipsius generationis, verum est: & ita quod graue generetur in tali loco, generanti tribuitur: tamen si sermo sit de consequentibus ad formam trāsacta iam generatione per principium proprium ipsius geniti, falsa est propositio: hæc enim potius tribuuntur ipsi genito, vt quando viuens

genitum

genitum transacta iam generatione augetur per potentiam augmentatiuam, quam habet talis augmentatio, nō tribuitur generanti, sed ipsi genito: quia ergo grauia & leuia transacta iam generatione mouenaur ad sua loca per propriam virtutem motiuam, quam habet, ideo mouentur à se.

Ex dictis in hac quæstione sequitur, quod essentia non sit causa instrumentalis suarum passionum, vt auctores contrarij volunt, sed potius est causa efficiens principalis: quia cum essentia sit perfectior passionibus non potest esse causa instrumentalis, & in proportionata, sed debet esse principalis, iuxta doctrinam in hac quæstione supra traditam.

Etsi obijcias: nam ex hoc sequitur, quod substantia sit immediatum principium operandi. Et probatur: quia quando substantia producit in se primum accidens, est causa immediata talis accidentis: ergo si est causa principalis, sequitur substantiam esse immediatum principiū operādi, quod tamen omnes negant.

Respondetur quod substantia potest considerari dupliciter, v. g. substantia ignis, vno modo quando est perfectè producta, non solum quantum ad suam substantiam, sed etiam quantum ad suas potentias & proprietates: nam generatio ignis non censetur absolutè perfecta, quo vsque omnes proprietates, & potentiæ sint productæ: alio vero modo potest considerari substantia ignis secundum se præcisè. Quando ergo dicitur, quod substantia non est immediatum principium operandi, sermo est de substantia iam perfectè producta, quantum ad suas passiones & potentias: tunc enim operatur mediantibus suis potentijs: tamen substantia quando producit primum accidens, nempe primam passionem, non est perfectè producta, quia nondum passiones & potentiæ eius sunt productæ.

Ex dictis etiam potest facile solui alia dubitatio, quæ hoc loco tractari solet, nempe à quo reducatur à qua in pristinam frigiditatem, quando postquam calefacta est, reducitur ad pristinam frigiditatem: vtrum qua reducatur à se ipsa actiue, vel à generante, & eadem erit quæstio de qualibet alia re, quæ reducitur ad suam antiquam qualitatem.

1. Sentent. Prima sententia asserit, quod quādo à qua calefit semper in ea remanēt aliquæ partes frigidiores alijs, quæ se interius recluserunt, à quibus postea cessante actione caloris, tota aquā iterum frigefit. Sic tenet Aberroes 2. lib. de anima comentario primo, & probabilem reputat Caietanus prima parte, quæst. 5. artic. 3..

Hæc tamen sententia non satisfacit, quia licet partes aquæ, quę magis distant ab igne, minus calefiāt, quàm aliæ proximiores; tamen reuera omnes calefiunt. Quis enim dicet in aqua multum feruenti esse aliquā partem ad quam calor non peruenerit: cum ergo omnes illæ partes iterum reducantur ad suam pristinā frigiditatem oportet assignare causam efficientem talis actionis.

2. Sentent. Quare secunda sententia asserit, quod quanuis cōtingat aquam esse formaliter calidam, semper tamen est virtualiter frigida. Quemadmodum vinum siue frige factum virtualiter habet calorem, & ita ad stomachum perueniens, illum calefacit: neque enim repugnat aliquid formaliter esse frigidum, & virtualiter calidum. Sic tenet Ibellus. 8. physicorum, quæst. 9. & reuera si hæc sententia asserat, aquam à se ipsa actiue reduci ad suū pristinum statum, verum dicit, vt statim videbimus, si tamen aliud intendat, id non satis explicat.

3. Sentent. Tertia sententia asserit, aquam reduci ad pristinam frigiditatem ab aere ambienti. Sic tenet Burrleus 2. physic. in principio Tolc. eodem li. quæst. 1. Sed neque hoc placet, quia quanuis aer ambiēs possit esse causa aliqualis frigiditatis, non tamen tantæ quantum habet aqua: nam cum aqua sit natura sua frigidior aere, quomodo potest aer in aqua causare maiorem frigiditatem, quàm in se habet: quia nemo dat, quod non habet.

4. Sentent. Quarta sententia asserit, quod quando aqua calefit, ratione caloris fit aliquantulum rara. Deinde verò remoto calefaciente, intendit se condensare, & ad densitatem consequitur frigiditas. Tenet Venet. 8. physic. sed non placet. Quia potius frigiditas est causa densitatis, atque adeò prior illa quam è contra. Nam quia aqua in hyeme nimis frigida est, cōtingit, quod conuertatur in gelu, & ita cum frigiditas sit prior densitate non potest.

non poteſt eſſe denſitas cauſa frigiditatis.

5. Sentent. Quinta ſententia aſſerit, aquam reduci ad priſtinā frigiditatem à generante, quam tuentur, qui exiſtimant grauia & leuia moueri à generante: nam ſicut motum localem grauium & leuium tribuunt generanti, ita & motū alterationis, quo aqua infridatur, in quo cōſequenter loquuntur: tamen ſicut nos aſſerimus grauia & leuia moueri localiter à ſe actiuè, & principaliter: ita dicendum eſt in motu naturali alterationis, aquā à ſua propria forma ſubſtantiali, tanquam à principio actiuo principali reduci ad priſtinam frigiditate, eadē enim eſt ratio de motu locali naturali & de motu alterationis. Nec eſt inconueniēs ſubſtantiam eſſe immediatū principium operandi (vt diximus) quando ſubſtantia eſt in eſſe imperfecto, quia nondum habet omnes potentias, quibus operatur. Sic tenet Auicen. lib. 1. ſufficientiæ. c. 5. Enriq. quodlibeto 11. q. 6. & ex Thomiſt ſecuntur hanc ſententiam Capreol. in 2. d. 6. q. 1. ar. 3. Caiet. 1. part. quæſt. 54. artic. 3. Sunc. 9. Met. q. 8. Ferr. 8. phyſ. q. 1. tenet etiam Fonſec. lib. 5. met. cap. 2. q. 6. ſect. 5.

Aqua reducit ſe ad ſuā priſtinā frigiditatē à ſe ipſa.

DISPVTATIO SECVNDA,

DE CAVSA IN COMMVNI ſumpta.

EGIMVS Hactenus de natura, à qua ens naturale tale denominatur: nunc vero de cauſis ipſius entis naturalis agendum eſt, de quo diſputat Ariſtot. hoc lib. à text. 27. vſque ad 74. prius tamen diſputandum nobis eſt de cauſa in cōmuni, deinde vero de ſingulis cauſis in particulari.

QVAESTIO. I.

Quid ſit cauſa, & eius cauſalitas.

QVEMADMODUM agens denominatur agere ab actione, quæ ab illo fluit, ita causa, talis denominatur, quia aliquam præstat causalitatem circa effectũ, quẽ causat, & ita videndum est, in quo cõsistat ratio causæ, & ratio causalitatis.

Suppositio. 1. Suppono autem, id quod in primo libro, dist. 4. quæst. 1. dixi, scilicet, causam esse quid superius ad principium, ita vt præter rationem principij dicat influxum aliquẽ circa effectum, & ita quanuis priuatio sit principium rei naturalis, non tamen est causa, nisi impropriè & largo modo vtamur nomine causæ: qua ratione Aristot. 4. Met. textu 2. & 5. Met. textu 1. docet causam & principiũ cõuerti, & 1. 2. meth. textu. 12. priuationem appellat causam.

Supposi. 2. Suppono secundo, causam, causalitatem, & conditionem causandi multum differre, causa enim vt nomen præsefert, est id quod causat, causalitas vero est influxus ille medio quo causat: conditio vero causandi est aliquid distinctum à causa & causalitate, requisitum tamen ad causandum. V. g. vt ignis calefaciat requiritur à proximatio ipsius ignis ad combustibile, quæ tamen à proximatio non est causa, quia non est id, quod calefacit, tantum enim ignis & calor sunt quæ calefaciunt: neque etiam est causalitas, quia prius est ignem à proximari, quam causare calorem per calefactionem, quæ est eius causalitas: solum ergo est conditio requisita ad causandum calorem.

Suppositi. 3. Tertio suppono, quod causa est duplex, alia physica: alia moralis, illa appellatur causa physica, quæ physicum influxum verè & realiter causat in effectum. Causa verò moralis est illa, quæ non causat influendo physice in effectum, sed consulendo, vel præcipiendo quod fiat, hoc, vel alio, vel simili modo. Qua ratione dominus est causa moralis eius, quod seruus facit: & rursus causa physica siue moralis, alia est causa in actu, alia vero in potentia, vt docuit Aristoteles hoc lib. text. 34. causa in actu est illa, quæ actu influit in effectum, vt quando ignis actu calefacit. Causa vero in potentia est, quæ potest influere, & hoc modo vsurpatur causa frequentius, quia scientia non agit de rebus, vt actu existunt, sed secun-

cundum se & absolute consideratis.

1. Sentent. His suppositis circa præsentem difficultatẽ prima sententia asserit rationem formalem causę, esse relationem de Eius fund. de prædicamento relationis, & ita causalitatẽ à qua denominatur causa, esse relationẽ causæ ad effectũ. Tenet Soc. 5. Met. q. 1. & probari potest hæc sententia: quia relatiua sunt, quorũ totũ suũ esse est ad aliud se habere: sed totum Sup[?] esse causę, vt sic, est in ordine ad effectũ: ergo causa, vt causa est formaliter importat relationem.

Quæ fuerit formalis causa. Sed nihilominus dicẽdũ est, rationẽ formalẽ causę esse aliquid absolutũ, & ita causalitatẽ non esse aliquã relationẽ, sed fundamentũ absolutũ ad quod cõsequatur relatio. Est cõmunis sẽtẽtia, & probatur: quia causa, vt sic, est quæ causat & influit in effectũ: sed relatio non est actiua, neq; operatiua, vt sæpe diximus: similitudo enim, vel paternitas nihil operatur, ergo ratio formalis causæ non potest esse aliqua relatio secundum esse, sed debet esse absoluta.

Secũdo quia inter relationes, quædã fundatur in causalitate, quales sunt relationes secũdi generis, quę fundãtur in actione & passione: ergo causalitas, quæ est id per q^d constituitur causa in ratione causæ in actu, aliquid præuiũ est ante relationẽ: ergo est aliquid absolutũ. Ex quo sequitur, quod causa in actu non sẽper denominatur talis per intrinsecã denominationem, bene tamen causa in potẽtia. Probatur primũ, quia causa in actu cõstituitur per actualem causalitatẽ: sed causalitas causę nõ semper est intrinsecè in ipsa causa: qualiter agentia, quę agũt actione trãseũti denominãtur agentia, extrinseca denominatione ab actione, quæ est in passo, vt latius prosequar infra in disputatione de causa efficiẽti: ergo causa in actu nõ semper denominatur talis per intrisecã denominationẽ: quod amplius patebit, cũ disputem^9 de causalitate cuiuslibet causæ in particulari: tamẽ quod causa in potentia denominetur talis per intrinsecã denominationẽ patet, quia causa in potẽtia non denominatur ab actuali causalitate, sed à virtute causatiua: sed quęlibet causa habet intrinsecã virtutẽ causatiuã, per quã causat, ergo causa in potẽtia đ qua pręcipuè loquimur, & quę est causatiua, reuera denominatur talis per denominationem intrinsecã, quę sit aliqua ratio absoluta.

Resp. ad fund. contrariæ sent.

Vnde ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quod sicut pater potest considerari duobus modis, vno modo prout formaliter importat relationem ad filium: & sic totum esse patris, est in ordine ad filium, alio modo pro substantia generante, & hoc modo est aliquid absolutum, ad quod consequitur relatio paternitatis: ita causa si cōsideretur prout i[illegible] oluit relationem ad eff[illegible]ctum, totum esse illius est in ordine ad effectum, tamen si consideretur pro illa entitate absoluta, quæ habet virtualem causatiuam, hoc modo, est fundamentum relationis causatiui ad causabile.

Ex dictis patet qualis definitio causę possit assignari, & in primis non placent, qui asserunt Arist. hoc modo diffinisse causam, *Causa est vnde incipit motus*: nam reuera Arist. hoc lib. textu 30. vbi habentur illa verba non intendit in illis diffinire causam in communi, sed causam efficientem in particulari: nam enumerans causas, sic ait, *Sed alterum quidem vt materia, alterum vero, vt id vnde est motus*: ergo distinguit id vnde est motus à causa materiali, atque adeò ibi non diffinit causam in communi, imò apud Arist. non inuenitur aliqua diffinitio causæ in communi, vt notauit Perey. 8. physic. ca. 1. quia vt infra dicam, causa in communi est quid Analogum ad omnes causas, non vero vniuocum, & Analoga prius sunt diuidenda, quàm definienda, & ita Aristot. tum hoc lib. tum etiam quinto Metaph. cap. 2. vbi tractationem de causis aggreditur, semper incipit di[illegible] causam in communi. Sed nihil minus Analoga diffiniri possunt cum essentiam aliquā habeant, imo & conceptum præcisum ab Analogatis, vt suo loco nos diximus. Ex pluribus autem definitionibus causæ, quas hoc loco auctores adducunt, placet communis definitio causæ, quam adducit Fonseca 5. Meta. capite 2. scilicet, *Causa est à qua per se dependet effectus*, vbi illud verbum, *Dependet*, influxum dicit, & ita excluduntur ab hac diffinitione relatiua: quia quamuis vnum relatiuum dependet ab alio tanquam à termino, non tamen tanquam ab influente, in illo excluditur etiam priuatio, quę est terminus à quo generationis: nam quamuis generatio dependeat à priuatione tāquā à ter-

Definitio causæ.

à termino, non tamen tanquam à causa influente in illam.

QVAESTIO. II.

Vtrum sint quatuor causae, & qualiter causa in communi dicatur de illis.

Circa primũ, quod inquirit quaestio variae fuerunt apud antiquos sententiae, imò & apud recentiores, variae etiam sunt opiniones, quae ad tria capita reduci possunt.

1. sent. Prima sententia asserit esse plures, quam quatuor causas rerum naturalium: quam sententiam secuti sunt antiqui Phylosophi, qui infinita principia rerum naturalium assignabant, alij decem, quos iam 1. lib. retulimus. Illi enim non distinguebant inter principium & causam. Galenus etiã lib. 6. de vsu partium plures quàm quatuor causas esse asserit. Et probari potest haec sententia. Primo quoniam exemplar reuera est causa, nam artifex medio exemplari causat suum effectum artificialẽ, & tamen non est causa materialis, formalis, efficiens, aut finalis: ergo sunt plures causae.

Definitio causa

Rationes dub.

Probatur minor: quia in primis non est causa materialis: quia causa materialis est, quae recipit aliquẽ effectum: sed effectus artificialis non recipitur in exemplari, quod est in mente artificis, sed potius producitur ad extra: ergo exẽplar non est causa materialis. Quod non sit causa formalis, probatur: quia forma informat effectum, cuius est causa sed exemplar cum sit in mente artificis non potest informare effectum ad extra existẽtem, quia forma debet esse in eo quod informat. Quod vero nõ sit causa efficiens, probatur: quia quãdo artifex cõstruit domũ, manus illius sunt quae effectiuè illam cõstruũt, non vero exemplar, quod est in sua mente. Quod vero non sit causa finalis, probatur: quia finis est cuius gratia aliquid fit, sed exẽplar est propter effectum construendum: ergo potius effectus est finis exemplaris, quam è contra, ergo sunt plures causae quam quatuor. Secundo quia obiectum est causa actus: qua ratione color concurrit ad visionem, & intelligibile ad intellectionem, non tamen est aliqua causa: ex dictis: ergo sunt plures.

Secunda sententia asserit esse pauciores, quàm quatuor causas: 2. Sentent.

causas:nã Plato vt refert Laertius lib de vitis Philosophorum duas tantu n assignauit, nempe efficienté, quã Deum esse asserebat, & etiã causam materialem. Estoici vero vt refert Seneca Epistola. 66. tres causas asignarunt scilicet Deum, materiam & formam, & probari potest, quod sint pautiores quam quatuor causæ, primo nam causa est quæ aliquid agit: sed materia nihil agit, quia non est actiua cu n sit pura potentia passiua: ergo non est causa.

Rationes dub.

Secundo quia causa finalis videtur quod non sit causa: quia causa est, quæ influit in effectum: sed finis nõ potest influere in effectũ: ergo non est causa. Probatur minor quia multoties finis non existit actu à parte rei: sæpe enim operamur propter acquirendam sanitaté nondum cõparatam: sed quod non est non potest influere: ergo causa finalis non est causa.

Tertio quia causa finalis & formalis est eadẽ causa: ergo non sunt quatuor. Probatur antecedens, quia finis quem intendit generans per suã generationem est forma producenda, intendit enim producere formam: ergo coincidũt causa formalis & finalis.

Tertia & vera sentẽtia est à nobis tenẽda Arist. hoc libr. qui tãtũ quatuor causas assignat, scilicet, materialé formalé, efficienté & finalé quẽ omnes Peripatetici. sequuntur; loquimur tñ de causis perse, nõ vero de causa per accidẽs, qualiter album per accidens est causa ędificij: quia non in quãtũ albũ, sed in quantũ ędificator edificat. Probatur cõclusio: quia ad interrogationẽ factam per, quare, respõdemus per causam: sed interrogatio facta per quare, tãtũ est quatuplex: ergo tãtũ sũt quatuor genera causarũ. Probatur minor: quia vel interrogamus, quare sit res, idest, aquo efficiẽti: & sic respondetur per causam efficiẽté, vel propter quid sit, & tunc respõdetur propter finẽ, vel exquo sit, & sic respõdemus per causam materialé, vel per q̃ sit, & sic respondetur per formam: forma enim est id per q̃ res habet esse, deniq; etiã patebit si soluerimus argumẽta, quæ in cõtrariũ adiecta sunt.

Quatuor sunt genera causarum.

Et quidẽ primũ argumẽtum postulat explicemus ad quã causam exconumeratis reducẽdũ sit exẽplar, de quo non satis conuenit inter auctores imo circa naturã exẽplaris viriê etiam sentiunt. & in primis cõueniunt omnes, exemplar nõ esse speciem in-

tel igi-

Quod sunt partes exemplaris.

telligibile, nam species intelligibilis præcedit intellectionem, tanquam causa illius: exemplar vero formatur per intellectionem. Quare restat quod exemplar, vel sit conceptus formalis, seu imago producta per actum intelligendi, quæ re vera est verbum mentis, vel sit conceptus obiectiuus cognitus per actum intelligendi.

Plures asserunt exemplar seu ideam, quod idem est non esse conceptum formalem repræsentatiuum, sed ipsum conceptum obiectiuum cognitum, quem res arte facta postea imitatur. Tenet Scotus in. 1. dist. 35. q. vnica Ocam, & Gabriel eadem distinctione. q. 5. Durand. d. 36. quæst 3 & plures alij estque probabilis opinio, &c.

Quid sit exemplar.

Veruntamen longe probabilius est exemplar esse conceptum formalem repræsentatiuum rei intellectæ, quod est verbum mentis formatum de refacienda, vt communis opinio tenet. Ratio est: quia exemplar debet esse imago: quia in imagine tanquam in exemplari videmus obiectum: sed imago in intellectu est conceptus, formalis non vero obiectibus: ergo.

Hoc supposito quidam asserunt exemplar pertinere ad causam efficientem: ita Scotus, in. 1. d. 2. q. 2. Bonauentura in. 3. d. 11. q. 3. Alex. Alensis. 1. p. q. 23. membro. 4. artic. 1. Alij vero asserunt exemplar esse reducendum ad genus causæ formalis tenet Albertus in. 1. d. 2. art. 1. Enriqus quodlibeto, 9. q. 1. Durand. in. 1. d. 45. q. 2. Caietanus. 1. parte, quæstione. 6. artic. 4. & quæst. 44. art. 3.

Quid sententiam est de causa exemplari, & soluuntur. 1. sententia.

Ego vero vtramque sententiam veram existimo, quia exemplar potest considerari duobus modis, primo vt est id quo artifex operatur, illique deseruit ad operandum, & sic pertinet ad genus causæ efficientis, saltem instrumentalis. Si tamen consideretur in quantum imago gerit vicem obiecti media repræsentatione: hoc modo, est causa formalis saltem extrinseca. Et quod hoc ita sit dicendum, probatur in primis quo ad priorem partem: nam dispositiones materiales, quæ scilicet se habent ex parte materiæ in omnium sententia reducuntur ad causam materialem: quia præparant materiam, vt nouam formam recipiat: ergo similiter exemplar quod se habet ex parte causæ efficientis, quando operatur, illamque dirigit ad operationem debet reduci ad genus causæ efficientis instrumentalis, &c.

Secundo quia instrumentum est

est id, quo causa efficiens operatur: sed artifex medio exéplari operatur producédo talé, vel talé effectú: ergo est causa efficiés instrumétalis.

Est tamen aduertendum, quod non est causa efficiens Physica, quia ridiculum est dicere, quod exemplar quod est intra mentem artificis per realem, & Physicum influxum adextra prouenientem domum construat: solum ergo est causa efficiens directiua, quia est quod dirigit ad effectum producendum, & veluti instrumentum quo effectus ordinatur, & dirigitur, Quod vero exemplar secundo modo consideratum sit, causa, formalis saltem extrinseca docuit in primis Aristoteles hoc lib. textu. 27. vbi enumerans causas, sic inquit. *Alia est forma, & exemplar, quæ est forma quidem est ratio.* Quo nihil clarius dici potest, & similia verba repetit 5 meth. cap. 2. & ratione probatur. Quia quem admodum forma naturalis tribuit esse ipsi rei, cuius est forma: ita exemplar, seu imago dat esse obiecto repre sentato, quasi in esse represen tatiuo, & ita hoc modo habet rationem formæ, non intrinsecè, quia imago reliter & intrinsecè non est in re quam repræsentat, sed est forma extrinseca, aqua. obiectú in esse representatiuo habet esse, sicut quia actus specificantur per obiecta, & tribuere speciem, pertinet ad formá, obiectum appellatur causa formalis extrinseca respectu actus, & hinc patet solutio ad secúdá rationem. Respondetur enim obiectú esse causam formalem extrinsecam actus modo explicato, imo aliquando est causa efficiens, vt quando producit speciem in potétia cognoscitiua media qua causat actum cognitionis.

Exemplar est causa directiua efficiens.

Ad argumēta secundę senté tiæ respondetur, ad primú ꝙ de ratione causæ in cómuni non est ꝙ aliquid agat, agere enim tátú pertinet ad causam efficiété, cuius causalitas est actio: solú ergo est de ratione causæ, ꝙ aliquid causet, vel agédo vt causa efficiens, vel recipiédo vt causa materialis, & ita agere, & causare se habét sicut superius, & inferius.

Resp. ad ratio. 2. sent.

Circa secundú igitur argumétum auctores, didissident an finis sit appellandus causa realis & Physica. Quidá enim tenent parté affirmatiuá, ducti ex eo ꝙ Arist. hoc lib. vbi agit de causis Physicis, & realibus, finalé etiá connumerat. Alij vero asserunt reuera finé non esse causam realem, & Physicam. Existimo tamen

quem

quem magis esse de nomine quàm de re ipsa, nullus enim potest dicere, quod si proprie & in rigore loquamur finis sit causa realis, & Physica primo quia vt argumentũ reuera ostendit, finis quando mouet non est, appetimus enim finẽ quem nondum habemus, nõ vero finem iam possessum, id vero quod actu non est, non est ens reale, neque aliquid Physicum, imò multoties appetimus finem reuera impossibilem, quanuis à nobis apprehendatur possibilis, id autem quod est impossibile nõ est ens reale, & aliquid Physicũ. Tum etiam: quia in rigore loquendo causalitas finis non est Physica nam finis non influit realiter in effectũ ad extra productũm: sed eius causalitas est methaphorica, in quantũ attrahit, & mouet voluntatem motione quadã methaphorica: ergo in rigore loquendo finis nõ est causa realis, & Physica, Ar. autẽ solũ enumerat finem inter causas physicas, quia est causa entis naturalis de quo agit Physicus, non tamẽ est causa realis, sed methaphorica.

Resp. ad arg. 2. [margin note]

Finis est causa methaphorica. [margin note]

Ad tertium respondetur quod quanuis contingat causam formalem, & finalẽ coincidere secundum rem, non tamen habent eandem rationẽ formalem: nam forma producta per generationem potest considerari duobus modis: primo secundum quod dat esse subiecto in quo est informando illud, & hoc modo habet rationem causæ formalis: alio modo consideratur in quantum est id cuius gratia agens operatur, & quod per generationem intendit, & hoc modo habet rationem causæ finalis, quia est finis intentus quanuis non principalis: nam in generatione quod principaliter intenditur est ipsum compositum: forma vero est finis minus principalis in quantum est id quod vltimate constituit compositum naturale.

Quid aduerti. [margin note]

Tandem in hac re aduertendum est, has omnes causas non concurrere ad quamlibet rem: nam forma quãuis habeat causam materialẽ efficientem & finalem, tamẽ nõ habet causam formalẽ: quia non habet esse ab alia forma & similiter materia non habet causam materialem, quia est primum subiectum, & finis vltimus non habet alium finem propter quem sit, aliàs non esset vltimus. Et prima causa efficiens non habet causam, quia habet esse à se, concurrunt tamẽ istæ omnes causæ ad quodlibet compositũ natura-

R. ad rationes Ar. Neque rationes quas Arist. conficit aliquid probát contra nos. Ad primam respondetur distinguando antecedens: scilicet, quæ mouentur à se, habent vitam: nam si sensus sit, quę se mouēt, idest spõtaneè mouentur, habent vitã, verum est antecedens, nos tamen non asserimus grauia & leuia mouere se hoc modo: si tamen sensus sit, quod, illa quę mouētur à se, idest, à principio intrinseco actiuè habēt vitam fallum est antecedens, & ratio petit principium, idē quærimus ; an etiam quæ non habent vitam moueantur à se.

Ad secundam respondetur falsum esse, quod illud quod mouetur à se debeat habere partem per se mouentem integralem distinctam à parte per se mota, vt superiori quęstione ostēdimus, & ita quęlibet pars ipsi' grauis est per se mouens ratione grauitatis & per se mota ratione potentiæ passiuę, quàm habet ad talem motum, & ex hoc tãtum licet inferre, esse in actu virtuali & impotentia formali ad motum, vt eodē loco explicatũ est. Ad Arist. vero quãdo dicit, in eo qđ mouetur à se, debere distingui partem per se mouentem à parte per se mota, iam diximus intelligēdum esse de partibus essentialibus, ita quod forma substantialis sit mouens actiuè media grauitate, materia vero sit per se mota, idest, quod recipit motum.

Ad tertiam quod non quęcumque, quæ mouentur à se possunt in medio motus sistere: nam planta in omnium opinione mouetur à se motu augmentationis, cum sit viuens, nõ tamen potest in medio augmentationis desistere à tali motu, sed necessario augetur, quo vsq; perveniat ad suum maximum: solum ergo illa propositio est vera de his quæ se mouent sponte sua, qualia sunt animalia: grauia vero & leuia non se mouent hoc modo, &c.

Ad quartam respondetur, distinguendo illam propositionem. Qui dat formam, dat consequentia ad formam: nam si sermo sit de consequentibus ad formam in instanti generationis, & ex vi ipsius generationis, verum est: & ita quod graue generetur in tali loco, generanti tribuitur: tamen si sermo sit de consequentibus ad formam trãsacta iam generatione per principium proprium ipsius geniti, falsa est propositio: hæc enim potius tribuuntur ipsi genito, vt quando viuens genitum

genitum transacta iam generatione augetur per potentiam augmentatiuam, quam habet talis augmentatio, nō tribuitur generanti, sed ipsi genito: quia ergo grauia & leuia transacta iam generatione mouenaur ad sua loca per propriam virtutem motiuam, quam habet, ideo mouentur à se.

Ex dictis in hac quæstione sequitur, quod essentia non sit causa instrumentalis suarum passionum, vt auctores contrarij volunt, sed potius est causa efficiens principalis: quia cum essentia sit perfectior passionibus non potest esse causa instrumentalis, & in proportionata, sed debet esse principalis, iuxta doctrinam in hac quæstione supra traditam.

Etsi obijcias: nam ex hoc sequitur, quod substantia sit immediatum principium operandi. Et probatur: quia quando substantia producit in se primum accidens, est causa immediata talis accidentis: ergo si est causa principalis, sequitur substantiam esse immediatum principiū operādi, quod tamen omnes negant.

Respondetur quod substantia potest considerari dupliciter, v. g. substantia ignis, vno modo quando est perfectè producta, non solum quantum ad suam substantiam, sed etiam quantum ad suas potentias & proprietates: nam generatio ignis non censetur absolutè perfecta, quo vsque omnes proprietates, & potentiæ sint productæ: alio vero modo potest considerari substantia ignis secundum se præcisè. Quando ergo dicitur, quod substantia non est immediatum principium operandi, sermo est de substantia iam perfectè producta, quantum ad suas passiones & potentias: tunc enim operatur mediantibus suis potentijs: tamen substantia quando producit primum accidens, nempe primam passionem, non est perfectè producta, quia nondum passiones & potentiæ eius sunt productæ.

Ex dictis etiam potest facile solui alia dubitatio, quæ hoc loco tractari solet, nempe à quo reducatur aqua in pristinam frigiditatem, quando postquam calefacta est, reducitur ad pristinam frigiditatem: vtrum aqua reducatur à se ipsa actiue, vel à generante, & eadem erit quæstio de qualibet alia re, quæ reducitur ad suam antiquam qualitatem.

1. Sentent. Prima sententia asserit, quod quādo à qua calefit semper in ea remanēt aliquæ partes frigidiores alijs, quæ se interius recluserunt, à quibus postea cessante actione caloris, tota aquā iterum frigefit. Sic tenet Aberroes 2. lib. de anima comentario primo, & probabilem reputat Caietanus prima parte, quæst. 5. artic. 3.

Hæc tamen sententia non satisfacit, quia licet partes aquæ, quę magis distant ab igne, minus calefiāt, quàm aliæ proximiores: tamen reuera omnes calefiunt. Quis enim dicet in aqua multum feruenti esse aliquā partem ad quam calor non peruenerit: cum ergo omnes illæ partes iterum reducantur ad suam pristinā frigiditatem oportet assignare causam efficientem talis actionis.

2. Sentent. Quare secunda sententia asserit, quod quanuis cōtingat aquam esse formaliter calidam, semper tamen est virtualiter frigida. Quemadmodum vinum siue frigefactum virtualiter habet calorem, & ita ad stomachum perueniens, illum calefacit: neque enim repugnat aliquid formaliter esse frigidum, & virtualiter calidum. Sic tenet Isbellus. 8. physicorum, quæst. 9. & reuera si hæc sententia asserat, aquam à se ipsa actiue reduci ad suū pristinum statum, verum dicit, vt statim videbimus, si tamen aliud intendat, id non satis explicat.

3. Sentent. Tertia sententia asserit, aquam reduci ad pristinam frigiditatem ab aere ambienti. Sic tenet Burrleus 2. physic. in principio Tolc. eodem li. quæst. 1. Sed neque hoc placet, quia quanuis aer ambiēs possit esse causa aliqualis frigiditatis, non tamen tantæ quantum habet aqua: nam cum aqua sit natura sua frigidior aere, quomodo potest aer in aqua causare maiorem frigiditatem, quàm in se habet: quia nemo dat, quod non habet.

4. Sentent. Quarta sententia asserit, quod quando aqua calefit, ratione caloris fit aliquantulum rara. Deinde verò remoto calefaciente, intendit se condensare, & ad densitatem consequitur frigiditas. Tenet Venet. 8. physic. sed non placet. Quia potius frigiditas est causa densitatis, atque adeò prior illa quam è contra. Nam quia aqua in hyeme nimis frigida est, cōtingit, quod conuertatur in gelu, & ita cum frigiditas sit prior densitate non potest

non poteſt eſſe denſitas cauſa frigiditatis.

5. Sentent. Quinta ſententia aſſerit, aquam reduci ad priſtinā frigiditatem à generante, quam tuentur, qui exiſtimant grauia & leuia moueri à generante: nam ſicut motum localem grauium & leuium tribuunt generanti, ita & motū alterationis, quo aqua infridatur, in quo cōſequenter loquuntur: tamen ſicut nos aſſerimus grauia & leuia moueri localiter à ſe actiuè, & principaliter: ita dicendum eſt in motu naturali alterationis, aquā à ſua propria forma ſubſtantiali, tanquam à principio actiuo principali reduci ad priſtinam frigiditate, eadē enim eſt ratio de motu locali naturali & de motu alterationis. Nec eſt inconueniēs ſubſtantiam eſſe immediatū principium operandi (vt diximus) quando ſubſtantia eſt in eſſe imperfecto, quia nondum habet omnes potentias, quibus operatur. Sic tenet Auicen. lib. 1. ſufficientiæ. c. 5. Enriq. quodlibeto 11. q. 6. & ex Thomiſt ſecuntur hanc ſententiam Capreol. in 2. d. 6. q. 1. ar. 3. Caiet. 1. part. quæſt. 54. artic. 3. Sunc. 9. Met. q. 8. Ferr. 8. phyſ. q. 1. tenet etiam Fonſec. lib. 5. met. cap. 2. q. 6. ſect. 5.

Aqua reducit ſe ad ſuā priſtinā frigiditatē à ſe ipſa.

DISPVTATIO SECVNDA,

DE CAVSA IN COMMVNI ſumpta.

EGIMVS Hactenus de natura, à qua ens naturale tale denominatur: nunc vero de cauſis ipſius entis naturalis agendum eſt, de quo diſputat Ariſtot. hoc lib. à text. 27. vſque ad 74. prius tamen diſputandum nobis eſt de cauſa in cōmuni, deinde vero de ſingulis cauſis in particulari.

QVAESTIO. I.

Quid ſit cauſa, & eius cauſalitas.

QVEMADMODUM agens denominatur agere ab actione, quæ ab illo fluit, ita causa, talis denominatur, quia aliquam præstat causalitatem circa effectũ, quẽ causat, & ita videndum est, in quo cõsistat ratio causæ, & ratio causalitatis.

Suppositio. 1 Suppono autem, id quod in primo libro, dist. 4. quæst. 1. dixi, scilicet, causam esse quid superius ad principium, ita vt præter rationem principij dicat influxum aliquẽ circa effectum, & ita quamuis priuatio sit principium rei naturalis, non tamen est causa, nisi impropriè & largo modo vtamur nomine causæ: qua ratione Aristot. 4. Met. textu 2. & 5. Met. textu 1. docet causam & principiũ cõuerti, & 1. 2. meth. textu. 12. priuationem appellat causam.

Suppos. 2. Suppono secundo, causam, causalitatem, & conditionem causandi multum differre, causa enim vt nomen præsefert, est id quod causat, causalitas vero est influxus ille medio quo causat: conditio vero causandi est aliquid distinctum à causa & causalitate, requisitum tamen ad causandnm. V. g. vt ignis calefaciat requiritur à proximatio ipsius ignis ad combustibile, quæ tamen à proximatio non est causa, quia non est id, quod calefacit, tantum enim ignis & calor sunt quæ calefaciunt: neque etiam est causalitas, quia prius est ignem à proximari, quam causare calorem per calefactionem, quæ est eius causalitas: solum ergo est conditio requisita ad causandum calorem.

Tertio suppono, quod causa est duplex, alia physica: alia moralis, illa appellatur causa physica, quæ physicum influxum verè & realiter causat in effectum. Causa verò moralis est illa, quæ non causat influendo physice in effectum, sed consulendo, vel præcipiendo quod fiat, hoc, vel alio, vel simili modo. Qua ratione dominus est causa moralis eius, quod seruus facit: & rursus causa physica siue moralis, alia est causa in actu, alia vero in potentia, vt docuit Aristoteles hoc lib. text. 34. causa in actu est illa, quæ actu influit in effectum, vt quando ignis actu calefacit. Causa vero in potentia est, quæ potest influere, & hoc modo vsurpatur causa frequentius, quia scientia non agit de rebus, vt actu existunt, sed se- *Suppos. 3.*

cun-

tundum se & absolute consideratis.

His suppositis circa præsentem difficultatē prima sententia asserit rationem formalem causę, esse relationem de prædicamento relationis, & ita causalitatē à qua denominatur causa, esse relationē causæ ad effectū. Tenet Sōc. 5. Met. q. 1. & probari potest hæc sententia: quia relatiua sunt, quorū totū suū esse est ad aliud se habere: sed totum esse causę, vt sic, est in ordine ad effectū: ergo causa, vt causa est formaliter importat relationem.

1. Sententia.

Eius fund.

Suppo.

Sed nihilominus dicēdū est, rationē formalē causę esse aliquid absolutū, & ita causalitatē non esse aliquā relationē, sed fundamentū absolutū ad quod cōsequatur relatio. Est cōmunis sētētia, & probatur: quia causa, vt sic, est quæ causat & influit in effectū: sed relatio non est actiua, neq; operatiua, vt sæpe diximus: similitudo enim, vel paternitas nihil operātur, ergo ratio formalis causæ non potest esse aliqua relatio secundum esse, sed debet esse absoluta.

Quæ sit ratio formalis causæ.

Secūdo quia inter relationes, quædā fundātur in causalitate, quales sunt relationes secūdi generis, quę fundātur in actione & passione: ergo causalitas, quæ est id per q̄d constituitur causa in ratione causæ in actu, aliquid præuiū est ante relationē: ergo est aliquid absolutū. Ex quo sequitur, quod causa in actu non sēper denominatur talis per intrinsecā denominationem, bene tamen causa in potētia. Probatur primū, quia causa in actu cōstituitur per actualem causalitatē: sed causalitas causę nō semper est intrinsecè in ipsa causa: qualiter agentia, quę agūt actione trāseūti denominātur agentia, extrinseca denominatione ab actione, quæ est in passo, vt latius prosequar infra in disputatione de causa efficiēti: ergo causa in actu nō semper denominatur talis per intrisecā denominationē: quod amplius patebit, cū disputem' de causalitate cuiuslibet causæ in particulari: tamē quod causa in potentia denominetur talis per intrinsecā denominationē patet, quia causa in potētia non denominatur ab actuali causalitate, sed à virtute causatiua: sed quęlibet causa habet intrinsecā virtutē causatiuā, per quā causat, ergo causa impotētia d qua pręcipuè loquimur, & quę est causatiua, reuera denominatur talis per denominationem intrinsecā, quę sit aliqua ratio absoluta.

Vnde ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quod sicut pater potest considerari duobus modis, vno modo prout formaliter importat relationem ad filium: & sic totum esse patris, est in ordine ad filium, alio modo pro substantia generante, & hoc modo est aliquid absolutum, ad quod consequitur relatio paternitatis: ita causa si cősideretur prout in[illegible]oluit relationem ad effectum, totum esse illius est in ordine ad effectum, tamen si consideretur pro illa entitate absoluta, quæ habet virtualem causatiuam, hoc modo, est fundamentum relationis causatiui ad causabile.

Resp. ad fund. contrariæ sent.

Ex dictis patet qualis definitio causę possit assignari, & in primis non placent, qui asserunt Arist. hoc modo diffinisse causam, *Causa est vnde incipit motus*: nam reuera Arist. hoc lib. textu 30. vbi habentur illa verba non intendit in illis diffinire causam in communi, sed causam efficientem in particulari: nam enumerans causas, sic ait, *Sed alterum quidem vt materia, alterum vero, vt id vnde est motus*: ergo distinguit id vnde est motus à causa materiali, atque adeò ibi non diffinit causam in communi, imò apud Arist. non inuenitur aliqua diffinitio causæ in communi, vt notauit Perey. 8. physic. ca. 1. quia vt infra dicam, causa in communi est quid Analogum ad omnes causas, non vero vniuocum, & Analoga prius sunt diuidenda, quàm definienda, & ita Aristot. tum hoc lib. tum etiam quinto Metaph. cap. 2. vbi tractationem de causis aggreditur, semper incipit diuidendo causam in communi. Sed nihilominus Analoga diffiniri possunt cum essentiam aliquã habeant, imo & conceptum præcisum ab Analogatis, vt suo loco nos diximus. Ex pluribus autem diffinitionibus causæ, quas hoc loco auctores adducunt, placet communis definitio causæ, quam aducit Fonseca 5. Meta. capite 2. scilicet, *Causa est à qua per se dependet effectus*, vbi illud verbum, *Dependet*, influxum dicit, & ita excluduntur ab hac diffinitione relatiua: quia quamuis vnum relatiuum dependet ab alio tanquam à termino, non tamen tanquam ab influente, in illo excluditur etiam priuatio, quę est terminus à quo generationis: nam quanuis generatio dependeat à priuatione tãquã à ter-

Definitio causæ.

à termino, non tamen tanquam à causa influente in illam.

QVAESTIO. II.

Vtrum sint quatuor causæ, & qualiter causa in conmuni dicatur de illis.

CIrca primū, quod in quirit quæstio variæ fuerunt apud antiquos sententiæ, imò & apud recentiores, variæ etiam sunt opiniones, quæ ad tria capita reduci possunt.

1. sent. Prima sententia asserit esse plures, quàm quatuor causas rerum naturalium: quan sententiam secuti sunt antiqui Phylosophi, qui infinita principia rerum naturalium assignabant, alij decem, quos iam 1. lib. retulimus. Illi enim non distinguebant inter principium & causam. Galenus etiã lib. 6. de vsu partium plures quàm quatuor causas esse asserit. Et probari potest hæc sententia. Primo quoniam exemplar reuera est causa, nam artifex medio exemplari causat suum effectum artificialẽ, & tamen non est causa materialis, formalis, efficiens, aut finalis: ergo sunt plures causæ.

Probatur minor: quia in primis non est causa materialis: quia causa materialis est, quæ recipit aliquẽ effectum: sed effectus artificialis non recipitur in exemplari, quod est in mente artificis, sed potius producitur ad extra: ergo exẽplar non est causa materialis. Quod non sit causa formalis, probatur: quia forma informat effectum, cuius est causa sed exemplar cum sit in mente artificis non potest informare effectum ad extra existẽtem, quia forma debet esse in eo quod informat. Quod vero nõ sit causa efficiens, probatur: quia quãdo artifex cõstruit domũ, manus illius sunt quæ effectiuè illam cõstruũt, non vero exemplar, quod est in sua mente. Quod vero non sit causa finalis, probatur: quia finis est cuius gratia aliquid fit, sed exẽplar est propter effectum construendum: ergo potius effectus est finis exemplaris, quam ècontra, ergo sunt plures causæ quam quatuor. Secundo quia obiectum est causa actus: qua ratione color concurrit ad visionem, & intelligibile ad intellectionem, non tamen est aliqua causa: ex dictis: ergo sunt plures.

Bis sunt causæ · Rationes dub.

Secunda sententia asserit esse pautiores, quàm quatuor causas: 2. Sentent.

causas:

causas: nã Plato vt refert Laertius lib de vitis Philosophorum duas tantum assignauit, nempe efficientẽ, quã Deum esse asserebat, & etiã causam materialem. Estoici vero vt refert Seneca Epistola. 65. tres causas asignarunt scilicet Deum, materiam & formam, & probari potest, quod sint pauciores quam quatuor causæ, primo nam causa est quæ aliquid agit: sed materia nihil agit, quia non est actiua cum sit pura potentia passiua: ergo non est causa.

Rationes dub.

Secundo quia causa finalis videtur quod non sit causa: quia causa est, quæ influit in effectum: sed finis nõ potest influere in effectũ: ergo non est causa. Probatur minor quia multoties finis non existit actu à parte rei: sæpe enim operamur propter acquirendam sanitatẽ nondum cõparatam: sed quod non est non potest influere: ergo causa finalis non est causa.

Tertio quia causa finalis & formalis est eadẽ causa: ergo non sunt quatuor. Probatur antecedens, quia finis quem intendit generans per suã generationem est forma producenda, intendit enim producere formam: ergo coincidũt causa formalis & finalis.

Tertia & vera sentẽtia est q̃ nobis tenẽda Arist. hoc libr. qui tãtũ quatuor causas assignat, scilicet, materialẽ formalẽ, efficientẽ & finalẽ quẽ omnes Peripatetici sequuntur; loquimur tñ de causis perse, nõ vero de causa per accidẽs, qualiter album per accidens est causa ędificij: quia non in quãtũ albũ, sed in quantũ ędificator ędificat. Probatur cõclusio: quia ad interrogationẽ factam per, quare, respõdemus per causam: sed interrogatio facta per quare, tãtũ est quatuplex: ergo tãtũ sũt quatuor genera causarũ. Probatur minor: quia vel interrogamus, quare sit res, idest, aquo efficiẽti: & sic respondetur per causam efficiẽtẽ, vel propter quid sit, & tunc respõdetur propter finẽ, vel exquo sit, & sic respõdemus per causam materialẽ, vel per q̃ sit, & sic respondetur per formam: forma enim est id per q̃ res habet esse, deniq; etiã patebit si soluerimus argumẽta, quæ in cõtrariũ adiecta sunt.

Quatuor sunt genera causarum.

Et quidẽ primũ argumẽtum postulat explicemus ad quã causam exconumeratis reducẽdũ sit exẽplar, de quo non satis conuenit inter auctores imo circa naturã exẽplaris viriê etiam sentiunt & in primis cõueniunt omnes, exemplar nõ esse speciem intel igi-

Quod sentiunt causam. telligibilē, nam species intelligibilis præcedit intellectionem, tanquam causa illius: exemplar vero formatur per intellectionem. Quare restat quod exemplar, vel sit cōceptus formalis, seu imago producta per actum intelligēdi, quæ re vera est verbum mentis, vel sit conceptus obiectiuus cognitus per actum intelligendi.

Plures asserunt exemplar seu ideam, quod idē est non esse cōceptū formalē repræsentatiuum, sed ipsum conceptū obiectiuum cognitū, quem res arte facta postea imitatur. Tenet Scotus in. 1. dist. 35. q. vnica Ocam, & Gabriel eadē distinctione. q. 5. Durand. d. 36. quæst 3 & plures alij estque probabilis opinio, &c.

Quid sit exemplar. Veruntamen longe probabilius est exemplar esse cōceptum formalem repræsentatiuum rei intellectæ, quod est verbum mentis formatum de re facienda, vt comunis opinio tenet. Ratio est: quia exemplar debet esse imago: quia in imagine tanquam in exemplari videmus obiectū: sed imago in intellectu est conceptus, formalis nō vero obiectibus: ergo.

Hoc supposito quidam asserunt exemplar pertinere ad causam efficientē: ita Scotus, in. 1. d. 2. q. 2. Bonauentura in. 3. d. 11. q. 3. Alex. Alēsis. 1. p. q. 23. membro. 4. artic. 1. Alij vero asserunt exemplar esse reducendū ad genus causæ formalis tenet Albertus in. 1. d. 2. art. 1. Enriqus quodliueto, 9. q. 1. Durā. in. 1. d. 45. q. 2. Caietanus. 1. parte, quæstione. 6. artic. 4. & quæst. 44. art. 3.

Ego vero vtramque sententiam veram existimo, quia exemplar potest considerari duobus modis, primo vt est id quo artifex operatur, illique deseruit ad operandum, & sic pertinet ad genus causæ efficientis, saltem instrumētalis. Si tamen consideretur in quantum imago gerit vicem obiecti media repræsentatione: hoc modo, est causa formalis saltem extrinseca. Et quod hoc ita sit dicendum, probatur in primis quo ad priorem partem: nā dispositiones materiales, quæ scilicet se habēt ex parte materiæ in omnium sententia reducūtur ad causam materialem: quia præparant materiam, vt nouam formam recipiat: ergo similiter exēplar quod se habet ex parte causæ eficiētis, quādo operatur, illāque dirigit ad operationē debet reduci ad genus causę efficiētus instrumentalis, &c. *Quid sentiendum est de causa exemplari, & sol. nunc. 1. sententia.*

Secundo quia instrumentum est.

est id, quo causa efficiens operatur: sed artifex medio exẽplari operatur producẽdo talẽ, vel talẽ effectũ: ergo est causa efficiẽs instrumẽtalis.

Est tamen aduertendum, quod non est causa efficiens Physica, quia ridiculum est dicere, quod exemplar quod est intra mentem artificis per realem, & Physicum influxum ad extra prouenientem domum construat: solum ergo est causa efficiens directiua, quia est quod dirigit ad effectum producendum, & veluti instrumentum quo effectus ordinatur, & dirigitur.

Exemplar est causa directiua efficiens.

Quod vero exemplar secundo modo consideratum sit, causa, formalis saltem extrinseca docuit in primis Aristoteles hoc lib. textu. 27. vbi enumerans causas, sic inquit. *Alia est forma, & exemplar, quæ est sentia quidem est ratio.* Quo nihil clarius dici potest, & similia verba repetit 5 meth. cap. 2. & ratione probatur. Quia quemadmodum forma naturalis tribuit esse ipsi rei, cuius est forma: ita exemplar, seu imago dat esse obiecto repræsentato, quasi in esse repræsentatiuo, & ita hoc modo habet rationem formæ, non intrinsecè, quia imago realiter & intrinsece non est in re quam repræsentat, sed est forma extrinseca, a qua obiectũ in esse repræsentatiuo habet esse, sicut quia actus specificantur per obiecta, & tribuere speciem, pertinet ad formã, obiectum appellatur causa formalis extrinseca respectu actus, & hinc patet solutio ad secũdã rationem. Respondetur enim obiectũ esse causam formalem extrinsecam actus modo explicato, imo aliquando est causa efficiens, vt quando producit speciem in potẽtia cognoscitiua media qua causat actum cognitionis.

Resp. ad rat. 2. sent.

Ad argumẽta secundæ sentẽtiæ respondetur, ad primũ ꝙ de ratione causæ in cõmuni non est ꝙ aliquid agat, agere enim tãtũ pertinet ad causam efficiẽtẽ, cuius causalitas est actio: solũ ergo est de ratione causæ, ꝙ aliquid causet, vel agẽdo vt causa efficiens, vel recipiẽdo vt causa materialis, & ita agere, & causare se habẽt sicut superius, & inferius.

Circa secundũ igitur argumẽtum auctores, dissident an finis sit appellandus causa realis & Physica. Quidã enim tenent partẽ affirmatiuã, ducti ex eo ꝙ Arist. hoc lib. vbi agit de causis Physicis, & realibus, finalẽ etiã connumerat. Alij vero asserunt reuera finẽ non esse causam realem, & Physicam. Existimo tamen

quem

quem magis esse de nomine quàm de re ipsa, nullus enim potest dicere, quod si proprie & in rigore loquamur finis sit causa realis, & Physica primo quia vt argumētū reuera ostendit, finis quando mouet non est, appetimus enim finē quem nondum habemus, nō vero finem iam possessum, id vero quod actu non est, non est ens reale, neque aliquid Physicum, imò multoties appetimus finem reuera impossibilem, quanuis à nobis apprehendatur possibilis, id autem quod est impossibile nō est ens reale, & aliquid Physicū. Tum etiam: quia in rigore loquendo causalitas finis non est Physica nam finis non influit realiter in effectū ad extra productum: sed eius causalitas est methaphorica, in quantū attrahit, & mouet voluntatem motione quadā methaphorica: ergo in rigore loquendo finis nō est causa realis, & Physica, Ar. autē solū enumerat finem inter causas physicas, qu'a est causa entis naturalis de quo agit Physicus, non tamē est causa realis, sed methaphorica.

Respon. ad arg. 1. seq.

Finis est causa methaphorica.

Ad tertium respondetur quod quanuis contingat causam formalem, & finalē coincidere secundum rem, non tamen habent eandem rationē formalem: nam forma producta per generationem potest considerari duobus modis: primo secundum quod dat esse subiecto in quo est informando illud, & hoc modo habet rationem causæ formalis: alio modo consideratur in quantum est id cuius gratia agens operatur, & quod per generationem intendit, & hoc modo habet rationem causæ finalis, quia est finis intentus quanuis non principalis: nam in generatione quod principaliter intenditur est ipsum compositum: forma vero est finis minus principalis in quantum est id quod vltimate constituit compositum naturale.

Quid aduert.

Tandem in hac re aduertendum est, has omnes causas non concurrere ad quamlibet rem: nam forma quāuis habeat causam materialē efficientem & finalem, tamē nō habet causam formalē: quia non habet esse ab alia forma & similiter materia non habet causam materialem, quia est primum subiectum, & finis vltimus non habet alium finem propter quem sit, aliàs non esset vltimus. Et prima causa efficiens non habet causam, quia habet esse à se, concurrunt tamē istæ omnes causæ ad quodlibet compositū natura-

Neque rationes quas Arist. conficit aliquid probāt contra nos. Ad primam respondetur distinguando antecedens: scilicet, quæ mouentur à se, habent vitam: nam si sensus sit, quę se mouēt, id est spōtaneè mouentur, habent vitā, verum est antecedens, nos tamen non asserimus grauia & leuia mouere se hoc modo: si tamen sensus sit, quod illa quę mouetur à se, id est, à principio intrinseco actiue habēt vitam falsum est antecedens, & ratio petit principium, idē quærimus, an etiam quæ non habent vitam moueantur à se.

R. ad rationes Ar.

Ad secundam respondetur falsum esse, quod illud quod mouetur à se debeat habere partem per se mouentem integralem distinctam à parte per se mota, vt superiori quęstione ostēdimus, & ita quęlibet pars ipsi⁹ grauis est per se mouens ratione grauitatis & per se mota ratione potentiæ passiuę, quàm habet ad talem motum, & ex hoc tātum licet inferre, esse in actu virtuali & impotentia formali ad motum, vt eodē loco explicatū est. Ad Aris. vero quādo dicit, in eo qđ mouetur à se, debere distingui partem per se mouentem à parte per se mota, iam diximus intelligēdum esse de partibus essentialibus, ita quod forma substantialis sit mouens actiuè media grauitate, materia vero sit per se mota, id est, quod recipit motum.

Ad tertiam quod non quęcumque, quæ mouentur à se possunt in medio motus sistere: nam planta in omnium opinione mouetur à se motu augmentationis, cum sit viuens, nō tamen potest in medio augmentationis desistere à tali motu, sed necessario augetur, quo vsq; perveniat ad suum maximum: solum ergo illa propositio est vera de his quæ se mouent sponte sua, qualia sunt animalia: grauia vero & leuia non se mouent hoc modo, &c.

Ad quartam respondetur, distinguendo illam propositionem. Qui dat formam, dat consequentia ad formam: nam si sermo sit de consequentibus ad formam in instanti generationis, & ex vi ipsius generationis, verum est: & ita quod graue generetur in tali loco, generanti tribuitur: tamen si sermo sit de consequentibus ad formam trāsacta iam generatione per principium proprium ipsius geniti, falsa est propositio: hæc enim potius tribuuntur ipsi genito, vt quando viuens

genitum

genitum transacta iam generatione augetur per potentiam augmentatiuam, quam habet talis augmentatio, nõ tribuitur generanti, sed ipsi genito: quia ergo grauia & leuia transacta iam generatione mouentur ad sua loca per propriam virtutem motiuam, quam habet, ideo mouentur à se.

Ex dictis in hac quæstione sequitur, quod essentia non sit causa instrumentalis suarum passionum, vt auctores contrarij volunt, sed potius est causa efficiens principalis: quia cum essentia sit perfectior passionibus non potest esse causa instrumentalis, & in proportionata, sed debet esse principalis, iuxta doctrinam in hac quæstione supra traditam.

Etsi obijcias: nam ex hoc sequitur, quod substantia sit immediatum principium operandi. Et probatur: quia quando substantia producit in se primum accidens, est causa immediata talis accidentis: ergo si est causa principalis, sequitur substantiam esse immediatum principiũ operãdi, quod tamen omnes negant.

Respondetur quod substantia potest considerari dupliciter, v. g. substantia ignis, vno modo quando est perfectè producta, non solum quantum ad suam substantiam, sed etiam quantum ad suas potentias & proprietates: nam generatio ignis non censetur absolutè perfecta, quo vsque omnes proprietates, & potentiæ sint productæ: alio vero modo potest considerari substantia ignis secundum se præcisè. Quando ergo dicitur, quod substantia non est immediatum principium operandi, sermo est de substantia iam perfectè producta, quantum ad suas passiones & potentias: tunc enim operatur mediantibus suis potentijs: tamen substantia quando producit primum accidens, nempe primam passionem, non est perfectè producta, quia nondum passiones & potentiæ eius sunt productæ.

Ex dictis etiam potest facile solui alia dubitatio, quæ hoc loco tractari solet, nempe à quo reducatur à qua in pristinam frigiditatem, quando postquam calefacta est, reducitur ad pristinam frigiditatem: vtrum qua reducatur à se ipsa actiue, vel à generante, & eadem erit quæstio de qualibet alia re, quæ reducitur ad suam antiquam qualitatem.

non potest esse densitas causa frigiditatis.

5. Sentent. Quinta sententia asserit, aquam reduci ad pristinã frigiditatem à generante, quam tuentur, qui existimant grauia & leuia moueri à generante: nam sicut motum localem grauium & leuium tribuunt generanti, ita & motũ alterationis, quo aqua infridatur, in quo cõsequenter loquuntur: tamen sicut nos asserimus grauia & leuia moueri localiter à se actiuè, & principaliter: ita dicendum est in motu naturali alterationis, aquã à sua propria forma substantiali, tanquam à principio actiuo principali reduci ad pristinam frigiditate, eadẽ enim est ratio de motu locali naturali & de motu alterationis. Nec est inconueniẽs substantiam esse immediatũ principium operandi (vt diximus) quando substantia est in esse imperfecto, quia nondum habet omnes potentias, quibus operatur. Sic tenet Auicen. lib. 1. sufficientiæ. c. 5. Enriq. quodlibeto 11. q. 6. & ex Thomist secuntur hanc sententiam Capreol. in 2. d. 6. q. 1. ar. 3. Caiet. 1. part. quæst. 54. artic. 3. Sunc. 9. Met. q. 8. Ferr. 8. phys. q. 1. tenet etiam Fonsec. lib. 5. met. cap. 2. q. 6. sect. 5.

Aqua reducit se ad suã pristinã frigiditatẽ a se ipsa.

DISPVTATIO SECVNDA,

DE CAVSA IN COMMVNI sumpta.

EGIMVS Hactenus de natura, à qua ens naturale tale denominatur: nunc vero de causis ipsius entis naturalis agendum est, de quo disputat Aristot. hoc lib. à text. 27. vsque ad 74. prius tamen disputandum nobis est de causa in cõmuni, deinde vero de singulis causis in particulari.

QVAESTIO. I.

Quid sit causa, & eius causalitas.

QVEMADMODum agens denominatur agere ab actione, quæ ab illo fluit, ita causa, talis denominatur, quia aliquam præstat causalitatem circa effectũ, quẽ causat, & ita videndum est, in quo cõsistat ratio causæ, & ratio causalitatis.

Suppositio. 1 Suppono autem, id quod in primo libro, dist. 4. quæst. 1. dixi, scilicet, causam esse quid superiꝰ ad principium, ita vt præter rationem principij dicat influxum aliquẽ circa effectum, & ita quantũis priuatio sit principium rei naturalis, non tamen est causa, nisi impropriè & largo modo vtamur nomine causæ: qua ratione Aristot. 4. Met. textu 2. & 5. Met. textu 1. docet causam & principiũ cóuerti, & 1. 2. meth. textu. 12. priuationem appellat causam.

Supposi. 2. Suppono secundo, causam, causalitatem, & conditionem causandi multum differre, causa enim vt nomẽ præsefert, est id quod causat, causalitas vero est influxus ille medio quo causat: conditio vero causandi est aliquid distinctum à causa & causalitate, requisitum tamen ad causandnm. V. g. vt ignis calefaciat requiritur à proximatio ipsius ignis ad combustibile, quæ tamen à proximatio non est causa, quia non est id, quod calefacit, tantum enim ignis & calor sunt quæ calefaciunt: neque etiam est causalitas, quia prius est ignem à proximari, quam causare calorem per calefactionem, quæ est eius causalitas: solum ergo est conditio requisita ad causandum calorem.

Supposit. 3. Tertio suppono, quod causa est duplex, alia physica: alia moralis, illa appellatur causa physica, quæ physicum influxum verè & realiter causat in effectum. Causa verò moralis est illa, quæ non causat influendo physice in effectum, sed consulendo, vel pręcipiendo quod fiat, hoc, vel alio, vel simili modo. Qua ratione dominus est causa moralis eius, quod seruus facit: & rursus causa physica siue moralis, alia est causa in actu, alia vero in potentia, vt docuit Aristoteles hoc lib. text. 34. causa in actu est illa, quæ actu influit in effectum, vt quando ignis actu calefacit. Causa vero in potentia est, quæ potest influere, & hoc modo vsurpatur causa frequentius, quia scientia non agit de rebus, vt actu existunt, sed secun-

fundam se & absolute consideratis.

I. Sentent. His suppositis circa præsentem difficultatē prima sententia asserit rationem formalem causę, esse relationem de *Eius fund.* de prædicamento relationis, & ita causalitatē à qua denominatur causa, esse relationē causæ ad effectū. Tenet Sōc. 5. Met. q. 1. & probari potest hæc sententia: quia relatiua *Suppos.* sunt, quorū totū suū esse est ad aliud se habere: sed totum esse causę, vt sic, est in ordine ad effectū: ergo causa, vt causa est formaliter importat relationem.

Quæ sit ratio formalis causæ. Sed nihilominus dicēdū est, rationē formalē causę esse aliquid absolutū, & ita causalitatē non esse aliquā relationē, sed fundamentū absolutū ad quod cōsequatur relatio. Est cōmunis sētētia, & probatur: quia causa, vt sic, est quæ causat & influit in effectū: sed relatio non est actiua, neq; operatiua, vt sæpe diximus: similitudo enim, vel paternitas nihil operātur, ergo ratio formalis causæ non potest esse aliqua relatio secundum esse, sed debet esse absoluta.

Secūdo quia inter relationes, quædā fundātur in causalitate, quales sunt relationes secūdi generis, quę fundātur in actione & passione: ergo causalitas, quæ est id per quod constituitur causa in ratione causæ in actu, aliquid præuiū est ante relationē: ergo est aliquid absolutū. Ex quo sequitur, quod causa in actu non sēper denominatur talis per intrinsecā denominationem, bene tamen causa in potētia. Probatur primū, quia causa in actu cōstituitur per actualem causalitatē: sed causalitas causę nō semper est intrinsecè in ipsa causa: qualiter agentia, quę agūt actione trāseūti denominātur agentia, extrinseca denominatione ab actione, quæ est in passo, vt latius prosequar infra in disputatione de causa efficiēti: ergo causa in actu nō semper denominatur talis per intrisecā denominationē: quod amplius patebit, cū disputem⁹ de causalitate cuiuslibet causæ in particulari: tamē quod causa in potentia denominetur talis per intrinsecā denominationē patet, quia causa in potētia non denominatur ab actuali causalitate, sed à virtute causatiua: sed quęlibet causa habet intrinsecā virtutē causatiuā, per quā causat, ergo causa in potētia de qua pręcipuè loquimur, & quę est causatiua, reuera denominatur talis per denominationem intrinsecā, quę sit aliqua ratio absoluta.

Resp. ad fund. contrariæ sent.

Vnde ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quod sicut pater potest considerari duobus modis, vno modo prout formaliter importat relationem ad filium: & sic totum esse patris, est in ordine ad filium, alio modo pro substantia generante, & hoc modo est aliquid absolutum, ad quod consequitur relatio paternitatis: ita causa si cõsideretur prout in[illegible]oluit relationem ad eff[illegible]ctum, totum esse illius est in ordine ad effectum, tamen si consideretur pro illa entitate absoluta, quæ habet virtualem causatiuam, hoc modo, est fundamentum relationis causatiui ad causabile.

Ex dictis patet qualis definitio causę possit assignari, & in primis non placent, qui asserunt Arist. hoc modo diffinisse causam, *Causa est vnde incipit motus*: nam reuera Arist. hoc lib. textu 30. vbi habentur illa verba non intendit in illis diffinire causam in communi, sed causam efficientem in particulari: nam enumerans causas, sic ait, *Sed alterum eundem vi materia, alterum vero, vt id vnde est motus*: ergo distinguit id vnde est motus à causa materiali, atque adeò ibi non diffinit causam in communi, imò apud Arist. non inuenitur aliqua diffinitio causæ in communi, vt notauit Perey. 8. physic. ca. 1. quia vt infra dicam, causa in communi est quid Analogum ad omnes causas, non vero vniuocum, & Analoga prius sunt diuidenda, quàm definienda, & ita Aristot. tum hoc lib. tum etiam quinto Metaph. cap. 2. vbi tractationem de causis aggreditur, semper incipit diuidendo causam in communi. Sed nihil minus Analoga diffiniri possunt cum essentiam aliquã habeant, imo & conceptum præcisum ab Analogatis, vt suo loco nos diximus. Ex pluribus autem definitionibus causæ, quas hoc loco auctores adducunt, placet communis definitio causæ, quam aducit Fonseca 5. Meta. capite 2. scilicet, *Causa est à qua per se dependet effectus*, vbi illud verbum, *Dependet*, influxum dicit, & ita excluduntur ab hac diffinitione relatiua: quia quamuis vnum relatiuum dependet ab alio tanquam à termino, non tamen tanquam ab influente, in illo excluditur etiam priuatio, quę est terminus à quo generationis: nam quamuis generatio dependeat à priuatione tãquã à ter-

Definitio causa.

à termino, non tamen tan-quam à causa influente in illam.

QVAESTIO. II.

Vtrum sint quatuor causæ, & qualiter causa in conmuni dicatur de illis.

CIrca primū, quod in quirit quæstio variæ fuerunt apud antiquos sententiæ, imò & apud recentiores, variæ etiam sunt opiniones, quæ ad tria capita reduci possunt.

1. sent. Prima sententia asserit esse plures, quàm quatuor causas rerum naturalium: quam sententiam secuti sunt antiqui Phylosophi, qui infinita principia rerum naturalium assignabant, alij decem, quos iam 1. lib. retulimus. Illi enim non distinguebant inter principium & causam. Galenus etiā lib. 6. de vsu partium plures quàm quatuor causas esse asserit. Et probari potest hæc sententia. Primo quoniam exemplar reuera est causa, nam artifex medio exemplari causat suum effectum artificialē, & tamen non est causa materialis, formalis, efficiens, aut finalis: ergo sunt plures causæ.

Rationes dub.

Probatur minor: quia in primis non est causa materialis: quia causa materialis est, quæ recipit aliquē effectum: sed effectus artificialis nōn recipitur in exemplari, quod est in mente artificis, sed potius producitur ad extra: ergo exēplar non est causa materialis. Quod non sit causa formalis, probatur: quia forma informat effectum, cuius est causa sed exemplar cum sit in mente artificis non potest informare effectum ad extra existē tem, quia forma debet esse in eo quod informat. Quod vero nō sit causa efficiens, probatur: quia quādo artifex cōstruit domū, manus illius sunt quæ effectiuè illam cōstruūt, non vero exemplar, quod est in sua mente. Quod vero non sit causa finalis, probatur: quia finis est cuius gratia aliquid fit, sed exēplar est propter effectum construendum: ergo potius effectus est finis exemplaris, quam è contra, ergo sunt plures causæ quam quatuor. Secundo quia obiectum est causa actus: qua ratione color concurrit ad visionem, & intelligibile ad intellectionem, non tamen est aliqua causa: ex dictis: ergo sunt plures.

2. Sentent. Secunda sententia asserit esse pauciores, quàm quatuor causas:

causas, inquā Plato vt refert Laertius lib de vitis Philosophorum duas tantum assignauit, nempe efficientē, quā Deum esse asserebat, & etiā causam materialem. Estoici vero vt refert Seneca Epistola. 65. tres causas asignarunt scilicet Deum, materiam & formam, & probari potest, quod sint pautiores quam quatuor causæ, primo nam causa est quæ aliquid agit: sed materia nihil agit, quia non est actiua cum sit pura potentia passiua: ergo non est causa.

Rationes dub.

Secundo quia causa finalis videtur quod non sit causa: quia causa est, quæ influit in effectum: sed finis nō potest influere in effectū: ergo non est causa. Probatur minor quia multoties finis non existit actu à parte rei: sæpe enim operamur propter acquirendam sanitatē nondum cōparatam: sed quod non est non potest influere: ergo causa finalis non est causa.

Tertio quia causa finalis & formalis est eadē causa: ergo non sunt quatuor. Probatur antecedens, quia finis quem intendit generans per suā generationem est forma producenda, intendit enim producere formam: ergo coincidūt causa formalis & finalis.

Tertia & vera sentētia est à nobis tenēda Arist. hoc libr. qui tātū quatuor causas assignat, scilicet, materialē formalē, efficientē & finalē quē omnes Peripateti. sequuntur; loquimur tñ de causis per se, nō vero de causa per accidēs, qualiter album per accidens est causa ędificij: quia non in quātū albū, sed in quantū ędificator ędificat. Probatur cōclusio: quia ad interrogationē factam per, quare, respōdemus per causam: sed interrogatio facta per quare, tātū est quatuplex: ergo tātū sūt quatuor genera causarū. Probatur minor: quia vel interrogamus, quare sit res, idest, a quo efficiētur & sic respondetur per causam efficiētē, vel propter quid sit, & tunc respōdetur propter finē, vel ex quo fit, & sic respōdemus per causam materialē, vel per q̄ sit, & sic respondetur per formam: forma enim est id per q̄ res habet esse, deniq; etiā patebit si soluerimus argumēta, quæ in cōtrariū adiecta sunt.

Quatuor sunt genera causarum.

Et quidē primū argumētum postulat explicemus ad quā causam exconumeratis reducēdū sit exēplar, de quo non satis conuenit inter auctores imo circa naturā exēplaris viriē etiam sentiunt & in primis cōueniunt omnes, exemplar nō esse speciem in[...]

Quod [illegible]

telligibilē, nam species intelligibilis præcedit intellectionem, tanquam causa illius: exemplar vero formatur per intellectionem. Quare restat quod exemplar, vel sit côceptus formalis, seu imago producta per actum intelligēdi, quæ re vera est verbum mentis, vel sit conceptus obiectiuus cognitus per actum intelligendi.

Plures asserunt exemplar seu ideam, quod idē est non esse côceptū formalē repræsentatiuum, sed ipsum conceptū obiectiuum cognitū, quem res arte facta postea imitatur. Tenet Scotus in. 1. dist. 35. q. vnica Ocam, & Gabriel eadē distinctione. q. 5. Durand. d. 36. quæst 3 & plures alij estque probabilis opinio, &c.

Quid sit exemplar.

Veruntamen longe probabilius est exemplar esse cô ceptum formalem repræsentatiuum rei intellectæ, quod est verbum mentis formatum de faciendā, vt communis opinio tenet. Ratio est: quia exemplar debet esse imago: quia in imagine tanquam in exemplari videmus obiectū: sed imago in intellectu est conceptus, formalis nō vero obiectibus: ergo.

Hoc supposito quidam asserunt exemplar pertinere ad causam efficientē: ita Scotus, in. 1. d. 2. q. 2. Bonauentura in. 3. d. 11. q. 3. Alex. Alēsis. 1. p. q. 23. membro. 4. artic. 1. Alij vero asserunt exemplar esse reducendū ad genus causæ formalis tenet Albertus in. 1. d. 2. art. 1. Enriqus quodlibeto, 9. q. 1. Durā. in. 1. d. 45. q. 2. Caietanus. 1. parte, quæstione. 6. artic. 4. & quæst. 44. art. 3.

Quid sentiendum est de causa exēplari, & solutur. 1. sententia.

Ego vero vtramque sententiam veram existimo, quia exemplar potest considerari duobus modis, primo vt est id quo artifex operatur, illiq; deseruit ad operandum, & sic pertinet ad genus causæ efficientis, saltem instrumētalis. Si tamen consideretur in quātum imago gerit vicem obiecti media repræsentatione: hoc modo, est causa formalis saltem extrinseca. Et quod hoc ita sit dicendum, probatur in primis quo ad priorem partem: nā dispositiones materiales, quæ scilicet se habēt ex parte materiæ in omnium sententia reducūtur ad causam materialem: quia præparant materiam, vt nouam formam recipiat: ergo similiter exēplar quod se habet ex parte causæ efficiētis, quādo operatur, illāq; dirigit ad operatiō nē debet reduci ad genus causę efficiētis instrumentalis, &c.

Secundo quia instrumentū est

est id, quo causa efficiens operatur: sed artifex medio exẽplari operatur producẽdo talẽ, vel talẽ effectũ: ergo est causa efficiẽs instrumẽtalis.

Est tamen aduertendum, quod non est causa efficiens Physica, quia ridiculum est dicere, quod exemplar quod est intra mentem artificis per realem, & Physicum influxum ad extra prouenientem domum construat: solum ergo est causa efficiens directiua, quia est quod dirigit ad effectum producendum, & veluti instrumentum quo effectus ordinatur, & dirigitur.

Exemplar est causa directiua efficiens.

Quód vero exemplar secundo modo consideratum sit, causa, formalis saltem extrinseca docuit in primis Aristoteles hoc lib. textu. 27. vbi enumerans causas, sic inquit. *Alia est forma, & exemplar, quæ est sentia quidem est ratio.* Quo nihil clarius dici potest, & similia verba repetit 5 meth. cap. 2. & ratione probatur. Quia quemadmodum forma naturalis tribuit esse ipsi rei, cuius est forma: ita exemplar, seu imago dat esse obiecto repre sentato, quasi in esse represen tatiuo, & ita hoc modo habet rationem formæ, non intrinsecè, quia imago realiter & intrinsece non est in re quam repræsentat, sed est forma extrinseca, a qua obiectũ in esse representatiuo habet esse, sicut quia actus specificantur per obiecta, & tribuere speciem, pertinet ad formã, obiectum appellatur causa formalis extrinseca respectu actus, & hinc patet solutio ad secũdã rationem. Respondetur enim obiectũ esse causam formalem extrinsecam actus modo explicato, imo aliquando est causa efficiens, vt quando producit speciem in potẽtia cognoscitiua media qua causat actum cognitionis.

Resp. ad rat. 2. sent.

Ad argumẽta secundæ sentẽtiæ respondetur, ad primũ ꝙ de ratione causæ in cõmuni non est ꝙ aliquid agat, agere enim tãtũ pertinet ad causam efficiẽtẽ, cuius causalitas est actio: solũ ergo est de ratione causæ, ꝙ aliquid causet, vel agẽdo vt causa efficiens, vel recipiẽdo vt causa materialis, & ita agere, & causare se habẽt sicut superius, & inferius.

Circa secundũ igitur argumẽtum auctores, dissident an finis sit appellandus causa realis & Physica. Quidã enim tenent partẽ affirmatiuã, ducti ex eo ꝙ Arist. hoc lib. vbi agit de causis Physicis, & realibus, finalẽ etiã connumerat. Alij vero asserunt reuera finẽ non esse causam realem, & Physicam. Existimo tamen quem

quem magis esse de nomine quàm de re ipsa, nullus enim potest dicere, quod si proprie & in rigore loquamur finis sit causa realis, & Physica primo quia vt argumentū reuera ostendit, finis quando mouet non est, appetimus enim finē quem nondum habemus, nō vero finem iam possessum, id vero quod actu non est, non est ens reale, neque aliquid Physicum, imò multoties appetimus finem reuera impossibilem, quanuis à nobis apprehendatur possibilis, id autem quod est impossibile nō est ens reale, & aliquid Physicū. Tum etiam: quia in rigore loquendo causalitas finis non est Physica nam finis non influit realiter in effectū ad extra productum: sed eius causalitas est methaphorica, in quantū attrahit, & mouet voluntatem motione quadā methaphorica: ergo in rigore loquendo finis nō est causa realis, & Physica, Ar. autē solū enumerat finem inter causas physicas, quia est causa entis naturalis de quo agit Physicus, non tamē est causa realis, sed methaphorica.

Resp. ad ... ...

Finis est causa methaphorica.

Ad tertium respondetur quod quanuis contingat causam formalem, & finalē coincidere secundum rem, non tamen habent eandem rationē formalem: nam forma producta per generationem potest considerari duobus modis: primo secundum quod dat esse subiecto in quo est informando illud, & hoc modo habet rationem causæ formalis: alio modo consideratur in quantum est id cuius gratia agens operatur, & quod per generationem intendit, & hoc modo habet rationem causæ finalis, quia est finis intentus quanuis non principalis: nam in generatione quod principaliter intenditur est ipsum compositum: forma vero est finis minus principalis in quantum est id quod vltimate constituit compositum naturale.

Quid aduerti.

Tandem in hac re aduertendum est, has omnes causas non concurrere ad quamlibet rem: nam forma quāuis habeat causam materialē efficientem & finalem, tamē nō habet causam formalē: quia non habet esse ab alia forma & similiter materia non habet causam materialem, quia est primum subiectum, & finis vltimus non habet alium finem propter quem sit, aliàs non esset vltimus. Et prima causa efficiens non habet causam, quia habet esse à se, concurrunt tamē istæ omnes causæ ad quodlibet compositū natura-

naturale. Illud enim habet materiam, formã, efficientẽ & finẽ, in quo vt supra in. 1. lib. diximus causa materialis, & formalis sunt causæ intrinsecæ: causæ vero efficiens & finalis sunt causę extrinsecæ,

Ex dictis hactenus facile pôt resolui secũda pars huius quæstionis scilicet, an causa in communi dicatur vniuoce de omnibus causis in particulari in qua re Sotus hoc lib. q. 3. ad. 2. existimat causam in communi esse aliquid vniuocum ad omnes causas, sed minus bene.

Quomodo dicatur causa in cõmuni de omnibus causis.

Quare dicendũ est causam in communi analogice dici de quatuor generibus causarũ tenet. Simplicius hoc libr. text. 81. Albertus tract. 2. c. 5. Percir. 8. Phisicorum cap. 1. Toletus hoc lib. q. 7. & probatur plane primo quia prædicatum vniuocum proprie dicitur de suis inferioribus: sed ratio causę quamuis proprie reperiatur in causa efficienti, materiali, & formali, tamẽ methaphoricè, & in proprie reperitur in causa finali, & quasi per attributionem ad veras causas: ergo causa in cõmuni est aliquid Analogum. Secundo quia nullum prædicatum reale cõmune Deo, & creaturis est vniuocum, vt in tract. de Analogia ostensum est: sed ratio causæ tam conuiuit Deo quam creaturis: ergo Analogicè.

Tertio quia inter causas verbi gratia formales quędam sunt substantiæ, vt formę substantiales; quædam accidentia, vt formæ accidentales: sed substantiæ, & accidenti nihil datur commune vniuocum, sed Analogum, ergo.

QVAESTIO. III.

Quem ordinem habeant causæ inter se.

SVb hoc generali titulo plures inuoluuntur dubitationes, secundũ quod multiplex ordo potest imaginari inter causas, nam primo imaginari potest inter illas ordo primi & vltimi, & ita dubitari potest, vtrũ in causis detur procesus in infinitum, vel sit aliqua vltima. Secundo imaginari potest ordo mutuæ causationis, & ita inquiri potest, vtrum causæ sibi inuicem sint causæ. Tertio potest imaginari ordo prioritatis in causando, & ita inquiri potest, cuius causæ causalitas sit prior. Quarto imaginari potest ordo secundum existentiam.

Quadam dubitationes.

tentiam.

tiam, & ita inquiri potest, quę causa prius habeat existentiam: quinto imaginari potest ordo perfectionis, & ita dubitari potest, quæ causæ ex prædictis sint perfectiores.

Circa primam dubitationẽ nempe, vtrum in causis possit dari processus in infinitũ Arist. 2. Meth. cap. 2. docet in causis perse sub ordinatis nõ posse dari processum in infinitum, bene tamen in causis per accidens subordinatis, appellat autem causas perse sub ordinatas, quando in actuali operatione, vna perse pendet ab alia, quasi cooperante cũ illa: qualiter omnes causæ efficientes creatæ perse subordinatur ad Deum, quia in actuali operatione, idigent concursu illius. Causæ vero per accidens subordinatæ illæ appellantur ab Arist., quarum vna, vt operetur non indiget concursu alterius, vt est nepos respectu aui, quia ad operandum non indiget concursu ipsius aui, & in his causis docet Aristoteles dari posse processum in infinitum; supponit enim falsam illam sententiam suam, nempe mundum fuisse ab æterno, & ita ante quemlibet hominem præcessisse alium, & alium in infinitum; tamen sicut hoc fundamentum est falsum, vt suo loco videbimus, ita etiam falsum est adhuc in causis per accidens subordinatis posse dari processum in infinitum, ita vt non deueniamus ad aliquod primum. Tum quia infinitum impossibile est (vt dicam) Tertio Physicorum: tum etiam quia ante illa prima entia, quę fuerũt à Deo creata in principio mũdi nullum aliud præcessit: ergo nõ datur processus in infinitum, adhuc in causis per accidens sub ordinatis, & eisdem rationibus probari potest in causis perse subordinatis, non posse dari perse processum in infinitum: tum quia in genere causæ materialis datur materia prima, quæ non dependet ab alia priori causa materiali, aliàs non esset primum subiectum, & in genere causæ formalis, forma non constituitur per aliam formam: in genere causæ finalis datur necessario vnicus finis vltimus, in quo operans sistit, aliàs non operaretur: ergo similiter in genere causæ efficientis debet dari vnicum primum efficiens, scilicet Deus, à quo omnia efficientia pendent, de quo latius octauo Physicorum: ergo in causis non datur processus in infinitum, &c.

Quæda dubitatio.

In causis non datur processus in infinitũ.

Circa

Non omnes causæ sibi inuicem sūt causæ.

Circa secundum nempe vtrum causæ sibi inuicē sint causæ dico primo. Nam omnes causæ sibi inuicem sunt causæ. Probatur ex Aristotele hoc lib. textu. 30. qui dum dixit causas sibi inuicem esse causas non fecit locutionem vniuersalem, sed particularē, his verbis, *Quædam vero vicissim sibi sunt causæ.* Et ratione probatur: nam quando ignis producit calorem in ligno, quanuis calor productus respectu ligni sit causa formalis quantum ad informationem, quia informat ipsum lignum tamen non est causa causæ efficientis, nempe ipsius ignis producentis calorem: ergo non semper causæ sibi inuicē sunt causę. Præterea: quia vt late in. 1. lib. distinctione 5. ostendimus, quanuis materia sit causa materialis formæ quia entitas formæ educitur ex potentia materiæ, tamen forma substantialis non est causa formalis materiæ, quantum ad intrinsecam entitatē materiæ, sed solum quantum ad informationem, quia tota entitas materiæ multo ante formam præcessit: ergo non semper causæ sibi inuicem sunt causæ.

Dico secundo aliquādo causæ sibi inuicem sunt causæ. Probatur conclusio in primis in diuerso genere causæ: nā media sunt causa efficiēs finis, vt medicina est causa efficiens sanitatis, finis vero est causa finalis mediorum, qualiter sanitas est causa finalis medicinæ. Probatur etiam in eodem genere causæ exemplo Arist. nam exercitatio in actibus, est causa efficiens habitus, quia habitus acquiruntur per actus, & deinde habitus est causa efficiēs actus, vbi non est intelligēdum, quod idem numero, in eodem genere sit causa, & causatum: sic enim simul esset prius & posterius in eodem genere causæ. Prius, quia est causa. Posterius vero, quia est causatū: sed est idem secundum speciem, non tamē secūdum numerum. Qua ratione habitus non est causa efficiens illorū actuum à quibus fuit genit⁹, quia non præcessit ante illos: causa autem debet præcedere effectum: sed solum est causa efficiēs aliorum actuum qui postea fiunt, qui sunt eiusdē especiei cum prioribus.

Circa tertium, nēpe quæ causa sit prior in causando: si comparemus causam efficientem cum finali, certum est, quod neutra prius causat, quā alia, quia (vt infra dicam) causalitas finis est ipsa actio causæ efficientis, prout finaliter

est

est propter finem: ergo causalitas finis non est prior causalitate causæ efficientis. Si tamen comparemus causalitatem materiæ cum causalitate formę. Dicendum est, priorem esse causalitaté materię, quàm formę. Ratio est, quia causa, saltem prius natura intelligitur, quam causet: ergo causalitas formę pręsupponit prius natura formam: sed forma fit per causalitaté materiæ, quia educitur ex potentia materiæ, & per causalitatem causæ efficientis: quia eductio illa formæ ex materia, ab aliquo fit efficienter, imo & finaliter ab aliqua causa finali: ergo causalitas causæ formalis est posterior omnibus. Si vero comparemus causalitatem materiæ cum efficienti, & finali simul intelliguuntur istæ omnes causalitates. Ratio est: quia naturaliter ex nihilo, nihil fit, & ita agens naturale semper quod agit debet producere ex præsupposito subiecto, atque adeò iam simul intelligitur causalitas causæ materialis.

Circa quartū scilicet, quæ causa sit prior secundū existentiam. Certum est; causam materialem esse priorem saltem natura, quam formalem, quia materia est causa formæ non tamen è contra (vt dictū est) causa autem vt causet debet præ intelligi existens. Secundo dicendum est, causam efficientem prius habere existentiam, quam finalem: quia efficiens operatur propter finem nondum habitum, sed habendum.

Circa quintū scilicet, quæ causa sit perfectior alia, dicédum est in primis, omnē formam substantialem esse perfectiorem materia: quia materia prima est pura potentia nullum actum formalem includens: forma vero est actus formalis, forma vero accidétalis imperfectior est suo subiecto, quod est causa materialis illius: quia subiectum est substantia: forma vero accidentalis, accidens. Secundo dicendum est, absolute loquendo, causam efficientem esse perfectiorem in ratione causandi, quia sola illa est, quæ effectum producit, materia vero non producit, sed recipit & forma informat, finis vero est causa minus perfecta in ratione causæ Physicæ. Ratio est, quia causalitas finis (vt vidimus) est metaphorica, reliquæ vero causæ habent causalitates proprie Physicas, & per Physicum, & realem influxum: ergo finis est minus præcipua causa

in ratione causandi, in quo nunc sit comparatio: & hæc de hac quæstione.

QVAESTIO IIII.

Vtrùm causa debeat realiter distingui à suo effectu, & existere ante illum.

NOn desunt, qui existiment non omnem causam debere distingui realiter à suo effectu; nã saltem asserunt causam formalem non distingui ex natura rei à suo effectu formali, vt albedo & album Sed nihilominus dicendum est necessarium esse, quod omnis causa debeat realiter distingui à suo effectu, & oppositum, esse omnino inintelligibile.

Omnis causa debet realiter distingui à suo effectu.

Tenet Sanctus Thom. 1. par. quæstion. 3. articul. 1. vbi dicit, quod inter causamet effectum debet esse distinctio in natura. Et ibidem Caietan. Sonzin. & Iabelus 5. Metaph. quęstion. 1. & probatur; quia effectus importat realem dependentiam à causa per realem influxum: sed impossibile est, quod idem realiter influat in suam propriam entitatem, & à se ipso realiter dependeat: nam de pondere, est ab alio pendere, & ita dependentia realis, ab alio distincto realiter: ergo impossibile est causam & effectum non distingui realiter.

Nam si respondeas, idem secundum vnam rationem formalem dependere à se ipso non verò, secundum aliã rationẽ formalem. Cõtra est quia iam esset dependẽtia rationis, & non realis, quia est inter rationes formales, solum diuersas per intellectum: sicut non est relatio realis, nisi inter extrema realiter diuersa. Tum etiam; quia causalitas Physica tendit ad entitatem Physicam, prout est à parte rei, & nõ secundum consideratione͂ Metaphysicam, quam habet per intellectum.

Secundo probatur, quia alias esset idem causa sui ipsius, quod nullus capere potest.

Tertio, quia causa efficiens, in opinione omnium debet realiter distingui ab effectu, aliàs idẽ posset se ipsum generare, & producere, quod est ridiculum: ergo etiam quæcunque alia causa debet realiter distingui a suo effectu. Patet consequentia: nam eadem ratio, quæ mili-

litat

litat in causa efficienti, nẽpe quod idem posset se ipsum efficere, etiã millitat in quauis alia causa, quia se ipsam potest causare.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ, respondetur, falsum esse causam formalem, & effectum formalem, & effectum formalem esse idem realiter, vt rationes factæ euidenter conuincunt, & ita album, & albedo non sunt idem realiter: nam vt in Logica dictum est album præter albedinem essentialiter dicit significatum materiale, nempe corpus quod distinguitur realiter ab albedine: ergo & album realiter distinguitur ab illa: videantur ibi dicta.

Circa secundum quod inquirit quæstio, nempe vtrum causa debeat existere ante suum effectum: prima sententia affirmat, quod nõ omnis causa debet præexistere a parte rei ante effectum. Tenet Sotus hoc libro quæstione tertia, Ballesius contro uersia 17. quorum fundamentum esse potest. Quia materia est causa formæ, nõ tamen habet existentiam ante formam: quia habet existentiam ab illa. Sed hoc fundamentum falsum est, & supra impugnatum in disputatione de materia prima.

Assert. 1. Quare secunda sententia affirmat, omnem causam debere præexistere ante effectum. Sic tenet Sonzin. & Iabelus loco supra allegato Fonseca 5. Metaphysicor. capite primo, quæstione prima. Vnde dico primo: non est necessarium quod causa existat prius tempore ante effectum. In hac conclusione omnes conueniunt: nam in genere causæ efficientis, sol in eodem instanti, a quo fuit productus illuminauit: nam cum illuminatio sit actio instantanea, in eodem instanti in quo luminosum fit, producit lumen. Similiter essentia in eodem instanti, in quo generatur, effectiue producit suas passiones: ergo, & in genere causæ formalis in eodem instanti, in quo forma producitur in materia media informatione resultat totum compositum: ergo causa non debet existere prius tempore quam effectus.

Dico secundo necessarium est quod omnis causa saltem prius natura existat, quam effectus: appello autẽ prioritatem naturę, quãdo licet causa, & effectus sint simul in eodẽ instanti tẽporis,

tamen effectus habet realem dependentiam à causa, & ita illam præsupponit secūdum suam naturam. Vndè prioritas naturæ est realis. Probatur conclusio primo ex Aristotel. in post prædicamentis capite de modis prioris, ibi connumerans modos, quibus vnū est prius alio, alter modus, quem enumerat est secundum causalitatem. Et ratio id ipsum euidenter ostendit: quia causare supponit causam iam esse productam, saltem prius natura: si ergo est producta à parte rei: ergo existens. Patet consequentia, quia rem existere, & esse à parte rei, sunt synonoma, vt supradictum est: ergo omnis causa prius natura intelligitur existens, quàm suus effectus.

Causa debet existere ante effectum saltē prius natura.

Sed obijciunt Auctores contrarij; quia existentia tantum est in reali duratione; at vero prioritas naturæ nō est prioritas secundum realem durationem, sed est prioritas causalitatis, & dependētiæ vnius ab alio. Sed respondetur, quod vt supra etiā diximus, in eodem instanti temporis intelliguuntur plura instanti naturæ, quorum vnum sit prius alio v. g. in instanti generationis hominis intelligimus duo instantia naturæ, alterum in quo intelligitur essentia producta, & de inde alterum, in quo intelliguntur passiones, vtrumque tamen instans est in reali duratione illius instantis, & ita quod est in vtroque instanti naturæ, est etiam in reali duratione illius instantis temporis, quamuis vnum instans non sit prius alio secundum realem durationem temporis, sed secundum ordinem causalitatis.

Addo tamen, aliquando prioritatem, naturę non esse realem, sed rationis tantum, nempe quando non est inter extrema realiter diuersa: qua ratione animal est prius natura, quàm homo, solum prioritate rationis: quia inter animal & hominem solum est distinctio rationis, & ita inter illos solum potest esse ordo rationis, secundū prius & posterius, tamen quando hæc prioritas naturæ fundatur in vera causalitate, & dependentia reali vnius ab alio reuera est prioritas realis; qua ratione causa est prior natura suo effectu.

Vltimo aduertendum est, quod existentia est conditio præ requisita ad causandum in omni causa, vt probatū est, excepta tamē causa finali

finali: quia cum causalitas finis non sit realis, sed metaphorica, vt diximus non requirit existentiam realem, vt causet, qnod secus est in alijs causis cum causent per verum & realem influxum Physicum, ad quod necessarium est, quod præintelligantur iam productæ, & existentes à parte rei.

DISPVTATIO TERTIA DE CAVSA MATERIALI ET FORMALI.

QVANVIS rationes causæ efficiétis, & finalis vniuersaliores sint atq; secundú naturam priores, quã causæ materialis, & formalis, vt ex dictis ex præcedentibus constat, placet tamen ordine naturæ relicto, tractationẽ causarum in particulari à causa materiali, & formali incipere: tum quia materia hæc, magis connexa est cum his, quę hactenus in fine præcedentis lib. & principio huius de materia, & forma disputauimus, tum quia ad intelligenda ea, quæ de efficienti dicenda sunt, plurimum hæc conferre poterunt, tum denique & maximè, quia Aristotel. tam hoc loco, quam lib. 5 Met. capit. 2. causas has intrinsecas materiam, & formam prius exposuit, quam efficientem, & finem declaret.

QVAESTIO. I.

Quid sit causa materialis, & qui sint illius effectus.

QVoad primam partem huius quęstionis, causam materialem sic definit Arist. hoc lib. capit. 3. *Causa materialis est id ex quo aliquid fit, ita vt insit*, quæ eadem est cum illa, quam traddidit 5. Met. cap. 2. *Ex qua in existenti fit aliquid.* Per priorem partem huius definitionis, *Ex quo fit aliquid*, excluduntur causa efficiens, & finalis; quia res non *Definitio Aristot.*

 dici-

dicitur fieri ex causa efficiẽti, neque ex finali, sed per efficientem, vel ab efficiente, & propter finem. Imo per eãdem etiam particulam excluditur causa formalis: nam licet dicamus rem componi ex forma, non tamen dicimus fieri ex forma, sed per formam vltimo constitui, dicitur autem proprie res fieri ex illo, quod habet rationem causæ materialis; quia illud præsupponitur actioni, & causat rem recipiendo ipsam actionem, sicut agens causat effectiue eandem rem per eandem actionem actiue ab ipso manentem: vnde sicut res dicitur fieri ab agente, quia fit per actionem, quæ dimanat ab agenti, sed non est in ipso sic dicitur fieri ex causa materiali, quia fit per actionem, quæ est in ipsamet causa materiali.

Deinde, & præcipue etiam in facto esse, dicitur res fieri ex causa materiali, potius quàm ex forma, quia causa materialis est, quasi pars inchoans ipsam actualem compositionem totius, quam complet, & perficit forma: materia ratione suæ potentialitatis, & in differentiæ non potest aliquid vltimate constituere, & ideo solum incipit ipsam compositionem; quam habitudinem, seu modum componendi, videtur etiam connotare particula *ex*: vnde per hanc particulam his duobus modis expositam, optime definiuit Aristotel. causam materialem secundum duplicem causandi modum, quem intra proprium suum genus habet (vt dicemus dubio sequenti) tam respectu formæ, & vnionis, quam respectu compositi, quia respectu vtriusque effectus optime dicitur: *ex quo in existenti*, aliquid fit. Per alteram particulam eiusdem definitionis, *ita vt insit*, excluditur à ratione causæ materialis terminus à quo res incipit fieri, quamuis enim dicamus album fieri ex non albo, vel nigro, non significamus non album esse causam materialem albi, quia non fit ex illo, ita vt in compositione albi intrinsece includatur nõ album, sed solum fit ex illo tãquam ex termino extrinseco.

Ex hac definitione primo infertur, causam materialem latius patere quàm materiam primam, quia definitio eius non solum conuenit primo subiecto, quod recipiens formam substantialem in se,

in se, componit totum substantiale, sed cuicunque alteri subiecto respectu cuiuscunque formæ, quam recipit, constituendo cum ipsa aliquod totum, etiamsi sit accidentale, & ideo alia diuersa definitione definita est à Philosoph. lib. 1. materia prima, dicente, illam esse primum subiectum ex quo fit aliquid substantiale; nam esse primum subiectum & subiectum corporis substantialis sunt duæ differentiæ proprię materię primę, per quas simul, sumptas differt ab alijs speciebus causæ materialis, vt v. g. à subiecto cuiuscunque accidentalis formæ, à quantitate, à forma substantiali ab Angelis, &c. Quæ ad rationem materiæ primæ sunt necessariæ, non vero ad rationem causæ materialis, vt sic.

Quæ cōprehendantur sub materia prima in ratione recipiendi.

Secundo sequitur sub causa materiali definita ab Aristotel. comprehendi illa omnia, quæ recipiendo constituunt aliquod totum: vnde primo comprehenditur materia prima, quæ recipiendo, in se substantialem formam, constituit totum substantiale. Secundo comprehenditur quodlibet subiectum accidentis, quia subiectum recipiens in se aliquod accidēs constituit totum accidentale, & hæc sunt duo genera causæ materialis perfecta, quia ex vtroque hoc subiecto proprie dicitur fieri cōpositum, quia fit per actionem receptam pendentem ab ipso, & ideo dicitur proprie fieri ab agenti ex subiecto sibi in existenti, idest, intrinsece ipsum constituentē, & recipienti alteram partem.

Præter hæc, aliqua alia reducit Aristot. ad genus causæ materialis, quibus non ita proprie conuenit definitio Aristotel. in primis numerat Aristotel. partes integrantes quibus licèt non ita proprie, aliquo tamen modo conuenit ratio, definitio causæ materialis, in quantum totum integrale ex ipsis fit in existentibus, idest componitur ex illis tanquam ex parte, vel partibus inchoantibus ipsam compositionē: nam eędē entitates partium integrātium ex se indifferētis sunt, vt medio aliquo indiuisibili vniantur, & componant vnum quid, & totum integrale, vel vt vnaquęq; per se terminetur proprio terminatiuo, & cū illo cōstituat aliquod totū ab alio se iunctū, in hac ergò indifferētia, atq; adeò in modo cōponēdi per modū partis imper-

imperfectæ, & inchoantis cõpositionem conueniunt partes totius integralis cum materia, & ideo reducuntur ab Aristot. ad causam materialem, quibus respondet loco formæ ipsa earum vnio, seu continuatiuum, quod nõ recipitur in illis partibus tãquã in subiecto, sed tantum vnitur illis per modum adhæsionis, & ideò in hoc deficiunt à propria, & perfecta ratione causæ materialis, quæ recipiendo in se alteram partem completiuam compositi, constituit idem compositum.

Deinde in hac extensione sumpta causa materialis etiã cõprehendit elementa respectu syllabæ, quæ ex illis componi ur, quia syllaba cõstat ex elemẽtis, imo etiã ipsa quatuor elemẽta respectu mixtorũ dicit Arist. esse materiam. Sed hoc valdè in proprie dictũ est, quia elementa secundũ suã substantiã non existũt in mixto, & ideo ratione tantum suarum qualitatum possunt reduci ad causam materialem mixti, quia dispositio necessaria ex parte materiæ ad formam mixti est quodam temperamentũ quatuor primarum qualitatum elementorum. Denique etiam reducit Aristot. ad causam materialem præmissas respectũ conclusionis, quia vt Diu. Thom. exponit 5. Met. lect. 3 conclusio componitur ex eisdem terminis obiectiuis, & formalibus, quibus constant præmissæ.

Quid not. Circa secundam partem huius quæstionis, vt cognoscamus effectus materiæ, notandum est in composito ex materia & forma tria considerari posse, quæ à materia distinguuntur, videlicet, formam, quæ in materia recipitur, vnionem, per quam forma, & materia inter se vniuntur, & compositum constitutum ex materia & forma per vnionem.

Effectus materiæ qui sint. Primum ergo certum est, materiam seu subiectum esse causam materialem vnionis formæ cum materia, & ipsius compositi, nam tam vnioni, quam composito tribuit aliquod esse: vnioni quidem tribuit esse eadem indiuisibili causalitate, qua agens illam effectiue producit (vt dicemus) ipsi vero toti tribuit entitatem, se ipsam illi exhibendo, & media vnione cum forma, ipsum intrinsece constituendo. Imo addi potest hos duos effectus ita intrinsece à materia dependere in sua essentia, vt sine ipsa materia nullo modo

do fieri possint à Deo. Nam compositum in sua essentia includit causam materialem, vnio verò, quanuis non includat in sua essentia entitatem materiæ, includit tamen essentialiter actualem dependentiam à causa materiali, & sine hac dependentia & causalitate materiæ produci non potest à Deo. Vnde respectu horũ effectuum intelligendum est, quod communiter dici solet, Deũ supplere non posse concursum causæ materialis, non solum, quia ipse non potest materiali causalitate concurrere, sed quia concurrendo efficienter, quantumuis augeat concursum, non potest producere hos effectus sine concursu proprio causæ materialis, quia mutare non potest essentiam horum effectuum.

Secundo vero de ipsa forma dicendum est, nonunquã entitatem ipsam formæ, nullo modo esse effectum ipsius materiæ, frequentius tamen esse eius effectum, & ab illa dependere. Primum constat in homine, cuius forma spiritualis est, & independens à materia: secundum patet ex dictis lib. 1. disput 4. quæstionis secũdæ. Quia omnes formæ substantiales præter rationalem fiunt ab agenti naturali cum concursu materię: neque enim possunt agentia naturalia effectiue, dare esse formis materialibus, nisi materia simile in genere causæ materialis tribuat ipsis idem esse, recipiendo in se actionem agentium naturaliũ, per quam formis communicatur esse actuale.

Sed quæret aliquis, an omnes effectus educãtur, de potentia materiæ. Respondeo primò, totum non posse proprie dici, quod educatur de potẽtia materiæ, quia totum vt totum includit entitatem materiæ, sed entitas materiæ non educitur de potentia materię: ergo neq; totum, quod vt sic dicitur effectus materiæ, dici potest educi ex potentia materiæ.

De forma vero, & vnione dicendũ est, vtranque simul educi de potentia de materię quod de formis substantialibus lib. 1. probatum est, atq; eadem ratio est de vnione, quia sicut forma materialis substantialis fit ab agenti naturali, cum concursu materiæ recipientis in se eandem actionem agẽtis, & ideo edu ci dicitur de potentia passiua materiæ: pari ratione vnio cuiuscunque formæ cum materia (etiam vnio animæ rationalis) fit ab agenti naturali

V 5 con-

concurrente simul materia ad illius actionem; imo vnio formæ materialis eadem indiuisibili actione pendet ab agente, & materia, qua pendet ipsa forma: ergo similiter dicitur vnio educi de potentia materiæ, sicut forma materialis, quæ vnitur.

Quæri potest secundo, an vniuersaliter omnis forma, quæ est effectus causæ materialis, & ab ipsa depēdet educatur de potentia illius. Nonnulli enim admittūt aliquas formas accidentales fieri dependenter à subiecto, quas tamen negant educi de potētia illius, in quorum numero est Sonci. 7. Metaph. q. 8. docens lumen, & qualitates intentionales, quibus vtuntur sensus non educi de potentia materiæ, quia non fiunt per propriam transmutationē ipsius materiæ. Secundo idem docet Fonsec. 5. Metaph. cap. 2. q. 4. sect. 2. de supernaturalibus donis, quæ cum accidentia sint, ab ipsa anima dependent, non tamen educi dicuntur de potētia illius, quia non habet anima potentiam passiuam naturalem respectu horum donorum, sed solum obedientialem, & idem etiā addit de relationibus sect. 3. in fine, quia sepe resultāt propter solā existentiā termini, Tertio etiam Patres Lusitani, lib. 1. Physic. ad cap. 9. q. 12. artic. 5. non solum docēt sententiam Fonsecæ, quo ad primam partem, de accidentibus supernaturalibus, sed etiam addunt artic. 7. formas artificiales non educi de potentia materiæ, quia potentia materiæ ad illas formas etiā nō est naturalis, quod ipsum ante illos docuerat Pater Perei. lib. septimo, cap. secundo, & tertio.

Sed omnes istæ sententiæ sunt minus probabiles, quia sine vllo fundamento requirunt has conditiones ad rationem eductionis de potentia materiæ: nam sicut effectus naturales continentur in potentia naturali materię, ita effectus supernaturales, vel artificiales continentur in potentia obedientiali, vel præternaturali subiecti: ergo sicut illi educi dicuntur de potentia materiæ naturali, ita isti educi dicentur de potentia præternaturali eiusdem materiæ, vel subiecti: probatur consequentia, quia sicut subiectum concurrit ad illos effectus, per potentiam naturalem, sic concurrit ad istos per potentiam supernaturalem, vel obedientialem.

Confirmatur hoc in speciali

cialide accidentibus supernaturalibus, de quibus posset esse maior ratio dubij, quia huiusmodi accidentia non possunt dici creari, quia fiunt cū dependentia à subiecto sibi extrinseco, vel non essentiali. Neque etiam possunt dici concreari, sicut de formis cœlorum dictum est, quia cum subiectum horum possit tempore præcedere eorum infusionem, nihil tunc creari dicitur ratione cuius, ipsa dici possint concreari: necessario ergo dicendum est ipsa educi de potentia obedientiali animæ. Neque obstat, quod dicantur à Deo infundi, quia sicut cum hoc stat, quod fiat à Deo dependenter à subiecto, ita etiam stat quod educantur à Deo de potentia subiecti. Ratio denique generalis est, quia formam aliquā adduci de potentia materiæ vel subiecti, nihil aliud est, quàm fieri ex ipsa materia, idest cum concursu illius, siue materia concurrat per potentiam passiuam naturalem, siue per obedientialem præternaturalem, quia hoc nihil aliud est, quàm causam materialem reduci de potentia ad actum per agens naturale, vel per supernaturale, siue etiam materia concurrat ad formam per aliquam sui mutationem, siue sine vlla propria mutatione, hæc enim omnia nō possunt obstare rationi eductionis: nam vt optime D. Thom. docuit. 1. par. quæst. 90. artic. 2. ad secundum, formā extra hi de potentia materiæ, nihil aliud esse, quàm aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia, quæcunque modo fiat, & à quocunq; agente extrahatur, quare absolute dicendū est, omnes formas substātiales, quæ sunt effectus causæ materialis, fieri atque educi de potentia eiusdem causæ materialis.

Quid sit formam aliquam educi de potentia materiæ.

Vltimo denique circa hūc effectum causæ materialis, qui est forma, addendum est respectu illius, non esse semper ita necessariam causalitatem materiæ, sicut respectu vnionis, & cōpositi, quia interdum hæc forma, non solum non includit materiam in sua essentia, sed non includit in sua essentia actualem coniunctionem cum illa, sed potius illi vnitur per interiectam aliquam vnionem, & ideo fieri potest à Deo sine concursu aliquo materiæ, vt de forma substantiali in particulari dictū est lib. 1. non enim dependet per suā essentiam à materia, sed per mediam causalitatem

distin-

distinctam ab ipsa materia, & forma ex natura rei, & ideo produci poterit à Deo huiusmodi forma sine hac dependentia, si in genere causæ efficientis suppleat Deus causalitatem materiæ mutando, & augendo concursum in genere causæ efficientis, vt in 1. lib. de forma substantiali materiali in particulari dicebam.

QVÆSTIO II.

Quæ sit causalitas causæ materialis.

Quid sit causalitas materiæ.

Suppono ex dictis disput. præcedenti causalitatem materiæ, esse modum absolutũ ex natura rei distinctum, ab eadẽ entitate materiæ, prout aptæ ad causandum: nam omnis relatio causæ resultat posterius natura, quam effectus: sed causalitas, per quam materia communicat effectui entitatem non est posterior, sed potius prior effectu, vel saltẽ simul cum illo: ergo causalitas materiæ non est relatio, sed quid absolutũ: maior propositio probatur, quia relatio effectus ad causam est posterior natura, quàm entitas ipsius effectus, quia pendet effectiue ab ipsa: sed relatio causæ ad effectum est simul natura cũ relatione effectus; quia relatiua, vt Aristot. docet cap. de relatione sunt simul natura: ergo relatio causæ ad effectum, etiam est posterior natura ipso effectu, quod vero hæc causalitas sit etiam diuersum aliquid ab ipsa materia constat; quia potest materia, existere sine causalitate materiali sui effectus, v.g. sine eo quod tribuat entitatem, formæ, vnioni, vel composito.

Hoc igitur supposito, in præsenti quæstione, ita obscure loquuntur Auctores, vt difficile sit eorum sentẽtiam concipere: communiter tamen sentire videntur causalitatem materiæ cõsistere in actu substinendi formam, recipiendi, & conseruandi illam: ita loquitur Fõsec. 5. metaph. sect. 3. q. 1. Lusita. hic ad cap. 7. q. 8 artic. 5. & multi alij ex recentioribus, non tamen explicant satis, an ille actus recipiendi formam, & substinendi illã sit ipsa vnio, qua materia vnitur formæ, vel aliquid aliud.

Quid sit causalitas materiæ in formam.

Dicendum ergo est primo, causalitas materię in formam non est modus vnionis, quo materia recipit in se formam.

Ratio

Ratio huius cõclusionis est, quia causalitas materiæ in formam est prior natura, quam ipsa forma, vt colligitur ex dictis, quia forma est effectus materiæ ab ipsa adęquate distinctus: sed modus vnionis siue receptionis, quo forma in materia recipitur non est prior natura, quam ipsa forma, vt per se manifestum videtur: ergo modus ille vnionis non est causalitas materię in formam.

Confirmatur primo, quia modus vnionis, vel receptionis, æque, & simul pendet à forma, atque à materia: ergo nequit esse causalitas materię in formam.

Confirmatur secũdo, quia anima rationalis, recipitur in materia, & materia per hanc receptionem vnitur illi, sicut cæteris formis, & tamen illa non est effectus materiæ: ergo causalitas materiæ in formas materiales, non consistit in receptione ipsarum, sed in aliquo alio modo secundum naturam priori, qui non conueniat animæ rationali.

Quid sit causalitas materiæ in formam & vnionem.

Dicendum ergo est secundo, causalitas materiæ in formam, & vnionem, est passio de prædicamento passionis, & consequẽter hæc materiæ causalitas est eadem secundum rem cũ causalitate agentis, quæ est actio, quia iuxta communem sententiam actio & passio, non differunt inter se ex natura rei. Hæc conclusio colligi videtur ex Arist. 3. Physic. vbi tex. 18. docet actum mobilis, & mouentis esse vnum, & eundem, nomine autem *actus*, intelligit ipsum motum: nam paulo antea definierat motum, dicẽs motus est actus mobilis: ergo quãdo statim docet eundem esse actum mobilis, & mouẽtis, intelligit eundẽ realiter motum esse, quo mouens causat actiue formam, & quo materia, siue subiectum, subiectiue, siue materialiter causat eandem, vnde statim tex. 18. infert actionem esse actum agentis, & passionem actum patientis, siue subiecti passiui, & causæ materialis, nam idem hæc sunt: sicut ergo actio dicitur causalitas agentis, sic passio dicenda est causalitas materiæ; nam actus alicuius causæ, nihil aliud est, quam illius causalitas.

Et probatur primo à simili nam finis & efficiens, quia sunt causæ necessario connexæ, simul natura influẽtes in eundem effectum, eadem realiter causalitate concurrunt, quæ sub diuersa ratione vtriusque causalitas est, sed similiter agens & passum, siue causa

causa efficiens, & materialis, sunt necessario connexæ simul natura concurrentes ad causandam formam, & informationem eius; vel saltem ipsam informationē, & vnionem formæ: ergo media eadem realiter causalitate causabunt hunc effectum; quæ prout dependet ab agenti dicitur actio, & causalitas agentis, prout vero simul pendet à subiecto, vel materia dicitur passio, & causalitas materiæ.

Secundo quia passio, vt passio est, pendet à causa materiali, eadem ratione, qua actio, in quantum actio pendet ab agenti, vt colligitur ex Aristot. citato iam loco: quia sicut actio est actus actiui, ita passio est actus passiui: sed actio non dependet ab agenti tanquam effectus vltimus, sed tanquam eius causalitas: ergo similiter passio, non pendet à materia, tanquam vltimus effectus eius, sed tanquam via, & causalitas eiusdem causæ materialis.

Et confirmatur hæc ratio, quia actio, & passio sunt idē realiter, vt Aristotel. supracitato docet, & eodem loco probabimus: ergo qui est terminus actionis, erit etiam terminus passionis: ergo sicut actio est causalitas, & via ab agenti in formam, media qua ipsa forma, & vnio ipsius recipit esse ab agenti; ita passio erit causalitas, & via à subiecto in formam, media qua forma, & vnio illius recipit esse ab ipsa materia, vel subiecto.

Ex his sequitur, qua ratione intelligendum sit, quod communiter dici solet formam, scilicet pendere à materia, tanquam à substentante, & recipiente, quia non est intelligendum, ita vt causalitas, seu dependentia, qua forma dependet à materia sit ipsa receptio formæ: nam priusquam forma intelligatur recepta in materia, iam intelligitur causalitas, & dependentia formæ à materia, & similiter, quia non omnis forma in materia recepta dicitur dependere à materia, vt probatum est; dicitur ergo forma dependere à materia, tanquam à substentante ratione actionis, qua fit, & conseruatur, quia videlicet actio productiua, & conseruatiua formę recipitur, & substentatur in ipsa materia. Vnde modus receptionis formæ in materia, vel informationis, nullo modo est via, seu causalitas, qua forma à materia dependet, vel substentatur in illa, sed potius

tius etiam ipse modus vnionis similiter etiam dependet, & sustentatur à materia, ratione illius productionis, qua fit, & conseruatur ab agenti, quia illa actio, vel est eadem cum illa, qua producta est forma, ex materia, vel certe est eiusdem generis eductiua, scilicet, de potentia materiæ.

Quid sit causalitas materiæ in compositum.

Dicendum est tertio causalitas materiæ in compositum est modus vnionis, quo materia in se recipit formā. Probatur primo, quia nihil aliud est, quo medio materia posSit constituere compositum, quam passio, vel modus vnionis, & receptionis actiuæ: sed passio non potest esse causalitas materię in compositum: ergo hæc causalitas non est alia, quam modus vnionis. Minor probatur, quia causalitas materiæ in compositum est id, quo medio, materia se ipsam tribuit composito: sed non potest se ipsam tribuere composito media passione, quia sequeretur aliquod accidens includi in essentia, & natura compositi substantialis: nam intelligi non potest materiam includi in essentia compositi, & quod causalitas, qua se ipsam exibet composito, non includatur intrinsece in eodem composito, quia magis immediata, & intrinseca est cuicunque effectui causalitas, qua accipit esse à causa, quam ipsamet causa.

Secundo, quia illud est causalitas materiæ respectu compositi, quo medio materia se ipsam tribuit composito: sed medio vnionis modo, quo materiam recipit formam, se ipsam communicat composito, & non alia ratione: ergo ille vnionis, vel receptionis modus est causalitas materiæ in compositum.

Duplex causalitas materiæ.

Ex hac conclusione infero, materiā duplicē habere causalitatē, quod docuerūt Gab. in 2. dist. 1. q. 5. Ocanus. q. 3. Perer. lib. 8. c. 2. & optime Patres Lusit. hoc loco. c. 7. q. 8. art. 1. Addēdū etiā est, q͡ prędicti auctores non satis explicāt has duas causalitates esse ex natura rei diuersas; nā causalitas materię in formā est accidēs, atq; adeò extrinseca essentię ipsius cōpositi, causalitas verò ei⁹ in cōpositū est modus vnionis substantialis, & intrinsecus eidem cōposito substantiali. Nec mirandum est eandē causam, posse habere causalitates, ita diuersas respectu effectuū diuersorū, ad quos intra propriū genus

causa

causæ materialis diuersimode concurrit. Tum quia si agens eadem numero actione, qua causat formam, & vnionem, causat etiam ipsum compositum, ideo ita contingit, quia eodem modo se habet, respectu formæ, & vnionis, atq; respectu compositi: nam non aliter tribuit esse composito, quam producendo alteram eius partem, & vnionem; at materia non sic, quia non tantum concurrit ad esse compositi, tribuendo esse formæ, media passione, sed etiam communicando se ipsam eidem composito, media vnione, & receptione formæ: tum etiam quia hæ duæ causalitates materiæ, ita sunt inter se subordinatæ, vt vna ordinetur ad aliam, nam passio ordinatur ad vnionem tanquam ad terminum, media qua vnione, materia seipsam communicat composito.

Sed obiiciet aliquis, quia causalitas se ipsa produci, & pendere solet à causa, nō media alia causalitate; sed vnio non seipsa pendet à materia, sed media passione: ergo nō est causalitas materiæ, sed potius effectus. Respōdetur maiorem propositionē non esse vniuersaliter veram de quacunque causalitate, sed de illa tantum, quę est via quędā, qua, causa tribuit effectui esse à se ipsa distinctum: quia huiusmodi causalitas nihil aliud est, quàm fieri ipsius effectus, & est extrinseca ipsi effectui, at causalitas causæ tribuentis se ipsam effectui est intrinseca eidem effectui, non minus quā ipsa causa, & ideo non consistit in fieri ipsius effectus, sed potius in facto esse: vnde sicut causa intrinseca. v. g. forma habet esse terminum causalitatis alterius causæ, ita etiam vnio, qua materia recipit formam, habet esse terminum alterius causalitatis materiæ, & efficientis, & hac ratione participat rationem effectus: sed quia simul etiam est mediū, quo materia se ipsam tribuit composito, ideo etiam participat rationē causalitatis intrinsecæ, inclusæ in ipsa entitate, & quidditate effectus.

QVAESTIO III.

Quid sit causa formalis, & quæ eius causalitas.

PRima definitio causæ formalis, reddi solet à quibusdam. Forma est

est quæ dat esse rei, quæ, neque in Aristotel. reperitur, nec proprie explicat causam formalem, quia non solum causa formalis, sed quælibet vera causa, vt diximus tribuit aliquod esse effectui. Propterea alij adentes huic definitioni quandam particulam, dicunt causam formalem esse, quæ intrinsece dat esse rei, quia putant rei existentiam totam prouenire à forma. Sed neque hæc definitio placet, fundatur enim in falsa opinione de existentia materiæ, causa enim materialis suam etiam habet partialem existentiam, qua intrinsece componit totalē rei existentiam, vt probauimus lib. 1.

Definitio causæ formalis.

Dicēdum est ergo, causam formalem sic definiri posse. *Causa formalis est quæ intrinsece complet esse rei.* In qua primo significatur formam dare aliquod esse rei, quod est de ratione causæ in cōmuni. Deinde ad excludendam causam efficientem, & finalem dicitur *intrinsece*, nā illæ tribuunt esse extrinsece. Vltimo denique, vt separetur à causa materiali, quæ etiam intrinseca est ipsi effectui; dicitur, formam dare esse per modum cōplementi, quia ipsa est, quę complet compositionem rei, ac perficit; materia enim nō est pars compositi complens eius entitatem, sed potius est quasi prima pars illius, incipiens eius compositionem, vt supra explicatum est. Atque hęc definitio hoc modo explicata, nihil aliud est, quā optima quædam explanatio eius definitionis, qua Arist. hoc loco definiuit formam, dicens: *Formam esse rationem quidditatis*, idest, actus quidditatis, & vltima pars, quæ adueniendo alteri parti cōplet, ac perficit rei quidditatem, hoc enim sibi vult illa particula *Ratio*, quæ sic exposita optime excludit materiam à ratione causæ formalis.

Quatuor species causæ formalis.

In hac definitione obseruādum est, quatuor species causæ formalis comprehendi in illa: primo enim comprehenditur forma substātialis, quæ adueniendo materiæ, vltimo constituit formā substantialem. Secundo comprehenditur quæcunq; forma accidentalis, quæ proportionatur etiam adueniendo subiecto, complet quidditatem compositi accidentalis. Tertio etiam reducitur ab Arist. ad hoc genus vnio partiū maxime integrantium: nā coniunctio, & continuatio earum adueniens ipsis partibus totum constituūt vltimò, qua etiā

ratione ordinata coniunctio elementorum in syllaba, & partium in domo dicitur habere rationem formæ, ac deniq; verbi copula in propositionibus, & nota illationis in consequentia. Quarto partes difinitionis reducit etiã Aristotel. ad hoc genus causæ, sed valde improprium, quia licet tota definitio, & quælibet eius pars videatur habere aliquam rationem formæ respectu definiti, siue respectu entitatis Physicæ ipsius, non tamen est propria ratio causæ realis in aliqua parte definitionis materiæ, imo neque inter ipsas partes deffinitionis, quanuis communiter dicatur, differentiæ, esse formam, & genus materiæ, non est propria causæ vsurpatio, sed methaphorica, in prioribus tamen tribus membris vera reperitur ratio causæ formalis, quamuis non ità proprie in singulis, nec vniuoce, sed analogice tantum, vt supra dictum est.

Circa causalitatem formæ notandum est, quasdam esse famas, quæ in sua essentia includunt actualem cõiunctionem, cum altera parte materiali compositi, quod constituit, & causalitas harum formarum, non est aliquid ex natura rei distinctum ab ipsa entitate, vel essentia formæ, huiusmodi sunt omnes modi tàm substantiales, quàm accidentales, qui se ipsis vniuntur, atque adeò se ipsas exibẽt toti composito per semetipsos. Aliæ vero sunt formæ, quibus conuenit vniri alteri parti, non per suam essentiam, sed per super additum aliquem modum ex natura rei diuersum, & de causalitate tamen harum formarum inquirimus quid sit.

Secundo suppono, ex supra tractatis formam nullam habere causalitatem respectu entitatis materię, quia materia independens est in sua entitate à forma, solum ergo tribui potest formæ causalitas in informationem passiuam ipsius materiæ, & in ipsum compositum, quas causalitates assignant hoc loco Patres Lusita. q. 8. supracitata, non tamen explicant an sint causalitates hæ inter se ex natura rei diuersæ, eodem enim modo loquuntur de materia, & forma, quo ad duas vtriusque causæ causalitates. Et Perei. lib. 8. cap. 2. duas etiam docet esse formæ causalitates, alteram respectu compositi, quæ est dare illi esse quidditatiuum, & existentiæ, alteram respectu materiæ, quæ est illam

iam actuare, sed hoc potius est assignare diuersos formæ effectus, quàm causalitates, & quo ad primum spectat, iam diximus, illum non esse proprium formæ, quia etiam materia tribuit composito partem quidditatis, & existentiæ, vt constat ex dictis lib. 1. secundus vero effectus proprius est ipsius formæ, vt diximus.

Quid sit causalitas formæ.

Dicendum secundo. Causalitas formæ nihil aliud est, quàm mod' informationis, siue vnionis, qua vnitur forma materiæ, & præter hãc nulla alia est formæ causalitas. Hanc conclusionem docet Pater Fonsec. 5. Met. c. 2. q. 2. sect. 2. in principio, & ratio primæ partis est, quia causalitas alicuius causæ est id, quo causa tribuit effectui, vel se ipsam, vel aliquid aliud esse, sed media informatione se ipsam exibet forma ipsi composito: ergo informatio est causalitas formæ.

Secunda vero pars conclusionis probatur, quia forma solum potest habere causalitatem in materiam, & in compositum, causalitas autem in compositũ iam explicata est, consistitque in ipsa informatione, qua forma se ipsam tribuit composito; in materiam autem nullam causalitatem habere potest præter hanc ipsam, quam habet in compositum: quod sic ostendo. Quia materia nihil aliud habet à forma, quàm informatam esse; sed hic effectus formalis non est alius ab ipso cõposito: nam materia informata includit, materiam, formã, & informationem, seu vnionem, præter quæ, nihil aliud est in toto: ergo vnicus tantũ est realis effectus formæ, & consequenter vnicam habet causalitatem. Et declaratur à simili, quia materia eadẽ causalitate est causa totius, & receptionis passiuæ, qua forma dicitur recepta in materia: nam totum nihil aliud includit, quàm formam in materia receptam, & ideo eodem receptionis modo simul natura causat vtrunque. Pari etiam ratione, forma eodẽ informationis modo constituit totum, & materiam informat.

Ex hac conclusione, sequitur, nullam prioritatem naturæ intercedere à parte rei inter informationem materiæ, & constitutionem cõpositi substantialis, vel accidentalis, quod notauerim cõtra Fonseca loco citat. & Lusit. etiam quæst. 8. cit. nam Fonseca asserit actuationem, seu formationem materiæ,

præcedere secundum naturam constitutionem compositi, & Lusitani vocant hanc, prioritatem, originis. Ratio huius est: Quia isti duo effectus, materia informata, & compositum constitutum nō sunt diuersi ex natura rei, & ideo simul natura fiunt, & existunt à parte rei.

Et confirmatur illud antecedens, quia sunt ab inuicem omnino inseparabiles, fieri enim non potest aliqua potentia, vt materia sit à forma informata; & quod totum non existat, vel è contra, in quo Fonseca consequenter loquitur, quia existimat totum Physicum substantiale distingui essentialiter, & realiter à partibus ipsis vnitis, ideo asserit totum posterius natura resultare ex partibus vnitis, vnde in toto composito accidentali, quod ipse existimat non distingui à subiecto, & forma accidentali vnitis, idem docet, quod nos dicimus, nimirum, idem omnino, & simul esse, formam accidentalem informare subiectum, & totum accidentale constituere: nos vero, quia vniuersaliter de omni toto composito ex subiecto, & forma probauimus libro primo, non distingui ex natura rei ab ipsis partibus vnitis, ideo vniuersaliter, etiam dicimus informationem, cuiusque formæ, simul natura esse à parte rei cum compositione, & constitutione totius.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum vnus, & indiuisibiliter modus vnionis sit causalitas materiæ, & formæ, respectu compositi.

HÆC quęstio per se connexa est cū his, quæ in præcedenti diximus & ideo lib. 1. disputat. 1. vbi de hoc modo vnionis nonnihil diximus, illam in hunc locum reiecimus. In qua supponenda sunt, quæ hactenus libro primo, & in hac disputatione, de hoc modo vnionis dicta sunt. Primum, hunc modum vnionis esse diuersum ex natura rei à partibus vnitis, quia partes, sine hoc modo existere possunt. Secundum, esse modum absolutum, quia etiam si supponamus, partes ipsas existentes, potest fieri hic modus

vnionis

vnionis per se per verá actionem, & immutationem realem, ac Physicam ipsius materiæ, quia postquam existunt partes, potest hic modus vnionis per se fieri per veram actionem, & mutationem realem.

Tertio suppono etiam, vnionem formæ substantialis, cum materia esse modum substantialem, quia pertinet ad essentiam, & constitutionem, compositi substantialis, & est principium subsistendi, sicut ipsa forma substantialis, vnionem vero formæ accidentalis cum subiecto esse modum accidentalem, quia intrinsece pertinet ad constitutionem totius compositi accidentalis, & non est principium subsistendi, sed potius, nihil aliud est, quam ipsemet modus inhærendi formæ accidentalis, quia est proprius terminus existentiæ formæ accidentalis, sicut subsistétia est proprius terminus naturæ substantialis.

His igitur suppositis, in præsenti quæstione, quidam ex Iunioribus (nam apud antiquos, imo, neque apud recentiores nulla est huius, vel sequentis quæstionis métio) existimant duos modos vnionis partiales, ex natura rei diuersos ponendos esse, vnum ex parte materiæ, quo ipsa recipiat formam, alterum ex parte formæ, quo ipsa vniatur materiæ, & eandem informet. Fundamentum huius sententiæ colligitur ex dictis in præcedentibus quæstionibus huius disputationis, quia modus vnionis, quo materia recipit formam, est causalitas materiæ in compositum, modus autem vnionis, quo forma informat materiam est causalitas formæ in idem compositum; sed hæ sunt duæ causalitates diuersarum causarum, imo diuersorum generum causæ: ergo sunt diuersi modi vnionis, quod fundamentum specialem vim habet, si supponatur (vt citati auctores supponunt) modum vnionis, quo materia recipit formam esse causalitatem ipsius materiæ in formam; nam iuxta hanc sententiam modus hic receptionis est prior natura, quàm ipsa forma, & consequenter, quá informatio eiusdem formæ: ergo receptio, & informatio sunt duo partiales modi realiter inter se diuersi, tanquá causa, & effectus; nam receptio est causatio formæ, & consequenter, eorum quæ a for-

ma dependent, atque adeo erit quasi causa, vel causatio informationis prouenientis à forma.

Quid sint causalitates materiæ, et formæ respectu compositi.

Nihilominus tamen multo probabilius est, causalitates materiæ, & formæ, respectu compositi esse vnicum, atque indiuisibilem modum vnionis, qui quatenus, illo medio, materia vnitur formę, dicitur receptio, & quatenus, medio eodem, forma vnitur materiæ, & se ipsam exibet composito dicitur informatio. Ratio prima huius conclusionis sumi potest à simili, quia eadē entitas est causalitas, finis, agentis per rationem, vt inferius probabo, & effic entis, ac passi, vel materiæ eadem est causalitas respectu formæ, vt supra probatum est: ergo eadem etiam erit causalitas materiæ, & formæ respectu cōpositi. Probatur consequentia, quia sicut finis, & agens per rationem sunt causæ inter se necessario connexæ, & simul natura influentes in eūdem effectum; & agens etiā, & passum, similiter sunt inter se connexa, & simul natura influunt in eundem effectū: pari ratione materia, & forma sunt causæ per se cōnexæ, & simul etiam natura concurrentes ad constitutionem naturæ totalis: materia enim licet, in formam prius natura habeat causalitatem, tamen in compositū non prius sed simul cum ipsa forma cōcurrit.

Secunda ratio sit, quia si causalitas materiæ in compositum esset diuersus modus partialis ex natura rei â modo vnionis, qui est causalitas formæ, vel hoc esset ratione causalitatis, quia nimirum sunt causalitates diuersarum genere causarum, vel rationo vnionis, quia scilicet vnio duarum partium nequit intelligi sine duplici medio. Sed propter primum non est necessarium multiplicare modos vnionis, quia (vt iam declaratum est) in aliis generibus causarum eadē realiter entitas, siue modus, potest esse causalitas causarum, quæ sunt genere diuersæ.

Dices, in aliis generibus, vtraque causa tantum habet eundem effectum cum altera, & ideo possunt ad illum eadem realiter causalitate simul concurrere: at materia, non solum habet causalitatem in ipsum compositum, simul cum forma, sed etiam prius natura habet causalitatem in ipsam met formam: ergo non potest idem omnino

nino realiter modus vnionis esse causalitas materiæ, & formæ.

Sed contra, quia licet hęc ratio probet causalitatem materiæ in formam esse diuersam à causalitate formæ in compositum, quia est prior natura, tamen illa causalitas materiæ, non est modus receptionis, seu vnionis substantialis; sed passio accidentalis, de prædicamento passionis (vt probatum est) & ideo non sequitur duplicem esse partialem modum vnionis: neque materia concurrit ad compositum, media ipsa passione, qua causat formam, sed medio receptionis modo, quo formam recipit, & formæ vnitur, & hunc modum receptionis, dicimus non esse ex natura rei diuersum, à modo, quo forma vnitur, seu recipitur in materia, quia simul natura recipit materia formam, & forma recipitur, & informat materiam: igitur propter causalitatem, non est aliqua necessitas distinguendi hos duos modos. Iam vero quod neque ratione vnionis sit necessarius duplex unionis modus. Probatur primo, in vnione duarum partium integrantium, quæ vnico, atque omnino indiuisibili cótinuatiuo inter se perfecte vniũtur. Idem etiam in vnione hypostatica humanitatis Christi ad Verbum, quę vnico vnionis modo, ex potentia humanitatis educto, sufficienter perfecta est.

Deinde etiam ratione hoc declaratur, quia eo ipso quod vnum extremum intelligitur vnitum alteri; eodem vnionis modo, manet alterum extremum sufficienter vnitum priori extremo: ergo ratione vnionis, non est necessarius duplex modus vnionis.

Confirmatur, & declaratur hoc magis in particulari, quia materia causat compositum recipiendo formam, & forma informãdo materiam, vel existendo in illa: sed receptio materiæ, & informatio, vel in existentia formæ sunt idẽ secundũ rem: ergo idẽ omnino vnionis modus est causalitas vtriusq; causæ respectu cõpositi. Minor probatur, quia recipere, & recipi idem sunt realiter, sicut agere, & pati: sed recipi, & informare, siue in existere sunt omnino idem, quia recipi formam in materia, quid aliud esse potest, quam formam esse in materia informãdo ipsam: ergo receptio, & informatio sunt idem, secundum rem.

Tertia denique ratio sit, quia omnino repugnat, etiã de potentia Dei absoluta, materiam vniri formæ, quin simul forma vniatur materię: ergo non vniuntur inter se partialibus vnionibus ex natura rei diuersis, quia quoties inter aliqua duo est distinctio ex natura, non repugnat vnum illorum, ab altero separari, vt constat ex principio supra probato, lib. 1. disput. 1.

Ex hac conclusione sequitur, modum inexistẽtiæ, per quem Aristoteles definiuit materiam, dicens, esse illam ex qua inexistente fit aliquid, non esse diuersum, à modo inexistentię, quo forma etiã existit in toto, quia hic modus existendi in toto, non potest esse aliquid aliud, quã modus, quo hæ partes intrinsece sęmetipsas tribuunt toti, & inter se vniuntur, quia hæc duo sunt omnino inseparabilia, partes esse in toto, & partes esse inter se vnitas. Est tamen hæc differentiã, quod materia per hunc modum vnionis, dicitur quidẽ inexistere in toto, non tamẽ dicitur inexistere ipsi formę, quia materia non vnitur formæ tanquam subiecto, sed tã quam actui, & formæ: at forma per eundem vnionis modum dicitur inexistere toti tanquam parti, & materiæ tã quam forma suo subiecto, vel tanquam actus suæ potentiæ.

Sed dices: Quia quanuis anima rationalis recipiatur in materia per modum actus & vniatur illi, nihilominus non dicitur propriè inexistere materiæ: ergo aliquid aliud habent formæ materiales præter modũ informationis, quo vniantur materiæ, ratione cuius dicuntur proprie inexistere materię, sicut etiã accidentia dicuntur inhærere subiecto: ergo modus inexistendi, & inhærendi formę materialis, & accidentis non est idem quod modus vnionis. Respondendũ est inexistentiã formæ in materia duo posse significare. Primo solam eius existẽtiam in materia, & hoc modo, tã anima rationalis quam quæuis alia forma dici potest inexistere subiecto. Secundo significare potest, non nudam formæ existentiam in materia, sed existentiam, vt dependentem ab ipsa materia, cui forma inexistit, & vnita est, & hoc sensu dici non potest anima rationalis inexistere materiæ, quia licet modus vnionis ipsius à materia dependeat, ipsa tamen

anima

anima in sua existentia independens est à materia cui vnitur, & ideo hoc modo in existere materiæ, vel inhærere subiecto dicitur esse propriũ formę materialis, & accidentis, quia in existentia, & inhęrentia hoc modo includit, vel potius supponit dependentiam formæ in existentis à materia, vel subiecto cui inexistit.

QVAESTIO. V.

Vtrùm modus vnionis recipiatur immediate in vtraque causa materiali, & formali, vel in materiali tantum.

DIximus hactenus causalitatem materiæ, & formæ respectu compositi esse vnicum vnionis modum, quod non immerito alicui videri potest difficile, quia vnio esse debet in rebus vnitis, neque enim est maior ratio, cur in vna tãtum constituatur, & non in altera: sed vnus, & idem modus indiuisibilis non potest recipi in duobus subiectis, quia hoc, neque eidem formæ substantiali, quantumuis perfectissima sit, conuenire potest naturaliter: ergo modus iste vnionis, qui est causalitas materiæ, & formæ non est vnus & idem realiter, sed alius formæ, & alius materiæ, vnusquisque à sua causa dependens, & in illa receptus: maior propositio huius discursus in qua esse videtur tota difficultas, videlicet, quod modus hic vnionis recipi debeat in vtraque causa, siue parte vnita. Probatur primo, quia vnio partiũ quantitatis in omnibus partibus recipitur: ergo vnio partium compositi substantialis, vel accidentalis recipi debet in omnibus etiam partibus vnitis. Deinde quia si de aliqua parte dubitari potest, quod recipiat in se modum vnionis est ipsa forma.

Secundo probatur quod modus vnionis recipiatur in illa, quia forma substantialis intrinsece denominatur vnita materiæ: sed non potest intrinsece denominari nisi à forma in se ipsa recepta: ergo.

Tertio idem probari potest, quia nihil mutatur, nisi acquirendo in se aliquam formam: sed anima rationalis, quando in resurrectione reunitur materiæ, dicitur vere mutari: ergo aliquid in se ac-

quirit per illam reunitioné, nihil autem potest acquirere nisi partem aliquam vnionis, v.g. informationem ergo.

Quartò; quia idem est subiectum relationis & fundamenti: sed forma est subiectum relationis vniti ad materiam, cuius relationis fundamentum est ipsa substantialis, vel accidentalis vnio: ergo forma substantialis, & accidentalis recipit in se aliquid vnionis.

Confirmatur hæc ratio, quia non ob aliam causam inter humanitatem Christi, & Verbum non est mutua relatio vniti, quia vnio est tantú in humanitate, & non in Verbo, quia humanitas Christi, est in Verbo per modú vnionis, in ipsâ humanitate existétem, & de potentia eius eductum, nam illa admirabilis vnio in sola humanitate, vt in subiecto, perfici potuit, quia Verbum non potest esse causa materialis, siue subiectum alicuius modi, vel formæ: ergo similiter potest forma vniri materiæ, & in illa esse per modum in ipsamét existentem, & ex potentia eius eductum.

Ex dictis dub. 1. & 2. huius disputationis constat, vnionem pendere à materia in genere causæ materialis: vnde in hac quæstione, præcipue explicandum est, an eadem vnio etiam dependeat à forma in eodem, vel in aliquo alio genere causæ.

Dicendum est primo modum vnionis materiæ, & formæ esse intrinsece, & immediate coniunctum vtriq; parti. Hæc conclusio est certissima, & eam præcipue probant fere omnes rationes factæ, vt constat ex earum solutione. Et declaratur sic, quia hæc vnio est vinculum quoddam vniens vnam partem cum altera, & vtramque immediate denominans vnitam: sed vnio non potest intelligi vinculum esse vtriusque partis, nisi vtranque attingat immediate: ergo vnio materiæ & formæ est immediate coniúcta vtrique earum. *In quo sit modus vnionis materiæ & formæ.*

Dicendum secundo, modum vnionis non pendere à forma in genere causæ efficientis. Hanc conclusionem statuo propter Lusit. qui lib. 1. Physic ad cap. 9. q. 11. art. 3 sequuti Enricum Gandaués quodl. 11. q. 14. docent, saltem animá rationalé esse causam effectiuam informationis, & vnionis substantialis, qua vnitur materiæ, quia sicut eadé anima potest se ipsam præsentem exibere alicui spatio, ita etiam si Deus prępararet *A quo pendeat modus vnionis.*

ret

fet aliquam materiam omnibus suis organis, & accidentibus instructam, posset anima huic materiæ vltimate dispositæ se intime præsentem exibere, & ex vi illius motus, seu actionis, qua se ipsam anima materiæ dispositæ intulisset, dicunt eandem copulatum iri, & substantialiter vniendam.

In quo si modus vnionis materiæ & formæ.

Quæ sententia mihi omnino displicet, quia actio illa qua anima iam creata seipsam materiæ dispositæ præsenté exiberet, nihil aliud est, quá motus localis ipsius animæ; sed proprius & intrinsecus terminus huius mutationis localis est sola præsentia animæ secundum locú, qua v.g. potest fieri præsens huic spatio. Vnde per hanc mutationem posset quidem, anima intime fieri præsens materiæ illi à Deo vltimate dispositæ, sicut potest fieri præsens, & penetrari cum quocunq; alio corpore, non tamen posset substantialiter vniri illi materiæ ex vi illius actionis, cuius proprius, & intrinsecus terminus est accidentalis præsentia secundum locum.

A quo sit à deo ...

Secundo, quod neque aliqua alia actione, vel mutatione possit anima seipsam substantialiter vniri materię quátumcunque dispositæ: probatur, quia generatio substátialis, qua homo dicitur generari non est actio, quæ terminatur in materiam, vt per se notum est, cum hęc à principio mundi creata sit, neque actio, seu creatio ipsius animæ rationalis (quidquid citati Auctores dicant) quia generatio hominis perficitur per actionem, qua forma materiæ vnitur: sed vnio hæc fit per actionem eductiuam illius de potentia materiæ: ergo non fit per creationem, qua anima rationalis creatur, quia nihil à materia dependens, vt sic, potest fieri à Deo per creationem: implicat ergo omnino, quod ipsi dicunt, eadem videlicet actione fieri à Deo animam rationalem, & vniri materiæ, quia hęc vnio in sua essentia includit actualem coniunctionem cum dependentia à materia.

Neque etiam generatio hominis ex parte secundę causę generantis est sola productio dispositionum, quibus materia ad formam hominis disponitur, quia omnibus his dispositionibus productis, non dum intelligimus perfectam generationé substantialem hominis, neque genitum esse hominem, sed materiam tantum esse

esse dispositam: ergo generatio substantialis hominis cõsistit solum in productione modi vionis substãtialis, qua materia vnitur formæ, & forma materiæ, quæ productio supponit materiam prius natura dispositam, & animam rationalem, prius etiam, vel saltem simul natura à Deo creatam, distincta tamen est ab vtraque illa actione. Tum sic: generatio substãtialis hominis consistit in productione vnionis, & informationis, qua anima rationalis substantialiter vnitur: ergo causa effectiua huius vnionis dicitur generare hominem: ergo si anima rationalis se ipsam effectiue vniret substantialiter materiæ dispositæ, ipsa diceretur generere hominem, cuius est pars essẽtialis, quod est absurdum, & in Philosophia nunquam auditum.

Et confirmatur hæc ratio, quia ipsis Angelis hoc non datur, vt videlicet sint causæ effectiue alicuius substantiæ immediate, & per suam substantiam, vel virtutem, vt vidimus libro 1. ergo multo minus tribuenda est animæ rationali virtus actiua, qua se ipsam materiæ dispositæ, substantiali vnione coniungat: nam quod anima rationalis sit actus partialis, & illi sint actus perfecti, nõ potest esse causa maioris efficatiæ, vel virtutis effectiuę, hæc non est maior in substãtia partiali, quàm in perfecta, & totali, sed solum est causa sufficiens, vt anima rationalis in genere causæ formalis, & intrinsecæ possit aliquid causare, quod Angeli non efficiunt, quia non sunt actus formales. Vnde ratio Diu. Thom. supra citato loco, facta ad probandum Angelos non posse per se immediate materiam substantialiter immutare, vel trãsmutare, a fortiori etiam habet locum in anima rationali.

Tertia denique ratio generalis pro omnibus formis esse debet, quia modus vnionis fit effectiue ab eodem agente, a quo effectiue pẽdet illud compositum, quod per illam vnionem constituitur, & ab illo fit eadem omnino actione, qua fit ipsamet forma, excepta hominis generatione: ergo non potest forma concurrere actiue ad illam vnionem, quia causa efficiens semper præcedit natura, & generatione suum effectum. *Ratio generalis pro omnibus formis.*

Sed contra, quia subsistentia pendet, quasi effectiue ab actuali essentia subsistenti: ergo modus vnionis, qui est quasi

quasi terminus, etiam existentiæ ipsius, pendebit effectiue à forma in materia existenti. Respondetur in primis, antecedens non esse certum, vt constat ex dictis supra de subsistentia materiæ. Deinde esto illud sit probabile, negatur consequentia; tum quia subsistentia solum pendet ab essentia rei subsistentis, quia illius tantum est terminus: & modus intrinsecus, inexistētia vero, siue modus vnionis formæ, non solum pendet à forma, sed etiā à materia, & ideo non est cur ratio principij effectiui vnionis, potius tribuatur formę, quam materiæ. Tum etiam, quia subsistētia se ipsa, & per suam essentiam pendet ab essentia, si ab illa dimanat effectiue, vt supra dicto loco dicebam: at modus vnionis dici non potest, dimanare immediate, & per suam essentiam a principio sui effectiuo, quia actio productiua vnionis substantialis animæ rationalis cum materia, est ipsa hominis generatio, a qua tantum habet homo, quod dicatur genitus, quæ actio est accidentalis, & distincta ab ipsa essentia hominis geniti. vt omnes admittunt.

Modus vnionis a quo educatur. Dicendum est tertio, modus vnionis non educitur de potentia ipsius formæ, neque in illa tanquam in subiecto recipitur, atque adeò non pendet ab illa in genere causæ materialis, sed a sola materia, in qua sola, tanquam in subiecto recipitur. In hac conclusione nobiscum etiam sentiunt Iuniores supra relati, qui duos partiales modos vnionis ponunt, nam hi etiam modum informationis, qui se tenet ex parte formæ, dicunt, non esse in ipsa forma, vt in subiecto, sed in sola materia, multo tamen facilius intelligitur in nostra sententia, qui vnicum tantum dicimus esse modum vnionis, hunc esse in materia, & ex potentia tantum illius educi.

Probatur primo in homine, quia modus vnionis animæ rationalis cum materia recipitur solum in ipsa materia, & ex potentia tantum illius educitur ergo idē erit in omnibus alijs compositis ex materia & forma: consequentia optima est, non solum a paritate rationis, quia materia & forma eodem modo vniri debent in omnibus compositis, sed etiam a maiori, quia anima rationalis aptior est ceteris formis ad recipiendum aliquid, cum ipsa sola sit

la sit

la sit subsistens independenter à materia. Antecedens vero probatur, quia nihil materiale potest recipi in subiecto spirituali: sed vnio materiæ, & animæ rationalis est materialis: ergo recipi non poterit in anima, quæ spiritualis est. Maior patet quia nihil materiale educi potest de potentia spirituali: nam non alia ratione scimus accidentia, quæ recipiuntur in anima non esse materialia, nisi quia educuntur de potentia subiecti spiritualis. Minor vero probatur, quia vnio animæ cum materia fit per generationem, generatio autem est accidens materiale, tum quia est à principio materiali, sicut à principali efficienti, quod non potest producere aliquod spirituale. Tum etiam, quia generatio recipitur in materia, vt libro primo probauimus: ergo cum generatio sit quædam via materialis, necessarium est formalem, atque immediatum terminum eius materialem esse, atque adeò non receptum in anima rationali, neque eductum de potentia illius.

Confirmatur hæc ratio ex communi Doctorum sententia dicentium, animam rationalem non pendere à materia in sua entitate, quia spiritualis est, pendere tamen ab illa quoad informationem: ergo modus informationis, & vnionis animæ rationalis cum materia educitur de potentia materiæ, & in eadem recipitur, non ergo recipitur, neque educitur de potentia animæ rationalis, quia eadem forma, vel modus, recipi non potest in duobus subiectis, neque ex vtriusque potentia simul educi, saltem naturaliter loquendo.

Primum illud antecedens docent communiter omnes Doctores, & videri possunt Fonsec. 5. Metaphysicorum capite secundo quæstione prima sectione tertia, Iauelus eodem libro quæstione secũda, ad secundũ dubiũ Sonzinus ibidem quæstione quinta, conclusione secunda.

Secunda ratio sit, quia vnio debet immediate attingere materiam & formam, quas coniungit, vt probatum est conclusione prima: sed non potest vtramque partem immediate, & intrinsece attingere, nisi ipsa recipiatur in materia tantum: ergo. Probatur minor, quia quidquid recipitur in forma, vt v.g. in anima rationali, tan-

quam in subiecto, ante vel post vnionem, cum materia, mediate tantum vnitur materiæ, mediate scilicet ipsa anima, vt patet in potentijs; & actibus proprijs animæ rationalis: ergo similiter si vnio eius cũ materia recipitur in ipsa anima non attingit immediate ipsam materiam.

Quid maxime notandum.

Dicendum denique vltimo: modum vnionis proprie loquendo, adhuc, neque in genere causa formalis pendere à forma. Hæc conclusio videbitur alicui difficilis, quia modus vnionis; est proprie loquendo causalitas formæ: sed omnis causalitas respicit suam causam in eodem genere, quo per ipsam causa influit in effectum: ergo modus vnionis dependere debet à forma in genere causæ formalis. Sed neganda est minor propositio vniuersaliter sumpta, in causis enim, quæ tribuunt effectui, esse à se distinctum, vera est, non tamen in causis, quæ effectui nihil tribuunt præter se ipsas, hoc constat manifeste in partibus integrantibus lineæ, quæ componunt materialiter ipsam lineam medio puncto, tanquam causalitate, qui tamen punctus in nullo genere causæ, proprie loquendo, pendet à partibus, quas vnit, & copulat: quia in genere causæ formalis, cert ũ est non pendere ab illis, cum vtraque pars componat lineã in genere causæ materialis tã tum. Neque potest pendere in genere causæ efficientis, vel materialis, quia sicut partes lineæ in his duobus generibus pendent à partibus substantialibus materiæ primæ, sibi correspondentibus, vt libro 1. probatum est: sic quoque punctum continuatiuũ earum pendet in vtroq; hoc genere ab alio puncto substantiali materiæ, sibi correspondenti: sic ergo quia forma nihil tribuit composito præter se ipsam, in quo conuenit cum partibus integrãtibus, ideo eius causalitas nõ pendet proprie ab ipsa, tanquam à causa, sed ab ipso efficiente, & materia tantum dependet non tanquam causalitas, sed tanquam effectus media actione & passione, vt supra probatum est. Vnde neque a materia etiam dependet vnio quatenus causalitas eius est in totum, & ratio huius differentiæ inter causalitatem causæ extrinsecæ, & causalitatem causarum internarum, consistit in diuerso modo causandi, quia causæ extrinsecæ causant, suum effectum tribuendo, illi

illi aliquod esse à se diuersum, vnde necesse est causalitati etiam tribuat esse: nã media hac communicatur illud esse effectui, & ideo istę causæ non solum sunt causæ suorum effectuum, sed etiam suarum causalitatum: at causæ intrinsecæ non alio modo causant, quam tribuendo se ipsas effectui, id est, componendo actualiter ipsum totum, hoc autem aliquando faciunt medio quodam modo vnionis, quæ ideo tantum dicitur causalitas harum causarum, quia est id, quo ipsæ actu se ipsas exibeant composito, non quia prius se ipsas exibeant vnioni, & media vnione composito, sicut efficiens & materia prius natura tribuunt esse actioni, & passioni, & media hac ipsi termino, vt formæ productæ, sed quia est vinculum vtriusque partis formaliter illas vniens, & quasi in actuali compositione totius continens.

Probatur cõclusio. Deinde probatur conclusio. Omnis causa debet dare suo effectui, vel aliquod esse à se distinctum, vel se ipsam vt inductione constat in omnibus causis, & sequitur ex definitione causæ à nobis traditæ: sed forma non tribuit vnioni se ipsam, vt constat, quia vnio adequatæ distinguitur a forma, neque aliquod esse a se distinctum, quia omnis causa tribuens effectui esse ab ipsa distinctum præsupponitur suo effectui secundum illud esse, quo causat, forma autem non præsupponitur existens prius natura, quam vnio, quia eadem in diuisiuili actione fit simul cum ipsa forma, quando forma est materialis.

Ex quo vlterius secundo, sic argumentor: Quia omnis causa, quæ tribuit effectui esse ab ipsa distinctum, tribuit illud media actione, qua effectus ipse pendet ab agente, vt inductione constat in causa materiali, & finali, quæ non alio modo tribuunt esse effectui, nisi quatenus concurrunt simul cum agente ad ipsam actionem, qua fit effectus. Et ratio est: quia omnis actio agentis est sufficiens influxus & causalitas, vt per ipsam terminus eius existat: vnde quidquid non cõcurrit ad actionem agentis aliquo modo, nulla ratione dici potest causa termini formalis & proximi, qui fit per actionem:

nem: sed sic est, quod forma nullo modo potest concurrere ad actionem per quam fit vnio ab agenti: ergo forma nullo modo potest esse causa vnionis, tribuēs ipsi aliquod esse à se distinctum. Discursus est optimus, & probatur minor. Quia vel forma est materialis, vel immaterialis: si sit materialis, hæc fit eadem indiuisibili actione, qua fit vnio: vnde sicut forma non potest esse causa sui ipsius causans actionē per quā ipsa producitur, ita nō pōt esse causa vnionis causans actionē eius. Si autē forma sit immaterialis, vt anima rationalis, etiam dici nō pōt ipsā cōcurrere in aliquo genere ad generationē hominis per quam immediate fit vnio ipsius cum materia, quia neq; potest habere causalitatem effectiuam, neque materialem in ipsam generationē, vt per se est manifestum, neq; formalem; quia causa formalis nihil causat in suo genere, nisi media informatione, anima autem rationalis non informat generationem ipsam, neque facit cum ipsa compositionem alicuius compositi, nulla ergo forma concurrere pōt ad productionē vnionis, & cōsequēter nulla forma est causa illius proprie loquēdo.

Dices vnionem pendere seipsa, & essentialiter ab ipsa forma, & ideo, vt forma dicatur causa vnionis non necesse est, quod concurrat ad actionem per quam fit vnio.

Sed contra, quia, vt aliquid sit causa alicuius rei, vel tanquam effectus, vel tanquam causalitatis, non sufficit quæcunque dependentia illius rei ab ipsa, nisi ita dependeat quod accipiat ab illa aliquod esse distinctum, vel ipsammet causam in se essentialiter includat: sed quātūuis vnio dependeat essentialiter à forma, nō accipit à forma esse distinctum, neq; ipsam formam in se includit, tanquam partem essentialem, cum vnio non componatur ex partibus: ergo vnio non dependet à forma tanquam à causa, esto dependeat ab illa immediate per suam essentiam. Minor sufficienter probata est rationibus præcedentibus, maior autem propositio constat ex definitione causæ, & inductione per omnes causas. Quod præterea ne singulare videatur. Declaratur duplici exemplo, quomodo possit aliquid per suam essentiā dependere ab altero, & non dependere ab illo tanquam à causa. Primum sit in actione, quæ essentialiter dependet à suo termino, repug-

Aliquod dependere ab altero per suā essētiam, & nō ab illo tanquam à causa.

nat enim de potentia Dei absoluta actionem poni in rerum natura sine termino, terminus tamen non est causa actionis, nisi dicatur causa formalis extrinsece specificans, quod libenter admitto, etiam in forma respectu vnionis: sed hic modus causandi non est proprius causæ realis, de quomodo agimus.

Secundum exempmlu sit in alio modo formaliter opposito, & incompossibili cum modo vnionis, verbi gratia in modo perse essendi accidetis, vel formę materialis, cum à subiecto separatur. vel clariùs si à principio produceretur accidens per creationem perse existens, & separatum à subiecto, nam ille modus perse essendi accidentis, eadem prorsus actione indiuisibili crearetur cum ipso accidenti, quia intelligi non potest aliquod accidens existens per creationem, & non perse separatum, & independens à subiecto; cum ergo ille modus fiat simul natura cum accidenti, & eadem omnino actione, intelligi non potest in quo genere causæ concurrat accidens ad esse illiusmodi, quanuis intelligamus modum illum esse essentialiter coniunctum, & inseparabilem, & ideo depédétem ab illo accidenti, sic igitur, quanuis modus vnionis sit perse, & essentialiter coniun. us cum forma, & inseparabilis omnino ab ipsa, nō sequitur, quod dependeat à forma, tanquā à causa.

Resp. ad rationes in principio quasi propositas.

Vnde respondetur ad rationes in principio propositas, ad primam illius propositionis probationem negatur antecedens, imo vnio illa quantitatis, quę nihil aliud est, quā proprium indiuisibile illius, vt punctum, lineæ, de quo in lib. 6. in nulla quantitatis parte vnita recipitur, vt in subiecto, sed in parte, vel modo substantiali materię, sibi correspódéti, vt patet ex dictis: in partibus autem quátitatis vnitis solum est ille modus adhærendo illis, tāquam proprijs entitatibus, cum quibus actualem per suam essentiam habet coniunctionem.

Ad secúdā vero probationē negatur minor, quia res nō solū denominatur intrinsece à forma in se tāquā in subiecto recepta, sed etiā à forma sibi quocúq; modo intrinsece cóiūcta, sicut termin' actionis denominatur ab actione per quā fit, cū tñ actio nō insit termi nis per modū subiecti, sed tá quá entitati proprię cui pesuā essétiā intrinsece cóiūgitur.

Ad tertium, vt respondeamus.

Duobus modis aliquid mutari.

mus notandú est, duobus modis dici aliquid mutari. Primo, per hoc tantum, quod aliter se habeat, nunc quã prius, qua ratione sumpta mutatio, nihil aliud est, quam diuersitas quædam se habendi, aliter scilicet, nunc quàm prius: sed quoniam hoc fieri solet ratione alicuius actionis producētis in re aliquid, quod antea non erat in illa, ideo secundo modo sumitur mutatio pro hac via, seu actione, quæ illud tantum subiectum denominat, quod illam habet, & acquirit, tanquam propriũ subiectum, terminũ ipsius actionis, quod vero non est subiectum ipsius, nó denominatur mutari hoc modo, Prim⁹ modus mutationis est valde improprius, quia nihil aliud esse videtur, quàm relatio, seu habitudo quædã rei ad seipsam prout erat antea. Secundus vero mod⁹ mutationis est propria mutatio: quo supposito. Ad maioré illius tertię rationis respódetur, illud ꝙ proprie mutatur, idest tãquã subiectũ actionis productiuæ acquirere in se aliquã formam, quę est terminus illius mutationis, ꝙ vero mutatur solũ in propria mutatione tãtũ respectiua, aliter se habēdi nũc quã prius, nó est necesse ꝙ in se recipiat aliquod, sed satis est se ipsum coniúgi, intrinsece alicui in alio recepto: quia ergo forma v. g. anima rationalis, quãdo revniretur, non mutaretur tãquã subiectũ illius revnitionis, quia hoc subiectũ est sola materia, sed solum impropria & respectiua quadá mutatione, aliter se habendi, quã prius, nõ sequitur ꝙ illa reci, eret in se, ipsum modum vnionis, sed ꝙ intrinsece cóiũgeretur illi. Vt declaratũ est.

Resp. ad tertium in principio quæstionis.

Ad quartũ dicēdũ est duplex esse relationis fundamétũ: aliud in quo, aliud etiã in quo & ex quo relatio producitur, & hoc necessario esse debet in re, quæ est subiectũ relationis, quia ipsũ est immediatũ subiectũ relationis: aliud vero est relationis fundamentũ quo, ꝙ cómuniter dicitur ratio, seu códitio fundãdi, ꝙ fũdamẽtũ nõ necessario esse debet in subiecto relationis quia illud non est immediatũ relationis subiectũ, licèt ad illã sit necesse: qua ratione, licèt generatio nó sit in termino, vt in subiecto, quia tñ intrinsece illi adhęret terminus pót dicere relationē geniti, & filij si sit viuens: hic igitur dicendũ est, vnioné nõ esse fundamétũ in quo, sed quo relationis vniti, & ideo satis est, si vtrique parti dicenti relatione in vniti, intrinsece coniũgatur

quacunque ratione, licèt non tanquam subiecto. Ad confirmationem respondetur, licèt verbum nō recipiat in se vnionem hypostaticam, non tamen esse hanc causam propterquam non dicat relationem realem vniti ad humanitatem, sed quia Deus nullam potest relationem realem dicere ad creaturas, quia quidquid realiter est in Deo conuenit illi necessario, & deinde, quia verbum non ordinatur natura sua ad illam vnionem, neque per illam perficitur vlla ratione, quarum neutra ratio locum habet in forma.

Ad vltimum negatur consequentia, quia valde diuersa est ratio de vnione hypostatica, in qua verbum sustentat naturam non per modū subiecti subiacendo illi, sed per modum termini terminando & perficiendo illam, supplet enim vicem subsistentiæ humanitatis, quæ superuenire illi intelligitur, non subiacere, & ideo modus, quo illa vnio perficitur, optime cōcipitur in humanitate existens, & de illius potentia eductus: at materia substentat formam per modum subiecti subiacendo illi, & ideo vt modus vnionis intelligatur medius inter vtramque partem, necessarium est, vt in materia sola recipiatur: quia si in forma reciperetur, ipsa potius forma intelligeretur media inter vnionem, & materiam, vt supra philosophatum est.

QVAESTIO. VI.

Qui sint effectus causæ formalis.

EX hactenus dictis constat, compositum ex materia & forma, esse effectū ipsius formæ, hunc enim effectum diximus causare formam per modum vnionis, siue informationis, præter hūc effectūm tribui solent formæ non nulli alij effectus, vt existentia totius, suppositum, expulsio formę oppositæ, de quibus sigillatim breuiter est dicendum.

Circa primum, quidam distinguentes existētiam totius ab illius natura, & essentia, docent existentiam totius esse effectum formæ non in genere causæ formalis, sed efficiētis: pro qua, sentētia refertur diu. Tho. asserens, esse totius prouenire à forma, tanquam primum effectum, operationem vero tanquam secundū: sed operatio est effectus formæ in genere causæ efficientis,

tis: ergo similiter existentia.

Confirmatur; quia passiones totius proueniunt à forma in genere causæ efficientis, vt docet diu. Tho. 1. p. q. 77. artic. 6. sed existentia est quid super additum naturæ ex materia & forma compositæ: ergo efficiēter debet prouenire ab eadem forma, sicut reliquæ passiones.

2. Sent. Secunda aliorum sententia est, existentiam totius esse effectum formæ in genere causæ formalis, non tamen primariū, sed secundariū. Ita Sonci. 5. Meth. q. 5. & Astud. 2. phys. q. 3. sed hi auctores non eodē modo id explicant, nā Sonci. docet primarium effectū formæ esse suppositum, à quo, inquit prouenire existētiam, & ideo existentiam docet esse secundarium effectum formæ. Astudil. vero docet primarium effectum formæ esse naturam compositam ex materia & forma, quam existimant præcedere, & suppositum, & existentiam.

Assertio. 1 Dicēdum est primo in hac quęstione, formam esse causam existentię sui effectus, id est, compositi primariò, & per se in genere causæ formalis. Primam partem huius conclusionis, nimirum formam esse causam formalem existētiæ totius compositi docent Iauell. 5. Met. q. 3. Fonsec. ibi dē. c. 2. q. 2. Caie. 1. p. q. 76. ar. 1. Ad euidentiam horū Gab. in. 2. d. 1. q. 5. Sotus. q. 3. Perei. lib. 8. c. 2. & colligi potest ex diuo Tho. 1. 2. q. 111. art. 2. vbi in fine corporis docet, hoc quod est esse, esse primarium effectum formæ, sicut coloris facere calidum, quod repetit. 2. contra gent. cap. 54. quod nō potest esse omnino verū de alio esse, nisi existētiæ, quia esse subsistētię nō pôt esse primarius effect⁹ formæ, sicut caloris est calidū. Ratio autē est quia cuiuscūq; causæ influx⁹, seu causatio, primo, & immediate tendit ad hoc, vt eius effectus sit, non tantum res possibilis, sed entitas actualis extra nihil, & extra ipsas causas: sed esse actualem entitatem, & actu existentem, est idem prorsus, vt li. 1. declaratū est: ergo omnis causa immediate & primo tendit in existentiā sui effectus, vnde esse causam alicuius effectus, nihil aliud est quàm esse causam existentiæ illius: sed forma est causa compositi in genere causæ formalis media vnione, & informatione: ergo media hac eadem causalitate est causa formalis existentiæ ipsius cōpositi. Ex qua ratione altera quoque pars conclusionis sequitur, nimirum formam

sed natura illa composita ex materia & forma pendet in genere causæ formalis ab eadem forma: ergo illa natura est primarius effectus formę, non suppositum.

Secunda pars conclusionis probatur, quia suppositú immediate componitur ex natura & subsistentia terminante naturam: ergo forma eà tātum ratione est causa suppositi, qua est causa subsistentiæ, quæ vltimo constituit suppositum: sed non est causa subsistentiæ proprie loquendo in genere causæ formalis: ergo neque suppositi. Probatur minor, quia nó potest forma substantialis, in quo solú hæc conclusio locum habere potest alia ratione esse principium subsistendi, quàm natura Angelica, vel anima rationalis, sed natura Angelica non est causa suæ subsistentiæ in genere causæ formalis, sed in genere causæ efficientis, sicut aliarum suarum passionum: ergo forma nullam subsistentiam causat incomposito in genere causæ formalis, sed potius in genere causę efficientis, & consequenter forma est causa suppositi in genere causæ efficientis causando in hoc genere subsistentiam per quam suppositum vltimo constituitur in genere causæ formalis.

Tertiò *In quo genere causæ forma causet subsistentiā*

Dici potest formam cócurrere ad subsistentiam in genere causæ materialis, maxime si ipsa subsistat, vt quod, & non dependeat à materia, & quanuis forma dependeat à materia, potest etiam aliqua ratione dici causa materialis respectu suæ subsistentiæ, nó quia de potentia illius educatur, sed quia existentia ipsa formæ componit formaliter existentiam totius, quæ comparatur ad subsistentiam, tanquam potentia ad proprium actum in compositione ex natura, & subsistétia, vt D. Th. frequentissime docet.

In quo genere causæ forma concurrat ad subsistentiam.

Sed contra hanc conclusionem obijci potest, quia actiones dicuntur esse suppositorum: ergo subsistentia, quæ constituit suppositú necessario præsuponitur ante omnē actionē: ergo subsistētia non prouenit effectiue à forma, neq; ab alia re subsistēti. Respódetur primo, actiones accidétales pertinentes ad prædicamentú actionis supponere in agēte subsistentiam, & ideo subsistentiam ipsam non posse prouenire ab aliquo agēte per hoc genus actionis, posse tamé efficienter pédere à natura per suammet essentiam absque media accidentali actione i [illegible]

sequitur naturam habere aliquod accidẽtale, antequã habeat subsistentiam.

Deinde etiam dici potest actiones, quæ intrinsece non tendunt ad ipsam subsistẽtiã esse suppositorum, & supponere subsistentiam, actionem tamen, quæ intrinsece tẽdit, vt res subsistat, prouenire posse ab eadem natura nõ præ intellecta in ipsa subsistentia, quia in hac actione, natura sibi ipsi consulit, neq; tribuit alijs entitatem, prius quam sibi prouideat in naturali, & maxime debita perfectione, si autem natura esset principium actiuum aliarum actionum, quæ tẽdunt ad perficiẽda alia, prius diceretur natura prouidere alijs, quàm sibi.

Circa vltimum effectum, qui formæ etiam tribui solet, videlicet expulsionẽ formæ oppositæ Sotus hic c. quæst. 4. post. 5. con. tanquam certissimum docet, expulsionẽ vnius formæ non causari ab alia formaliter, sed effectiue, sicut expulsio inquit ille vnius corporis à proprio loco, non fit ab alio corpore formaliter, sed effectiue, & hoc exemplũ est totum illius fundamentũ. Quod tamen confirmari potest ex diu. Tho. 22. q. 24. art. 10. docente peccatum expellere gratiam non solum demeritorie, sed etiam effectiue: sed peccatum est forma opposita gratiæ: ergo forma in genere causæ efficiẽtis expellit aliam formam.

Dicendum tamen est tertio, formam de nouo aduenientem non causare effectiue expulsionem formæ præexistẽtis: hæc est communis sententia Scoti in. 4. d. 1. q. 5. §. *Ad primam ergo quæstionem*, & aliorum. Quam etiam docuit diu. Tho. 1. 2. q. 85. art. 1. ad. 4. & ratio est manifesta, quia duobus tantum modis intelligi potest, aliquid expellere aliquam formam à subiecto effectiue. Primo si suspendat concursum, quo illam conseruabat, qua ratione sola causa conseruans actiue formã, potest effectiue causare eiusdẽ expulsionem. Secundo, quia effectiue causat aliquid, quo illã expellat, qua ratione producens formam incompossibilem, dicitur, causare effectiue expulsionem præexistentis: sed forma aduenienS neutro ex his modis expellit præexistentem, ergo. Nam primo modo: quia non conseruabat effectiue illam. Non secundo modo, quia nihil producit effectiue à quo expellatur, nam antequam quidquã eficiat, illã expellit: ergo forma aduenieñs nullo modo

expellit

expellit effectiue formã præexistentem.

Assertio notãda circa expulsionẽ formæ.

Dicendum denique est in hoc pũcto, expulsionem formæ præexistentis, optime dici posse formalem effectum secundarium formę aduenientis. Ad probationem huius conclusionis notandũ est primo, formam pręexistentem, v. g. non expelli à subiecto per calorem aduenientem eidem subiecto, qua tenus calor est non frigus, sed quatenus habet vim inducendi in ipsum subiectum priuationẽ frigoris à se distinctam, & nõ sibi, sed ipsi subiecto, quasi inhærentem. Ratio est, quia non secus albedo est non frigus, quam calor, vtraq; enim harum formarum per suam essentiam est non frigus: sed negatio frigoris in albedine inclusa non expellit à subiecto frigus: ergo neque etiam negatio frigoris, quę in calore includitur illud expellit.

Secũdo notandũ est effectũ negatiuũ, qualis est expulsio formæ proprie causari per substractionem concursus, sicut effectus positiuus causatur per verum & realem influxum causæ in effectum: vnde forma adueniens, ideo, dici poterit causa formalis expulsionis formæ præexistentis, quia in genere causæ formalis est causa quod subiectum, vel materia non influat informã præexistentẽ, sicut antea influebat. Quibus præmissis, ratio huius conclusionis est, quia quidquid forma causat media informatione, dici potest effectus formalis formæ, nam hæc est causatio formæ, sed forma adueniens media informatione, compellit materiam deserere formam præexistentem, & substrahere concursum, quo illam conseruabat: ergo expulsio vnius formæ pręexistentis optime dici potest formalis effectus alterius formę aduenientis; & non est effectus primarius, quia hic tãntum est constitutio compositi: ergo est secundarius.

Substractio concursus quomodo causat.

Confirmatur hæc ratio primo, quia producens formam, dicitur effectiue concurrere ad expulsionem alterius oppositę præexistentis, quia effectiue producit formam expellentem, sed forma expellens non aliter expellit, quam media causalitate sua formali: ergo formaliter dicitur illam expellere, & non effectiue.

Confirmatur secundo, quia si corpus dicitur effectiue expellere aliud corpus à proprio loco, ideo est, quia effectiue imprimit illi aliquem impul-

impulsum a quo corpus ipsum in proprio loco mouetur, sed forma de nouo in materiam inducta nihil imprimit formæ præexistenti, quo illa à materia expellatur, sed tantum per sui præsentiam, & informationem necessitat materiam, vt concursum illum substrahat, quo præexistentem formam conseruabat, ergo non effectiue, sed formaliter tantũ dicenda est aliam formam expellere: per quod patet ad fundamentum & exẽplum Scot.

Ad confirmationem ex D. Thom. communis responsio est, quam eo loci adhibet Caiet. peccatum ratione diuersorum, quæ includit expellere gratiam effectiue & formaliter, consistit enim peccatum in actione voluntatis cũ deformitate malitiæ, quæ ex illa actione effectiue resultat, & ideo per actionem dicitur peccatum effectiue expellere gratiam, per deformitatem vero, & malitiam formaliter, sicut calefactio effectiue expellit frigus, calor vero per calificationem productus formaliter.

Quædã difficultas maxime attẽda. Sed contra tertiam conclusionem est communis, & difficilis obiectio, quia expulsio formæ præcedit tanquam dispositio ex parte materiæ introductionem, & informationem alterius: ergo non fit ab illa formaliter, quia nullus effectus causæ realis potest præcedere causam ipsam, quoad esse illud quo causat. Antecedens est expressa sententia S. Tho. 1 2. quæst. 113. artic. 8 ad 1. & de veritate. quæst. 28. art. 7. & ratione probatur, quia vt materia suscipiat formam præsupponi debet vacua, & carens alijs formis, secus in eodem instanti, vel priori naturæ intelligeretur duabus formis simul informari.

Primus modus respondendi. Prima responsio ad hanc difficultatem est expulsionem formæ preexistentis esse priorem in genere causę materialis, seu dispositiuę, esse tamen posteriorem in genere causę formalis. Qui modus respondendi est valde communis in Schola D. Thom. vt Scot. docet in 4. dist. 14 q. 2. art. 6. & d. 15 quęst. 1. ar. etiam 6. quem ille hoc exemplo declarat, quia cum aer ingreditur per fenestram, illam aperiendo, ingressio aeris est prior in genere causę efficientis aperitione fenestrę, quamuis hęc precedat, vt dispositio.

Sed non placet modus hic respondendi, quia dispositio non disponit, nisi secundum suum esse reale actualis existentię

Reij. iam hic modus. stentiæ: ergo fieri non potest, vt illam disponat ad causam à qua habet suum esse reale, & cuius est realis effectus, quia nullus effectus realis potest præcedere illud esse suæ causæ per quod habet esse: cum ergo expulsio formæ sit effectus, realis priuatiuus informationis alterius formæ, nequit in nullo genere intelligi prius natura existens, quàm informatio formæ aduenientis, atque adeo non disponit ad illum. de qua re latius supra disputatum est lib. 1. disp. 3. lib. 8. & hoc lib. Neque illud exemplum est simile, quia apertio fenestræ prior quidem est aeris ingressu, siue vt dispositio, siue vt conditio remouens impedimentum, non tamen est effectus aeris prout ingredientis, vel ingressi, sed prout contingentis, & impellentis fenestram ante ingressum, ad quē impulsum, apertio nō cōparatur, vt dispositio, vel conditio, sed vt effectus.

Secūdus modus respondendi. Secundus modus respondendi aliorum est, expulsionem formæ, quæ dispositiones aliquas requirit in subiecto, vt est forma omnis substantialis, & aliquæ accidentales, causari posse, non solum ex introductione alterius formæ oppositæ, sed etiam ex defectu suarum dispositionum, imo prius semper causari ex defectu dispositionum, quam causetur à forma introducta, & ideo in his formis expulsionem vnius esse priorem introductione alterius, quia tunc non est effectus formæ introductæ, expulsionem vero formæ nullam exigētis dispositionem, nō causari, nisi à forma introducta, & ideo nō esse dispositionē ad illam, sed eius effectum formalem, atque adeo simpliciter posteriorē. Quæ responsio imprimis non fugit difficultatem propositā, quæ vniuersaliter probat omnem formæ expulsionem esse dispositionem ad introductionem alterius.

Priorum dus rep. datur. Secundo falsum etiam est quod docet, quia nunquam expulsio formæ præcedentis, potest esse dispositio ad introductionem alterius, etiamsi forma præexistens habeat dispositiones in subiecto, quia dispositio conseruans formam præexistentem corrumpitur per vltimā dispositionem formæ introducendæ: ergo prior est dispositio vltima formæ producendæ, quàm defectus dispositionis formæ præexistentis: sed forma substantialis aduenien consequitur suam vl-

vltimam dispositionem, sicut expulsio præ existentis consequitur deffectum suæ dispositionis: ergo prior est introductio formæ aduenientis, quàm expulsio præ existentis, sicut prior est dispositio aduenientis, quàm defectus dispositionis formæ præ existentis, nunquam igitur expulsio formæ est prior natura, quàm introductio alterius aduenientis, & consequenter, neque dispositio ad introductionem eius.

Propter hæc conuincor, vt cum alijs ad obiectionem illam simpliciter negem antecedens. Ad cuius probationem dicendum est: ad introductionem formæ aduenientis, non debere præsupponi materiam vacuam & nudam priori forma, sed satis est vt per introductionem & informationem formæ aduenientis denudetur præ existenti, ita vt, primum esse vnius, sit primum non esse alterius secundum tempus.

Denique ad vltimum quod obijciebatur, quod in illo priori naturæ, in quo introductio formę præcedit expulsinem alterius, intelligeretur materia simul informari pluribus formis. Respondetur primo, simile inconueniens sequi ex sententia opposita, nimirum, quod in illo priori naturæ, in quo expulsio formæ præcedit introductionē alterius, materia esset sine vlla forma.

Secundo tamen dicendum est, nunquam esse, siue intelligi simul in eadem materia vtranque formam, quia cum prioritas naturæ solum sit prioritas causalitatis, id solum intelligitur in illo priori esse in materia, quod est causa expulsionis, sola autem introductio vnius formæ est causa expulsionis alterius, & ideo in eo priori, neque præsentia, neque absentia, siue expulsio formæ præ existentis intelligitur, quia neutrum horum est causa expulsionis formæ aduenientis, cuius informatione compellitur materia deserere formam præ existentem, vt explicatū est.

QVAESTIO. VII.

Vtrum per miraculū causa materialis simul habere possit formas oppositas, & eadē forma simul etiā possit plures informare materias.

IN Priori parte huius quęstionis suppono ex præcedenti lib. fieri non

non posse naturaliter, vt eadem numero materia pluribus simul substantialibus formis informetur, & idem existimandum est de illis accidentalibus formis, quæ inter se oppositionem & contrarietatem habent, quia huiusmodi etiam, naturaliter mutuò se expellunt formaliter ab eodem subiecto. De potentia autem supernaturali, quæ miraculose operari potest est difficultas. In qua cõmunis esse censetur Thomist. opinio asserentium per quãcunque potentiam hoc repugnare. Primo, quia existimãt formas indiuiduari ab hac numero materia quod lib. 1. iã exclusum est. Secundo, quod effect' formalis formę à Deo impediri non possit, expulsio autem vnius formæ substantialis, vel accidentalis oppositę est effectus formalis alterius formæ. Sed hoc etiam leuissimum est, quia licet primarius effectus formalis formæ in formantis subiectum impediri non possit à Deo, qualis est. v. g. album respectu albedinis, & homo respectu animę rationalis, quia hic effectus non distinguitur ab ipsa forma informante subiectum: secundarius tamen formæ effectus, à quo forma ipsa omnino distinguitur, qualis est expulsio alterius formæ, optimè impediri potest à Deo, quia introductio vnius formæ in materiam, ideo solùm est causa expulsionis alterius; quia cogit materiam, vel subiectum cessare à concursu, quo illum cõseruabat, quod tamen nõ est ita necessarium, vt Deus efficienter concurrens maiori concursu non possit subiectum, ita adiuuare, vt non cesset ab influxu, quo præexistentem formam cõseruabat: ergo absq; repugnantia, vel contradictione vlla, poterit Deus efficere, vt eadem materia diuersas simul recipiat formas.

Materia simul plures formas naturaliter habere non potest.

Tertium fundamentum huius sententiæ est, quia in oppositione contraria includitur oppositio contradictoria: sed repugnat simul esse contradictoria: ergo & contraria. Sed huic etiam facile responderi potest, maiorem propositionem veram esse de opositione contraria propositionum, quia sub qualibet vniuersali cõtraria includitur particularis, quæ contradictorie opponitur alteri vniuersali contrariæ, & ideo propositiones vniuersales contrariæ, nunquam possunt esse simul veræ, in formis autem physicis non est illa propositio vniuersaliter

Fundamentum huius sententiæ.

vera,

tur hæc ratio, quia nulla potentia est, siue actiua, siue passiua, quæ supernaturaliter adiuta & eleuata à Deo non possit aliquid amplius præstare, quá si iuri naturę relinquatur, ergo si potentia receptiua materiæ adiuuetur maiori, vel perfectiori concursu Dei, optime poterit recipere illas formas, quas cum ordinario & naturali concusu agentis recipere non potest. Antecedens declaratur, quia virtus actiua materiæ & formæ cuiusuis sacramenti. v. g. virtus actiua aquæ adiuta, & eleuata a Deo potest supernaturaliter effectum gratiæ & donorum physica actiuitate causare, quę tamen secundum suam naturá hunc effectum nequaquam posset attingere. Idem etiam dicendum est de igne inferni & purgatoris qui licet natura sua nihil possit agere in subiectū spirituale, sed tantum in corporeum & corruptibile: nihilominus, vt probabilis est, quorundam Theologorum sententia, ignis ille per virtutem obedientialem qua eleuatur à Deo producit effectiue qualitatē aliquam naturæ spirituali maxime dissconuenientem, à qua spiritus ibi detēti acerbe torqueri dicuntur. Similiter etiam virtus passiua, & receptiua animæ eleuatur a Deo, vt recipiat in se gratiam, & dona supernaturalia, quæ gratiam consequuntur: nam hæc omnia fiunt à Deo in ipsa anima cōcurrente ipsa per virtutem passiuam obedientialem ad actionem, qua infunduntur à Deo.

Qua ratione ignis inferni & purgatorij agât.

Item etiam humanitas Christi eleuata est, vt virtute etiam passiua obedientiali in se reciperet supernaturalem, & ineffabilem modum vnionis hypostaticæ. Deniq; virtus receptiua quátitatis corporis Christi eleuatur in sacramento Eucharistiæ ad recipiendum nouum & specialem modum existendi in loco indiuisibiliter, similem prorsus ei, qui substantijs spiritualibus naturaliter conuenit.

Confirmatur secundo, quia non minus repugnat naturaliter idem numero corpus esse simul in duobus locis sibi adæquatis, & distantibus per duas distinctas pręsentias in se formaliter receptas, quam repugnet eandem numero materiam recipere simul duas formas substantiales, vel aliàs accidentales, quacunq; ratione incompossibiles: sed non obstante illa naturali repugnantia potest per miraculū idē numero corpus

corpus recipere diuersas praesentias, quibus in diuersis locis distantibus simul constituatur: ergo similiter poterit eadē numero materia simul informari diuersis quibusq; formis substantialibus, & accidentalibus.

Sed contra, quia materia habens aliquam formam substantialē, iam est integre subsistēs, sed materia integre subsistens est omnino incommunicabilis maxime alteri formae, vel naturae subsistenti: ergo materia vnita vni formae substantiali non potest communicari alteri formę substātiali, suam habenti subsistentiam, quia necessario vniretur materia integre subsistēs subsistentiae formae de nouo aduenientis. Respōdetur ad minorem propositionem, naturam subsistentem esse quidem incommunicabilem alteri, vt supposito, non tamen tanquam materiae, vel formę, & ideo, quanuis materia integre subsistat, postquam aliqua vna forma informatur, nihilominus adhuc potest vniri alteri, & alteri formae subsistenti, vel certe conferenti eidem materiae nouam aliam partialem: nam sicut intelligimus materiam informatam quantitate vniri formae substantiali immediate, sine eo quod quātitas vniatur formae substantiali, pari ratione possumus etiā intelligere, quod materia informata per vnam formam substantialem, integre subsistēs per illius subsistētiā vniatur alteri formae, & alteri subsistentiae, immediate per suam tantum partialem entitatem & partialem subsistentiam, absque eo quod forma prius existens in materia recipiat in se formā de nouo aduenientem, vel subsistentiam eius, si diuina virtute adiuuetur materia ad plures formas substantiales simul recipiendas.

Circa secūdam partem huius quaest. certum est eandē numero formam non posse simul diuersas numero materias discontinuas informare, quod adeò semper apud phylosophos quosque indubitatum fuit, vt quanuis Auerr. lib. 3. de anima ad cap. 5. quē ibidem Themistius, & Theophrastres sequti sunt, grauissimo impie errās, eandem numero mentem, vel intellectum in pluribus hominibus possuerit, non tamen adeò mentis inops fuit, vt diceret, mentem illam plura corpora informare, sed solum putauit illam esse multis communē per quandam assistentiam & copulationē cum eorum imaginibus *Quoddā notandum.*

ginibus recte ordinatis. Deinde ratio huius rei est, quia omnis forma est natura sua determinata ad vnum numero compositum constituẽdum, vnde hac de causa in diuinis, vbi vnica natura est in tribus suppositis, vnus tantum est Deus: sed idem compositum non potest naturaliter cõstare ex diuersis materijs discontinuis, sed sicut vnicam formam, sic etiam vnicam requirit materiam: ergo fieri nõ potest naturaliter, vt eadem numero forma plures simul materias discontinuas informet.

Confirmatur primo, quia idem corpus non potest simul recipere diuersas præsentias secundũ locum: ergo neque eadem forma poterit simul habere diuersas inexistẽtias, vel informationes in diuersis, ac discõtinuis materijs.

Secundo quia idem effectus non potest naturaliter à duobus agentibus seorsum sufficientibus depẽdere, ergo neq; eadem forma poterit ex diuersis materijs naturaliter educi: deniq;, quia, vt vidimus lib. 1. eadem materia non potest plures simul substantiales formas recipere naturaliter: ergo neq; eadem forma poterit plures, ac discontinuas materias informare. Solum est difficultas, an hoc non solum sit naturaliter impossibile, sed etiam repugnet respectu cuiuscunq; diuinæ potentiæ. In qua re Thomisthæ existimantes formã indiuiduari per hãc numero, & determinatã materiã, cõsequẽter asserunt cõtradictionem implicare, eandem formam diuersas informare materias, sed quia hoc fundamentum sufficienter exclusum est lib. 1. ideo.

Quid sentiẽdũ respectu diuinæ virtutu,

Dicendum est secundo in hac quæst. rectè fieri posse diuina virtute, vt quæuis forma substantialis & accidentalis, quæ à causa materiali differt, sicut res à re diuersas & discõtinuas materias, seu subiecta simul informet. Hanc conclusioné docet Fonse. supra sect. 3. quam etiam breuiter supponit Pater Suarez, tom. 1. in 3. par. disp. 31. sect. 5. & ratio est, quia hoc nullam inuoluit manifestam contradictionem, tũ quia forma non indiuiduatur à determinata aliqua materia, vt probauimus. Tum etiam, quia licet virtus informatiua ipsius formæ determinata sit naturaliter loquẽdo ad vnam tantum materiam, tamen sicut virtus actiua agentis, & virtus passiua materiæ adiuuari possunt effectiuo concursu Dei, vt aliquid amplius efficiat, vel recipiat, quam secundum suam naturam efficere,

cere, vel recipere posset, vt explicatum est conclusione præcedenti: sic etiam virtus causæ formalis eodem diuino concursu eleuari poterit, vt plures simul materias, vel subiecta informet, licet hoc naturaliter cótingere nó possit.

Confirmatur primo à simili eisdem exemplis, quibus paulo antea probabam hoc non esse naturaliter possibile, quia idem corpus potest simul per diuersas præsentias poni in diuersis locis, super naturaliter loquendo: ergo eadem etiam forma per diuersas in existentias, & informationes poterit diuersas materias informare, antecedens probabitur libro 4. Deinde idem numero effectus potest diuina virtute à duobus agentibus sufficientibus, & totalibus produci: ergo similiter fieri potest, vt eadem numero forma à diuersis materijs adæquate dependeat. Denique, quia non implicat eandem numero materiam pluribus simul formis naturaliter incompossibilibus informari, ergo neque eandem numero formam plures simul informare materijs.

Confirmari potest secundo ex Fonse. supra, quia cum anima rationalis de facto informet diuersas partes materiæ continuas, tota insingulis existens, quid prohibet eandem animá conseruari à Deo in eisdem partibus, materiæ, etiamsi discontinuarentur?

Certe in hoc nulla inuoluitur repugnantia, imò aliquando fortasse ita factum est. Sicut verum est quod in gloriosa Dionysij Areopagitæ morte, contigisse referunt Simon Metaphrast. alijque graues authores in eius vita, post capitis inquá eius de trúcationem, truncum corpus deambulasse viuens, ac viuens caput gestasse manibus. Quod si diuina virtute hoc fieri potest, vt scilicet eadem forma in pluribus materijs conseruetur, quæ inepta sunt ad illius conseruationem, cur non in pluribus naturaliter aptis integris videlicet, atque perfectis eadem anima, vel alia forma conseruari poterit ab ipso Deo? *Quid cótigerit in morte Dionysij Areopagi*

Locutus sum autem in cóclusione de formis, tantum, reipsa, omnino diuersis à materia, vel subiecto, vt excluderem formas modales, quæ cum in sua entitate includant vnionem cum subiecto, cuius sunt modi, esse non possunt in pluribus subiectis

tanquam in causa materiali; quia non possunt illis vniri per super additam vnionem, sicut formæ reales, neque possunt in sua entitate includere vnionem cum pluribus subiectis, nam si hanc includerent non super naturaliter, sed naturaliter potius essent in pluribus subiectis, quia prædicatum inclusum in entitate rei, non potest ipsi conuenire super naturaliter, sed naturaliter: ergo huiusmodi formę modales nulla ratione informare possunt diuersa subiecta, vel plura, quàm illa, cum quibus naturalem & essentialem habent coniunctionem. Formæ vero reales, quæ omnino realiter diuersæ sunt à materia, nó vniuntur ipsi per suam entitatem, sed per super additam vnionem, & ideo recte intelligi potest ipsas vniri nouæ, & diuersæ materiæ, non relicta priori per super additam nouam vnionem, & informationem.

Dices, nulla substantia potest simul duplici subsistentia subsistere, etiam per miraculum, neque quantitas duplici terminari figura: ergo nec forma poterit terminari duplici in existentia, vel informatione. Respondetur non esse simile, quia subsistentia & figura sunt termini, & modi rerum omnino absoluti & independentes ab alio extrinseco termino: at in existentia & informatio formæ, sumitur etiam à materia, quæ informatur à forma, & ideo multiplicatis materijs multiplicantur informationes, & inexistentiæ formæ in materia. Sicut, quia relatio pendet natura sua, non solum à fundamento, sed etiam à termino, ideo multiplicatis terminis multiplicantur secundum numerum relationes in eodem numero fundamento.

Circa dicta in hac quæst. multa obijci & inquiri possunt valde difficilia, quorum aliqua, quia similia sunt, his quæ de corpore in duobus locis existente dubitari solent, cum de hac corporis in diuersis locis simultanea præsentia sermo nobis erit dissoluentur: alia vero, quæ propria sunt huius materiæ in duabus quæstionibus sequentibus explicabo.

QVAESTIO VIII.

An cõpositum ex vna numero materia, & pluribus formis simul illam informantibus, dicendum sit vnum ens naturale, & vnum suppositum, an plura?

QVI Existimant formas materiales non esse principium alicuius partialis subsistentiæ, consequẽter dicunt compositum ex diuersis formis materialib⁹ substantialibus, & eadem numero materia esse vnum tantum suppositum, quia huiusmodi compositum vnicam tantum habet subsistentiam materię, quippe, quę in substantiis omni ex parte materialibus sola est principium subsistendi. Nihilominus tamẽ dicunt huiusmodi suppositum non esse vnum ens naturale, neque vnum compositum, quia in omnibus substantiuis, & absolutis, vnitas præcipuè sumi solet à forma, vnde tres diuinæ personæ absolute dicuntur vnus Deus, quia forma Deitatis significata hoc nomine, eadem est in omnibus, dicuntur tamen non vna, sed tres personæ, quamuis persona dicat constitutum ex natura & personalitate, quia personalitas, quam formaliter significat nomen *Persona*, non est vna, sed triplex, quia ergo nomina entis naturalis & compositi sunt absoluta, ideo vbi sunt plures formæ necessario dicẽdum est esse plura entia naturalia, & plura cõposita.

Quæ sentẽtia quo ad attinet ad primã partem nititur fundamento, supra à nobis iã improbato, & quoad secundã etiam, existimo eius fundamẽtum non esse satis firmum: nã licèt verum sit ad vnitatẽ nominis substantiui, & absoluti sufficere vnitatem formę per ipsum formaliter significatæ, vt constat in exemplo Deitatis, quę quia vna est in tribus personis, omnes dicuntur esse vnus tantum Deus. Et simili etiam ratione docet D. Tho. 1. p. q. 36. art. 4. Patrem & Filium esse vnum principium Spiritus sancti, quia proprietas significata hoc nomine substantiuo *Principium*, vna tantum est in Patre & Filio. Nihilominus tamen ad pluralitatem ipsius nominis substãtiui non sufficit solius formę pluralitas, vt prędicta sententiã supponit; sed requiritur etiam pluralitas subsisti; vel suppo-

Reijcitur illo. ū opinio.

suppositi, quod expresse docet Diu. Thom. 1. part. quæst. 36. articulo 4. vbi ad 2. docet quod quanuis Pater æternus habeat plures proprietates secundum quas generat Filium & Spiritum sanctum spirat simul cum Filio, nihilominus pater non potest dici plura principia, quia multiplicaretur inquit pluralitas suppositorum: sentit ergo Diu. Thom. concretum non posse dici pluraliter, vbi vnicum tantum est suppositum, quanuis formæ significatæ per illud nomen, plures sint in eodem supposito. Idem etiam D. Thom. fusius hanc doctrinam tradit in 3. part. quæst. 3. artic. 7. ad 2. vbi docet facta suppositione, quod verbum diuinum duas humanas naturas assumeret, vnicum hominem esse dicendum. non plures: quod probat Diu. Thom. hac ratione, quæ in præsenti materia de vsu nominum debet sufficere, quia nominibus vtendum est, prout imposita sunt ad significandum: sed nullum est nomen concretum ab aliqua forma impositum, quod pluraliter dicatur, nisi sint plura supposita, ergo si verbum diuinum duas humanitates assumeret non diceretur plures, sed vnus homo, plures habēs humanitates. Maior per se cōstat, minorē probat. D. Tho. exēplis, quia homo duobus vestimentis vestitus nō dicitur duo vestiti, sed vnus duobus vestimentis vestitus, & qui duas habet qualitates, singulariter etiā dicitur qualis secundum duas qualitates.

Rejicitur la... [margin note, partly illegible]

Hinc infero, & dico primo in opinione quæ asserit formas substantiales materiales non esse principium subsistēdi, facta suppositione, quod duæ formæ informarent eandem materiam, compositum ex materia & duplici materiali forma dicendū esset vnum ens naturale, & vnum compositum. Ratio sumitur ex doctrina D. Tho. traddita, quia nomen concretū non potest pluraliter dici, nisi vbi sunt plura supposita, sed illud cōpositū ex eadē materia, & duplici forma est tātum vnū suppositū, vt docet hæc opinio: ergo est tātū vnū ens naturale & vnū compositū substātiale. *Quædā illatio notāda.*

Deinde etiam infero consequenter in hac opinione sequi compositū ex eadē materia, & duabus formis substantialibus, altera. v. g. equi, altera leonis dicendum esse simpliciter vnam substātiam, vnum corpus, & vnum etiam animal, etsi illæ formæ essent eiusdē speciei, dicentur etiā

vnus equus vel vnus leo, sicut homo quātunuis diuersis vestibus vestitus, dicitur vnus vestitus, & qui plures habet qualitates, dicitur vnus qualis, & qui plures artes dicitur etiam vnus artifex.

Quæ sit differentia inter subsistentiā & cæteras formas.

Dices quāuis persona dicat cōpositū ex natura & subsistētia, & in diuinis sit vnica tātū natura, dicūtur tamē tres personę propter tres subsistētias: ergo sola pluralitas formarū sufficit, vt nomē cōcretū formā ipsā significās, pluraliter dicatur. Respōdetur negādo cōsequentiā, est enim magna differentia inter subsistentiā, & ceteras formas, quod subsistētia nō potest separari à proprio supposito, quod secū afferr, & ideo ipsa multiplicari nō potest, quin simul supposita multiplicētur, & ideo nomina cōcreta, quę informaliter suo significato includūt subsistentiā, eo ipso quod supponūtur esse plures subsistētiæ, possūt pluraliter dici, quia necesse est plures subsistentias plures personas, vel supposita cōstituere: in alijs vero nominib^9 substātiuis, quæ alias formas significāt preter pluritatē formarū, requiritur pluralitas suppositorū, vt pluraliter dicātur, quia possunt plures earū cōuenire in eodē supposito per modū vnius subsistētis, & quia concretū substātiuū, nō solū significat formā, sed ex æquo significat formā & subiectū, seu suppositum, ideo, vt pluraliter dicatur, requiritur pluralitas suppositorū & formarū. In quo magna est differētia inter nomē substantiuū: nā licet vtrūq; requirat pluralitatē suppositorū, vt pluraliter dicatur, adiectiuū tamē nō requirit pluralitatē formarū, sicut substātiuū, cui^9 ratio est diuersus modus significādi vtriusq; cōcreti, nā adiectiuū, seu cōnotatiuū significat formā, vt distinctā à supposito, pro quo supponit, & qđ cōnotat, & ideo intelligi potest multiplicari ex parte suppositorū, nō multiplicata forma, vt cū dicim^9 tres homines de albatos, solū significatur quod albedo adiacet tribus hominibus, siue illa sit vna, siue multiplex, at nomē substantiuū intrinsece includit formam in illo, pro quo supponit tanquā suo modo constitutiuā eius, & ideo non potest pluraliter dici de his in quibus est eadē forma, vt cōstat in hoc nomine De^9, & idē est qđ D. Th. dixit. 3. p. q. 6. ar. 6. ad 2. ex suppositione qđ tres diuinę personę assumerētvnā tātū humanitatē nō esse dicēdos plures homines, sed vnicū hominē, quia

Quæ sit differentia inter nomen substantiuū & adiectiuum.

hos-

homo est nomē substantiuū.

Dicendum secundo, existentibus duabus formis substātialibus, etiā materialibus in eadē materia, illud cōpositū nō esse absolute dicedū vnū, sed duo supposita. Ratio huius est, quia vnaquęq; forma substātialis vnita materiæ est principiū propriæ & partialis subsistentiæ actuātis & cōplētis subsistētiā materię, & ideo materia sicut cū qualibet forma cōstituit quandā naturam substātialē cōpletā, & cū duabus formis constitueret duas naturas substantiales, specie vel numero diuersas pro diuersitate formarū, sic etiā cōstituit cū vnaquaq; speciale, & distinctum, specie, vel numero suppositum.

Assertio notanda.

Quae sit [...]

Et declaratur à simili, quia materia cadaueris distinctū specie suppositum constituit cum forma cadaueris ab illo quod constituebat antea cū forma animalis: ergo etiam si simul eadē illa materia informaretur à forma animalis, & forma cadaueris, cōstitueret etiam diuersa supposita.

Assertio.

Dicendum tertio, compositū illud ex duabus formis, & eadem materia, nō esset absolute dicendum vnum ens naturale, vel vnum compositū, sed plura, sequitur ex regula supra tradita, quia quoties diuersæ formæ sunt indiuersis suppositis, nomen cōcretum desumptum ab illa forma, dicitur pluraliter: sed in eo casu sunt plura supposita: ergo absolute dicenda sunt plura composita substātialia, plura entia naturalia, plures substātiæ, plura corporea, &c.

Confirmatur a simili quia sicut in diuinis, quanuis sit vna tantū natura, quia tamen hæc vnitur, vel potius identificatur cum tribus subsistentijs, quarum quælibet constituit suum suppositū absolute dicuntur esse tres subsistentes & tria supposita. Pari ratione quanuis huiusmodi compositū vnica cōstet materia, quia tamē hæc materia vnitur duabus formis substantialibus, quarum quælibet est principium effectuum propriæ subsistentiæ constituentis distinctum suppositum, ideo nomina ab his formis desumpta pluraliter dicuntur de ipso composito, & ideo sicut dicuntur duo supposita, dici etiam debent duæ substantiæ duo corpora, &c.

Vnde infero, quod si duę illę formę simul informārēt eā dē materiā, & altera esset forma equi, & altera leonis non posset vnū cōpositū, vel vnū animal de alio prædicari adhuc identice, vt oposita sententia

vltimam dispositionem, sicut expulsio præ existentis consequitur deffectum suæ dispositionis: ergo prior est introductio formæ aduenientis, quàm expulsio præ existentis, sicut prior est dispositio aduenientis, quàm defectus dispositionis formæ præ existentis, nunquam igitur expulsio formæ est prior natura, quàm introductio alterius aduenientis, & consequenter, neque dispositio ad introductionem eius.

Propter hæc conuincor, vt cum alijs ad obiectionem illam simpliciter negem antecedens. Ad cuius probationem dicendum est: ad introductionem formæ aduenientis, non debere præsupponi materiam vacuam & nudam priori forma, sed satis est vt per introductionem & informationem formæ aduenientis denudetur præ existenti, ita vt, primum esse vnius, sit primum non esse alterius secundum tempus.

Denique ad vltimum quod obijciebatur, quod in illo priori naturæ, in quo introductio formę præcedit expulsinem alterius, intelligeretur materia simul informari pluribus formis. Respondetur primo, simile inconueniens sequi ex sententia opposita, nimirum, quod in illo priori naturæ, in quo expulsio formæ præcedit introductionē alterius, materia esset sine vlla forma.

Secundo tamen dicendum est, nunquam esse, siue intelligi simul in eadem materia vtranque formam, quia cum prioritas naturæ solum sit prioritas causalitatis, id solum intelligitur in illo priori esse in materia, quod est causa expulsionis, sola autem introductio vnius formæ est causa expulsionis alterius, & ideo in eo priori, neque præsentia, neque absentia, siue expulsio formæ præ existentis intelligitur, quia neutrum horum est causa expulsionis formæ aduenientis, cuius informatione compellitur materia deserere formam præ existentem, vt explicatū est.

QVAESTIO. VII.

Vtrum per miraculū causa materialis simul habere possit formas oppositas, & eadē forma simul etiā possit plures informare materias.

IN Priori parte huius questionis suppono ex præcedenti lib. fieri non

non posse naturaliter, vt eadem numero materia pluribus simul substantialibus formis informetur, & idem existimandum est de illis accidentalibus formis, quæ inter se oppositionem & contrarietatem habent, quia huiusmodi etiam, naturaliter mutuò se expellunt formaliter ab eodem subiecto. De potentia autem supernaturali, quæ miraculose operari potest est difficultas. In qua cõmunis esse censetur Thomist. opinio asserentium per quãcunque potentiam hoc repugnare. Primo, quia existimãt formas indiuiduari ab hac numero materia quod lib. 1. iã exclusum est. Secundo, quod effect' formalis formę à Deo impediri non posit, expulsio autem vnius formæ substantialis, vel accidentalis oppositę est effectus formalis alterius formæ. Sed hoc etiam leuissimum est, quia licet primarius effectus formalis formæ in formantis subiectum impediri non possit à Deo, qualis est. v. g. album respectu albedinis, & homo respectu animę rationalis, quia hic effectus non distinguitur ab sa forma informante subiectum: secundarius tamen formæ effectus, à quo forma ipsa omnino distinguitur, qualis est expulsio alterius formæ, optimè impediri potest à Deo, quia introductio vnius formæ in materiam, ideo solùm est causa expulsionis alterius, quia cogit materiam, vel subiectum cessare à concursu, quo illum cõseruabat, quod tamen nõ est ita necessarium, vt Deus efficienter concurrens maiori concursu non possit subiectum, ita adiuuare, vt non cesset ab influxu, quo præexistentem formam cõseruabat: ergo absq; repugnantia, vel contradictione vlla, poterit Deus efficere, vt eadem materia diuersas simul recipiat formas.

Materia simul plures formas naturaliter habere non potest.

Tertium fundamentum huius sententiæ est, quia in oppositione contraria includitur oppositio contradictoria: sed repugnat simul esse contradictoria: ergo & contraria. Sed huic etiam facile responderi potest, maiorem propositionem veram esse de opositione contraria propositionum, quia sub qualibet vniuersali cõtraria includitur particularis, quæ contradictorie opponitur alteri vniuersali contrariæ, & ideo propositiones vniuersales contrariæ, nunquam possunt esse simul veræ, in formis autem physicis non est illa propositio vniuersaliter vera,

Fundamentum huius sententiæ.

tur hæc ratio, quia nulla potentia est, siue actiua, siue passiua, quæ supernaturaliter adiuta & eleuata à Deo non possit aliquid amplius præstare, quā si iuri naturę relinquatur, ergo si potentia receptiua materiæ adiuuetur maiori, vel perfectiori concursu Dei, optime poterit recipere illas formas, quas cum ordinario & naturali concusu agentis recipere non potest. Antecedens declaratur, quia virtus actiua materiæ & formæ cuiusuis sacramenti. v.g. virtus actiua aquæ adiuta, & eleuata a Deo potest supernaturaliter effectum gratiæ & donorum physica actiuitate causare, quę tamen secundum suam naturā hunc effectum nequaquam posset attingere. Idem etiam dicendum est de igne inferni & purgatoris qui licet natura sua nihil posit agere in subiectū spirituale, sed tantum in corporeum & corruptibile: nihilominus, vt probabilis est, quorundam Theologorum sententia, ignis ille per virtutem obedientialem qua eleuatur à Deo producit effectiue qualitatē aliquam naturæ spirituali maxime disconuenientem, à qua spiritus ibi detēti acerbe torqueri dicuntur. Similiter etiam virtus passiua, & receptiua animæ eleuatur a Deo, vt recipiat in se gratiam, & dona supernaturalia, quæ gratiam consequuntur: nam hæc omnia fiunt à Deo in ipsa anima cō-currente ipsa per virtutem passiuam obedientialem ad actionem, qua infunduntur à Deo.

Quid dicendum sit.

Qua ratione ignis infer. & purgatorij agat.

Item etiam humanitas Christi eleuata est, vt virtute etiam passiua obedientiali in se reciperet supernaturalem, & ineffabilem modum vnionis hypostaticæ. Deniq; virtus receptiua quātitatis corporis Christi eleuatur in sacramento Eucharistiæ ad recipiendum nouum & specialem modum existendi in loco indiuisibiliter, similem prorsus ei, qui substantijs spiritualibus naturaliter conuenit.

Confirmatur secundo, quia non minus repugnat naturaliter idem numero corpus esse simul in duobus locis sibi adæquatis, & distantibus per duas distinctas pręsentias in se formaliter receptas, quam repugnet eandem numero materiam recipere simul duas formas substantiales, vel aliàs accidentales, quacunq; ratione incompossibiles: sed non obstante illa naturali repugnantia potest per miraculū idē numero corpus

corpus recipere diuersas praesentias, quibus in diuersis locis distantibus simul constituatur: ergo similiter poterit eadē numero materia simul informari diuersis quibusq; formis substantialibus, & accidentalibus.

Sed contra, quia materia habens aliquam formam substantialē, iam est integre subsistēs, sed materia integre subsistens est omnino incommunicabilis maxime alteri formae, vel naturae subsistenti: ergo materia vnita vni formae substantiali non potest communicari alteri formę substātiali, suam habenti subsistentiam, quia necessario vniretur materia integre subsistēs subsistentiae formae de nouo aduenientis. Respōdetur ad minorem propositionem, naturam subsistentem esse quidem incommunicabilem alteri, vt supposito, non tamen tanquam materiae, vel formę, & ideo, quanuis materia integre subsistat, postquam aliqua vna forma informatur, nihilominus adhuc potest vniri alteri, & alteri formae subsistenti, vel certe conferenti eidem materiae nouam aliam partialem: nam sicut intelligimus materiam informatam quantitate vniri formae substantiali immediate, sine eo quod quātitas vniatur formae substantiali, pari ratione possumus etiā intelligere, quod materia informata per vnam formam substantialem, integre subsistēs per illius subsistētiā vniatur alteri formae, & alteri subsistentiae, immediate per suam tantum partialem entitatem & partialem subsistentiam, absque eo quod forma prius existens in materia recipiat in se formā de nouo aduenientem, vel subsistentiam eius, si diuina virtute adiuuetur materia ad plures formas substantiales simul recipiendas.

Circa secūdam partem huius quaest. certum est eandē numero formam non posse simul diuersas numero materias discontinuas informare, quod adeò semper apud philosophos quosque indubitatum fuit, vt quanuis Auerr. lib. 3. de anima ad cap. 5. quē ibidem Themistius, & Theophrastres sequti sunt, grauissimo impie errās, eandem numero mentem, vel intellectum in pluribus hominibus possuerit, non tamen adeò mentis inops fuit, vt diceret, mentem illam plura corpora informare, sed solum putauit illam esse multis communē per quandam assistentiam & copulationē cum eorum imaginibus *Quoddā notandum.*

ginibus recte ordinatis. Deinde ratio huius rei est, quia omnis forma est natura sua determinata ad vnum numero compositum constituẽdum, vnde hac de causa in diuinis, vbi vnica natura est in tribus suppositis, vnus tantum est Deus: sed idem compositum non potest naturaliter cõstare ex diuersis materijs discontinuis, sed sicut vnicam formam, sic etiam vnicam requirit materiam: ergo fieri nõ potest naturaliter, vt eadem numero forma plures simul materias discontinuas informet.

Quid et ratio. Confirmatur primo, quia idem corpus non potest simul recipere diuersas præsentias secundũ locum: ergo neque eadem forma poterit simul habere diuersas inexistẽtias, vel informationes in diuersis, ac discõtinuis materijs.

Secundo quia idem effectus non potest naturaliter à duobus à gentibus seorsum sufficientibus dep̃endere, ergo neq; eadem forma poterit ex diuersis materijs naturaliter educi: deniq;, quia, vt vidimus lib. 1. eadem materia non potest plures simul substantiales formas recipere naturaliter: ergo neq; eadem forma poterit plures, ac discontinuas materias informare. Solum est difficultas, an hoc non solum sit naturaliter impossibile, sed etiam repugnet respectu cuiuscunq; diuinæ potentiæ. In qua re Thomisthæ existimantes formã indiuiduari per hãc numero, & determinatã materiã, cõsequẽter asserunt cõtradictionem implicare, eandem formam diuersas informare materias, sed quia hoc fundamentum sufficienter exclusum est lib. 1. ideo.

Quid sentiẽdũ respectu diuinæ virtutis. Dicendum est secundo in hac quæst. rectè fieri posse diuina virtute, vt quæuis forma substantialis & accidentalis; quæ à causa materiali differt, sicut res à re diuersas & discõtinuas materias, seu subiecta simul informet. Hanc conclusionẽ docet Fonse. supra sect. 3. quam etiam breuiter supponit Pater Suarez, tom. 1. in 3. par. disp. 31. sect. 5. & ratio est, quia hoc nullam inuoluit manifestam contradictionem, tũ quia forma non indiuiduatur à determinata aliqua materia, vt probauimus. Tum etiam, quia licet virtus informatiua ipsius formæ determinata sit naturaliter lõquẽdo ad vnam tantum materiam, tamen sicut virtus actiua agentis, & virtus passiua materiæ adiuuari possunt effectiuo concursu Dei, vt aliquid amplius efficiat, vel recipiat, quam secundum suam naturam effi-

 cere,

cere, vel recipere posset, vt explicatum est conclusione præcedenti: sic etiam virtus causæ formalis eodem diuino concursu eleuari poterit, vt plures simul materias, vel subiecta informet, licet hoc naturaliter cótingere nó possit.

Confirmatur primo à simili eisdem exemplis, quibus paulo antea probabam hoc non esse naturaliter possibile, quia idem corpus potest simul per diuersas præsentias poni in diuersis locis, super naturaliter loquendo: ergo eadem etiam forma per diuersas in existentias, & informationes poterit diuersas materias informare, antecedens probabitur libro 4. Deinde idem numero effectus potest diuina virtute à duobus agentibus sufficientibus, & totalibus produci: ergo similiter fieri potest, vt eadem numero forma à diuersis materijs adæquate dependeat. Denique, quia non implicat eandem numero materiam pluribus simul formis naturaliter incompossibilibus informari, ergo neque eandem numero formam plures simul informare materijs.

Confirmari potest secundo ex Fonse. supra, quia cum anima rationalis de facto informet diuersas partes materiæ continuas, tota in singulis existens, quid prohibet eandem animá conseruari à Deo in eisdem partibus materiæ, etiamsi discontinuarentur?

Certe in hoc nulla inuoluitur repugnantia, imò aliquádo fortasse ita factum est. Sicut verum est quod in gloriosa Dionysij Areopagitæ morte, contigisse referunt Simon Methaphras. alijque graues authores in eius vita, post capitis inquá eius detrucationem, truncum corpus deambulasse viuens, ac viuens caput gestasse manibus. Quod si diuina virtute hoc fieri potest, vt scilicet eadem forma in pluribus materijs conseruetur, quæ inepta sunt ad illius conseruationem, cur non in pluribus naturaliter aptis integris videlicet, atque perfectis eadem anima, vel alia forma conseruari poterit ab ipso Deo?

Quid cótigerit in morte Dionysij Areopagi

Locutus sum autem in cóclusione de formis, tantum, reipsa, omnino diuersis à materia, vel subiecto, vt excluderem formas modales, quæ cum in sua entitate includant vnionem cum subiecto, cuius sunt modi, esse non possunt in pluribus subiectis

tan-

tanquam in causa materiali; quia non possunt illis vniri per super additam vnionem, sicut formæ reales, neque possunt in sua entitate includere vnionem cum pluribus subiectis, nam si hanc includerent non super naturaliter, sed naturaliter potius essent in pluribus subiectis, quia prædicatum inclusum in entitate rei, non potest ipsi conuenire super naturaliter, sed naturaliter: ergo huiusmodi formę modales nulla ratione informare possunt diuersa subiecta, vel plura, quàm illa, cum quibus naturalem & essentialem habent coniunctionem. Formæ vero reales, quæ omnino realiter diuersæ sunt à materia, nó vniuntur ipsi per suam entitatem, sed per super additam vnionem, & ideo recte intelligi potest ipsas vniri nouæ, & diuersæ materiæ, non relicta priori per super additam nouam vnionem, & informationem.

Quid céter... Dunys Artops

Dicas, nulla substantia potest simul duplici subsistentia subsistere, etiam per miraculum, neque quantitas duplici terminari figura: ergo nec forma poterit terminari duplici in existentia, vel informatione. Respondetur non esse simile, quia subsistentia & figura sunt termini, & modi rerum omnino absoluti & independentes ab alio extrinseco termino: at in existentia & informatio formæ, sumitur etiam à materia, quæ informatur à forma, & ideo multiplicatis materijs multiplicantur informationes, & inexistentiæ formæ in materia. Sicut, quia relatio pendet natura sua, non solum à fundamento, sed etiam à termino, ideo multiplicatis terminis multiplicantur secundum numerum relationes in eodem numero fundamento.

Circa dicta in hac quæst. multa obijci & inquiri possunt valde difficilia, quorum aliqua, quia similia sunt, his quæ de corpore in duobus locis existente dubitari solent, cum de hac corporis in diuersis locis simultanea præsentia sermo nobis erit dissoluentur: alia vero, quæ propria sunt huius materiæ in duabus quæstionibus sequentibus explicabo.

suppositi, quod expresse docet Diu. Thom. 1. part. quæst. 36. articulo 4. vbi ad 2. docet quod quanuis Pater æternus habeat plures proprietates secundum quas generat Filium & Spiritum sanctum spirat simul cum Filio, nihilominus pater non potest dici plura principia, quia multiplicaretur inquit pluralitas suppositorum: sentit ergo Diu. Thom. concretum non posse dici pluraliter, vbi vnicum tantum est suppositum, quanuis formæ significatæ per illud nomen, plures sint in eodem supposito. Idem etiam D. Thom. fusius hanc doctrinam tradit in 3. part. quæst. 3. artic. 7. ad 2. vbi docet facta suppositione, quod verbum diuinum duas humanas naturas assumeret, vnicum hominem esse dicendum, non plures: quod probat Diu. Thom. hac ratione, quæ in præsenti materia de vsu nominum debet sufficere, quia nominibus vtendum est, prout imposita sunt ad significandum: sed nullum est nomen concretum ab aliqua forma impositum, quod pluraliter dicatur, nisi sint plura supposita, ergo si verbum diuinum duas humanitates assumeret non diceretur plures, sed vnus homo, plures habēs humanitates. Maior per se cōstat, minorē probat. D. Tho. exēplis, quia homo duobus vestimentis vestitus nō dicitur duo vestiti, sed vnus duobus vestimentis vestitus, & qui duas habet qualitates, singulariter etiā dicitur qualis secundum duas qualitates.

Reijcitur lo. ā quo (?)

Hinc infero, & dico primo in opinione quæ asserit formas substantiales materiales non esse principium subsistēdi, facta suppositione, quod duæ formæ informarent eandem materiam, compositum ex materia & duplici materiali forma dicendū esset vnum ens naturale, & vnum compositum. Ratio sumitur ex doctrina D. Tho. traddita, quia nomen concretū non potest pluraliter dici, nisi vbi sunt plura supposita, sed illud cōpositū ex eadē materia, & duplici forma est tātum vnū suppositū, vt docet hæc opinio: ergo est tātū vnū ens naturale & vnū compositū substātiale. — *Quædā illatio notād.*

Deinde etiam infero consequenter in hac opinione sequi compositū ex eadē materia, & duabus formis substantialibus, altera. v. g. equi, altera leonis dicendum esse simpliciter vnam substātiam, vnum corpus, & vnum etiam animal, etsi illæ formæ essent eiusdē speciei, dicentur etiā

vnus equs vel vnus leo, sicut homo quātunuis diuersis vestibus vestitus, dicitur vnus vestitus, & qui plures habet qualitates, dicitur vnus qualis, & qui plures artes dicitur etiam vnus artifex.

Quæ sit differentia inter subsistentiā & cæteras formas.

Dices quāuis persona dicat cōpositū ex natura & subsistētia, & in diuinis sit vnica tātū natura, dicūtur tamē tres per sonę propter tres subsistētias: ergo sola pluralitas formarū sufficit, vt nomē cōcretū formā ipsā significās, pluraliter dicatur. Respōdetur negādo cōsequentiā, est enim magna differentia inter subsistentiā, & ceteras formas, quod subsistētia nō potest separari à proprio supposito, quod secū affert, & ideo ipsa multiplicari nō potest, quin simul supposita multiplicētur, & ideo nomina cōcreta, quę informaliter suo significato includūt subsistentiā, eo ipso quod supponūtur esse plures subsistētiæ, possūt pluraliter dici, quia necesse est plures subsistentias plures personas, vel supposita cōstituere: in alijs vero nominib' substātiuis, quæ alias formas significāt pręter pluritatē formarū, requiritur pluralitas suppositorū, vt pluraliter dicātur, quia possunt plures earū cōuenire in eodē supposito per modū vnius subsistētis, & quia concretū substātiuū, nō solū significat formā, sed ex æquo significat formā & subiectū, seu suppositum, ideo, vt pluraliter dicatur, requiritur pluralitas suppositorū & formarū. In quo magna est differētia inter nomē substantiuū & nā licet vtrūq; requirat pluralitatē suppositorū, vt pluraliter dicatur, adiectiuū tamē nō requirit pluralitatē formarū, sicut substātiuū, cui' ratio est diuersus modus significādi vtrusq; cōcreti, nā adiectiuū, seu cōnotatiuū significat formā, vt distinctā à supposito, pro quo supponit, & qđ cōnotat, & ideo intelligi potest multiplicari ex parte suppositorū, nō multiplicata forma, vt cū dicim' tres homines de albatos, solū significatur quod albedo adiacet tribus hominibus, siue illa sit vna, siue multiplex, at nomē substantiuū intrinsece includit formam in illo, pro quo supponit tanquā suo modo constitutiuā eius, & ideo non potest pluraliter dici de his in quibus est eadē forma, vt cōstat in hoc nomine De', & idē est qđ D. Th. dixit. 3. p. q. 6. ar. 6. ad 2. ex suppositione qđ tres diuinę personę assumerēt vnā tātū humanitatē nō esse dicēdos plures homines, sed vnicū hominē, quia hos-

Quæ sit differentia inter nomen substantiuū & adiectiuum.

homo est nomẽ substantiuũ.

Dicendum secundo, existentibus duabus formis substãtialibus, etiã materialibus in eadẽ materia, illud cõpositũ nõ esse absolute dicedũ vnũ, sed duo supposita. Ratio huius est, quia vnaquęq; forma substãtialis vnita materiæ est principiũ propriæ & partialis subsistentiæ actuãtis & cõplẽtis subsistẽtiã materię, & ideo materia sicut cũ qualibet forma cõstituit quandã naturam substãtialẽ cõpletã, & cũ duabus formis constitueret duas naturas substantiales, specie vel numero diuersas pro diuersitate formarũ, sic etiã cõstituit cũ vnaquaq; speciale, & distinctum, specie, vel numero suppositum.

Assertio notanda.

Qua sit differentia inter nomẽ substantiuũ & adiectiuum.

Et declaratur à simili, quia materia cadaueris distinctũ specie suppositum constituit cum forma cadaueris ab illo quod constituebat antea cũ forma animalis: ergo etiam si simul eadẽ illa materia informaretur à forma animalis, & forma cadaueris, cõstitueret etiam diuersa supposita.

Assertio.

Dicendum tertio, compositũ illud ex duabus formis, & eadem materia, nõ esset absolute dicendum vnum ens naturale, vel vnum compositũ, sed plura, sequitur ex regula supra tradita, quia quoties diuersæ formæ sunt indiuersis suppositis, nomen cõcretum desumptum ab illa forma, dicitur pluraliter: sed in eo casu sunt plura supposita: ergo absolute dicenda sunt plura composita substãtialia, plura entia naturalia, plures substãtiæ, plura corporea, &c.

Confirmatur a simili quia sicut in diuinis, quanuis sit vna tantũ natura, quia tamen hæc vnitur, vel potius identificatur cum tribus subsistentijs, quarum quælibet constituit suum suppositũ absolute dicuntur esse tres subsistentes & tria supposita. Pari ratione quanuis huiusmodi compositũ vnica cõstet materia, quia tamẽ hæc materia vnitur duabus formis substantialibus, quarum quælibet est principium effectuum propriæ subsistentiæ constituentis distinctum suppositum, ideo nomina ab his formis desumpta pluraliter dicuntur de ipso composito, & ideo sicut dicuntur duo supposita, dici etiam debent duæ substantiæ duo corpora, &c.

Vnde infero, quod si duę illę formę simul informarẽt eã de materiã, & altera esset forma equi, & altera leonis non posset vnũ cõpositũ, vel vnũ animal de alio prædicari adhuc identice, vt oposita sententia

tẽtiã admittit, quia sunt duo suppositi, & duæ substantiæ realiter distinctæ: vnde sicut in diuinis in nullo sẽsu est vera hęc propositio. Pater est filius, ita etiã in nullo sensu esset hęc vera equus est leo, in solis enim cretis accidẽtalibus cõnotatiuis, vnũ potest prædicari de altero propter identitatẽ suppositi, quando duæ accidentales formæ sunt in eodẽ subiecto, vnde hæc propositio admitti solet, album est dulce, quia hæc aliquando cõnotant idem suppositum, quod locum non habet in concretis substãtiuis, quæ si diuersa sint, diuersa etiam significãt supposita, vt probatum est.

In casu quo eadẽ forma duas discretas & distinctas materias informet quid dicendum.

Vltimo denique dicendũ in casu, quo eadẽ numero forma duas discretas materias informaret, vnicum esse suppositum, vnicum compositũm, & vnica substantia. Ratio huius est, quia nomina concreta substantia non possunt pluraliter enũtiari, nisi sint plures formæ, vt sententia supra citata docet, & est verissimum: vnde cõsequẽter adhoc principium docet D. Tho. 3. p. q. ar. 6. ad 1. quod si tres diuinæ personæ assumerẽt eãdem humanitatem, nõ essent tres homines, sed vnus tãtum homo: ergo similiter existente eadẽ anima rationali in duabus materiis nõ essent duo homines, sed vnus homo, atque adeo etiã vnuũ physicum cõpositũ.

Declaratur assertum.

Denique declaratur magis, qua ratione esset illud cõpositum vnicum tantum suppositum, quia licet duæ materiæ diuersæ habeant diuersas subsistentias partiales, tamẽ hæc subsistentia materiæ non habet constituere suppositum, nisi in quantum per subsistẽtiam formæ completur, sicut partialis entitas eius non habet constituere aliquã determinatam naturam substantialem, nisi compleatur per entitatem formæ, vnde pro diuersitate, vel identitate formarum constituit diuersum, vel idem specie suppositum: nam duæ materiæ habentes formas eiusdem speciei cõstituunt supposita eiusdem speciei, si vero habeãt formas diuersæ speciei, etiam constituent supposita diuersa: ergo si habeant formam eandem numero cõstituent suppositum vnum numero: ergo compositum ex duplici materia & eadem forma est vnicum tantum suppositum, & consequenter vnum compositum, & vna substantia, quia hæc nominã substantiua non dicuntur pluraliter, nisi multiplicatis suppositis, vt probatum est.

QVAE-

QVAESTIO IX.

Vtrum de potentia absoluta quælibet forma possit quamlibet materiam, vel subiectum informare.

Diximus eandẽ formam eleuari posse à Deo ad informandas duas materias, & eãdem materiam ad recipiendas diuersas formas incompossibiles naturaliter, ex quo sequi videtur, posse verbi gratia accidẽs aliquod spirituale informare subiectum corporeum, & accidens corporeum subiectum spirituale, & similiter formam cœli materiam horum inferiorũ nam si semel admittimus formam eleuatam à Deo, posse plures materias informare, quàm possit natura sua, cur etiam non dicemus posse informare aliã, diuersamq; materiã vel subiectũ ab eoquod naturaliter potest informare, & cõsequẽter quamlibet formam, quamlibet materiam, vel subiectum.

Difficultatem hanc auget maxime doctrina Diu. Thom. ponentis in sacramentis nouæ legis virtutem quandam spiritualem causatiuam gratiæ, quæ per ipsa sacramenta suscipientibus confertur: quam doctrinam habet expresse multis in locis præcipue de potentia quæst. 6. art. 4. & quæst. 27. de verbo art. 4. ad. 4. d. 1. quæst. 1. art. 4. vbi Capreolus præcipue. 3. p. quæst. 62. art 4. in corpore, & ad. 1. & de põa. diuum Tho. exponit prout verba citata sonant; nimirum in substantia materiali sacramentorum verbi gratia recipi qualitatem quandam spiritualem, per quam gratia instrumentaliter producitur in anima suscipiẽtis sacramentum. Vnde sequitur accidens spirituale recipi in subiecto corporeo, quod etiam docet Ferr. cõtra gent. c. 56. & sequuti sunt deinde nonnulli ex recentioribus.

Dicendum est nihilominus, nullam formam substantialẽ vel accidentalem posse etiam de potentia absoluta informare materiam, vel subiectum ad quod nullam dicit essentialem habitudinem, vel cum quo nullam habet proportionem naturalem. *Assertio notanda in hac quæst.* Hanc conclusionem supponunt autores statim citandi, & probatur primo: quia si forma posset eleuari à Deo, ad hoc, vt informaret subiectum, ad quod nullo modo dicit habitudinem, sequeretur, posse formã aliquam materialem vniri alicui.

cui Angelo, imo alteri etiam formæ per veram informationē, & alia huiusmodi, quæ incredibilia, & intelligibilia sunt.

Secundo inter hæc, illud videtur præcipium absurdū, quia sequeretur substantiam corpoream ligni, vel lapidis eleuari posse ad sentiendum, intelligendum, & amandum sine intellectu & voluntate, quia ad hos actus exercendos tantúm requiritur concursus in genere causæ efficiētis ad efficiēdum, & causæ materialis ad recipiendā ipsam actionem, & terminum eius, sed ex parte concursus efficiētis eleuari potest substantia materialis ligni ad efficiendos hos spirituales actus, sicut substātia, quæ eleuatur ad efficiendam gratiam, & ex alia parte, si actio, & terminus intellectionis informare possunt eādem ligni substantiam, sequitur quod lignum eleuari etiā possit ad recipiendum ipsam intellectionē, & verbū, quia informatio formæ, & receptio subiecti sunt omnino idē à parte rei, neque vnū concepi posse sine alio: ergo aperte sequeretur, quod lignum posset intelligere, amare, &c.

Ratio à prio. Tertio ratio à priori esse potest: quia causalitas, seu informatio formæ consistit in intrinseca quadam compositione, & vnione sui cum subiecto: sed ad omnem compositionem, quæ fit cum vnione extremorū requiritur aliqua proportio inter extrema, quia quodlibet nō potest vniri cum quolibet, vt perse manifestum est, & illata inconuenientia indicant: ergo forma non potest informare, quodcunque subiectum, sed illud tantum, cum quo aliquam habet proportionem.

Confirmatur primo hæc ratio, quia si aliqua forma dici posset vniri subiecto sibi desproportionato, & ad quod nullam diceret habitudinem, maxime essent accidentia supernaturalia, vt gratia, dona infussa, lumen gloriæ, &c. Et anima etiam rationalis: sed hæ formæ omnes vniuntur subiectis sibi proportionatis: nam accidentia supernaturalia, quantumuis sint ordinis supernaturalis, nihilominus cō ueniunt in communi ratione accidentis cum accidentibus naturalibus, imò conueniunt etiam vniuoce cum illis in speciali aliquo genere & prædicamento accidentis, verbi gratia qualitatis, atque adeo ordinem dicunt ad subiectum aliquod naturale, quia in suo genere, & ordine supernaturali non est possibilis

bilis substantia, cui vniantur, vt communis, & valde probabilis Theologorum tenet opinio; vnde subiectum proportionatum accidentis supernaturalis, est necessario omnis spiritualis creata substantia. Similiter etiam anima rationalis, licèt sit spiritualis, vniuoce tñ cõuenit cũ formis materialib⁹ in ratione formæ in communi, & ideo ordinem essentialem dicit ad materiã cui vnitur, sicut aliæ formæ.

Secunda & pręcipua cõfirmatio eiusdem rationis est, quia non est minus intrinsecus formæ ordo ad suum actum formalem, & ad subiectum, quod debet informare, quam sit potẽtiæ vitali intrinsecus ordo ad sum actum, & obiectum: sed potentia vitalis non potest vitaliter ferri extra proportionatum obiectum, etiam de potentia absoluta, fieri enim non potest, vt visus sonum percipiat, neq; auditus colorem: ergo neque causa formalis poterit informare aliud subiectum præter illud ad quod naturalem dicit habitudinem, & cum quo habet proportionem.

Vnde ex dictis patet ad rationem dubitãdi, quod licèt forma posit plura subiecta informare de potentia absoluta, cum tamen vnum naturaliter tantum informet, non sequitur posse etiam quodlibet subiectũ informare, quia ordo ad genus aliquod subiecti in communi est essentialis formæ, & ideo repugnat, quod sit forma eius subiecti ad quod nullam dicit habitudinem, determinatio autẽ, & limitatio eius, ratione cuius dicitur naturaliter informare posse vnum subiectum, consequitur quidem naturaliter ad essentiam eius, quæ limitata est, & ideo virtus etiam informatiua est determinata, non tamen respicit naturaliter determinatum aliquod, & particulare subiectum, & ideo diuina virtute eleuari potest ad hoc, vt intra genus subiecti q̃ essentialiter respicit plura simul informare posit: sicut quamuis virtus intellectus creati non posit naturaliter Deũ clare intueri, quia tamẽ Deus continetur sub ratione entis vniuersalisima, quæ est adæquatum obiectũ nostri intellectus eleuari potest à Deo, vt clare ipsum intueatur.

Ad D. Thom. vero dici potest, quod loquitur de virtute spirituali, non formaliter, sed causaliter: nam entitas ipsa materialis materiæ, vel formæ sacramenti, quatenus ad efficiẽdã gratiã, & alios spirituales effectus eleuatur dicitur

dicitur à D. Tho. virtus spiritualis, quæ expositio tradditur a Pat. Suarez eo loco, & sumi pót ex ipsomet D. Tho. in illa solut ad primum in loco. 3. part. quia in tantum dicit esse hanc virtutem spiritualem in sacramentis, quatenus ordinantur à Deo ad effectum spiritualem: ergo illa virtus secundum D. Tho. nihil est aliud, quàm entitas sacramenti eleuati, & ordinati à Deo ad causandum effectum spiritualem.

Ex hac conclusione & generali principio colligi pót primo, accidens spirituale recipi nó posse in subiecto corporeo, nec accidés corporeú in subiecto spirituali ꝙ docent expresse Scot. in. 4. d. 1. q. 5. & dist. 12. q. 2. 6. hic sunt duæ opiniones Durand. eadé d. 1. q. 4. nu. 13. Gab. ibidem q. 1. artic. 2. conclusione. 4. & Sot. q. 3. artic. 3. & in Logica cap. de proprio q. 1. ad. 4. Magist. Bañez, Pater Suarez tomo. 1. in. 3. p. disp. 31. sectione 5. circa primam opinionem, & tomo. 3. eiusdem part. ad art. 4. q. 62. Ratio est, quia accidens solum recipi pót in eo subiecto, ꝙ potest informare: sed accidens spirituale nó potest informare subiectum corporeum: neq; corporeum accidens, spirituale subiectũ: ergo: probatur minor, quia accidens spirituale non dicit habitudinem, neque naturalé proportionem cũ materiali subiecto, neq;ècontra, accidens materiale cùm subiecto spirituali: ergo nó potest informare illud: patet consequentia ex præcedenti cóclusione, & antecedens declaratur, quia accidens natura sua, depédet à subiecto in quod ordinatur, sed accidens spirituale nó potest pendere à subiecto corporeo: nam nó alia ratione dicitur aliquod accidens corporeú, & materiale, nisi quia pédet a corpore, neque spirituale, nisi quia pendet a subiecto spirituali, ergo. *Assertio. 2.*

Et confirmatur, quia si accidens spirituale esset in subiecto corporeo, vel esset, extensum & diuisibile, pars in parte, & totum in toto, & hoc repugnat formę, vel accidenti spirituali, quod nullam habere potest extensionem, vel esset inextensum, & indiuisibile, totum in toto, & totum in qualibet parte subiecti, & hec repugnat formæ depédéti a subiecto in fieri & esse, qualis est omnis forma accidétalis: ergo nullo modo potest intelligi accidens spirituale recipi in subiecto corporeo.

Secundo similiter etiam infertur formam substantialem corpo-

corporis sublunaris non posse vniri materiæ cęlesti, quia non est natura suâ ordinata in illam, neque ècontra, formã cœlestem informare materiã sublunarem, ac denique simili ratione actum vitalem verbi gratia visionem non posse informare lapidem.

Sed contra dicta obijci potest primo, quia quælibet substantia corporea, potest diuina virtute eleuari ad hoc, vt tanquam instrumentum effectiue, producat quamlibet formam spiritualem: ergo similiter poterit eadem materialis substantialis eleuari, vt tanquam causa materialis recipiat in se formam quamlibet spiritualem. Respondetur negando consequentiam, quia causalitas effectiua est per extrinsecam actionem agentis in effectum, quam non necessario subsequitur aliqua vnio effectus cum causâ, & ideo in diuinis instrumentis, quę per obedientialem actiuam virtutem operantur, nulla requiritur proportio cum effectu ipso: at receptio causæ materialis consistit in actuali, & intrinseca vnione ipsius materiæ cum forma, & ideo necessarium est, vt aliqua sit proportio inter formam & materiam, nimirum vel mutua habendo, & naturalis inclinatio materiæ in formam, & formæ in materiam, vt contingit in omni compositione ex materia & forma naturali, vel certe non mutua, saltem ex parte formæ, quæ semper ordinatur natura sua in subiectũ, quod potest informare, licèt subiectum non ordinetur in illam, neque eam postulet ex natura sua, vt contingit informis accidentalibus supernaturalibus, quæ essentialiter respiciũt subiectum aliquod naturale spirituale, licèt subiectum ipsum non postulet tales formas per potentiam receptiuam naturalem.

QVAESTIO. X.

An forma materialis independenter à causa materiali existens, possit informare materiam, à qua non substentetur.

RAtio dubij est, quia anima rationalis, licet essentialiter sit à subiecto independens, vnitur materiæ, sine hoc quod substentetur ab ipsa: ergo signum est modum informationis nõ habere repugnantiam cum forma existenti independenter à sub-

à subiecto: ergo si Deus efficiat per creationē formā aliquā materialē poterit illā vt existētē exui creationis, & vt independentem à causa materiali vnire alicui materiæ, vel subiecto.

Accidens spirituale recipi potest in subiecto corporeo.

Ex quo vlterius sequi videtur contra dicta, quæstione præcedenti, accidens spirituale recipi posse in subiecto corporeo, quia poterit à Deo creari independenter ab omni subiecto, & postea vnire illud indifferenter, cui maluerit subiecto, quia etiāsi vniat illud materiali subiecto, non sequitur quod spirituale accidens in sua existentia dependeat à materiali subiecto.

Pro cuius difficultatis explicatione notandum est, quod licèt forma omnis, natura sua postulās fieri ex subiecto, & causa materiali per actionem eductiuam, fieri potest à Deo per actionem creatiuam independentem à causa materiali non tamen potest esse terminus creationis exui suæ existentiæ præcise, nisi cum aliquo simul modo existendi perse, idest, independenter à subiecto. Ratio huius est, quia sicut creatio est actio essentialiter à causa materiali independens, sic quoque causat terminum à materia independentem: vnde si res, quæ creatur non fit per suam essentiam à materia independens, sicut est anima rationalis, substantia Angeli, & materia prima, necessario terminat creationem per aliquem accidentalem modum suæ existentiæ super additum. Vnde in quantitate Eucharistiæ, quæ per actionem à materia independentē conseruatur à Deo D. Thom. & cum eo plures Theologi ponunt modum aliquem existendi per se, cum independentia à subiecto; & eadem ratione præcedenti lib. dicebam formam materialem à materia separatam habituram esse similem modum existendi perse independenter à materia distinctū à modo subsistentiæ, quia primiū non potest aliqua forma intelligi, vt terminus creationis, nisi intelligatur, vt sic, à materia indepēdens, vel per suam essentiam, vel per positiuum aliquem super additū modū.

Confirmatur, quia intelligi non potest, quod actio eductiua formæ de potentia subiecti, quæ essentialiter dependet a subiecto, sicut ab agente, terminetur in aliquā formam, vt præcise existentem, sed vt vnitam eidem subiecto, & existentem in illo: ergo similiter nō potest intelligi, quod actio creatiua, quæ essen-

essentialiter est independens a subiecto terminetur in formã, vt existentẽ præcise, sed vt existentẽ independenter a subiecto, & separatã ab ipso.

Secundo notandum est hos duos modos essendi perse, & essendi in alio, quamuis sint ambo positiui, ita esse inter se oppositos, vt immediatam repugnãtiam inter se mutuò includant, ita vt eidem rei habenti modum vnius simul conuenire nulla potentia possint. Probatur hoc primo a simili in alijs modis, verbi gratia in figuris curua, & recta, quæ quamuis sint formæ positiuæ, nihilominus immediatam repugnantiam includunt, quia vnus proxime dicit negationem alterius. Vnde nulla potentia fieri potest, vt eadem virga verbi gratia, simul in eodem tempore, & loco recta sit, & curua.

Deinde etiam declaratur, quia ex hoc præcise, quod facta est in humanitate Christi vnio hypostatica ad diuinam personam definiunt Concilia Sanctorum atque Theologorum in Christo esse vnicã tantum personam, illamq; diuinam, in quo aperte supponũt modũ vnionis, quo Christi humanitas dicitur esse in verbo omnino repugnare etiã de potentia absoluta cum personã creata, & cum modo existẽndi perse & subsistendi humanitatis: nam si inter hos duos modos non esset absoluta, & omnimoda repugnãtia, sed fieri potuisset à Deo, vt humanitas simul existeret in Christo cum modo in existẽtiæ ad verbum, & cum modo connaturalis subsistẽtiæ, quæ ratio esse posset ad negandũ ita factum esse, cum illud non repugnet & alicui perfectioni Christi, & aliunde illud misterium totum sit supernaturale in quo tota ratio facti est potentia facientis, sicut ergo inter hos duos modos essendi in alio supposito, & perse independenter à supposito est immediata oppositio & repugnantia, ita etiam in alijs duobus modis essendi in alio vt subiecto, & perse independenter à subiecto erit eadem repugnantia. Cõfirmatur hæc ratio quia sicut modus essendi perse indepẽdẽter à subiecto cõstituit formaliter naturã quã terminat incõmunicabilẽ alteri, vt supposito, ita modus essẽdi perse indepẽdẽter à subiecto constituit formã in communicabilẽ alteri, vt subiecto ergo sicut supposita propria subsistentia nõ potest per diuinam potentiam natura subsistens communicari alieno supposito, ita etiã forma

forma materialis existens per se non potest diuina virtute communicari alicui subiecto.

His positis dicendum est primo, nullam formam earum quæ natura sua petunt fieri per eductionem de potentia subiecti, posse vniri subiecto, prout independenter ab illo habet esse per creationem, siue prout est terminus creationis. Ratio huius est manifesta ex principijs positis, quia omnis huiusmodi forma prout est terminus creationis habet positiuum modum essendi perse, idest, independenter à subiecto: sed hic modus perse est omnino repugnans cum modo informationis, & vnionis, quo forma dicitur esse in subiecto, ita vt nec de potentia Dei absoluta, eidem rei habenti modum vnius, simul possit conuenire: ergo nulla earum formarum in quantum terminus creationis potest informare subiectum, vel vniri illi, discursus est optimus, & vtraq; propositio iam probata est in induplici pręmisso notabili.

Ad rationem autem dubitandi respondetur diuersam esse rationem de anima rationali, ac de quacũque alia forma producta per creationem: nam anima rationalis ratione suæ actualis essentiæ præcisse potest esse terminus creationis, quia per suam essentiã est independens à causa materiali: vnde modus vnionis nõ potest habere repugnantiam cum independentia animę rationalis, imo habet maximã conuenientiam, quia anima rationalis, sicut per suam essẽtiam est independens à materia, sic etiam per suam essentiam est informatiua materiæ, & ideo naturaliter conuenit illi modus actualis informationis, reliquæ vero omnes formę tam accidentales quàm substantiales, omnes sunt natura sua producibiles per actionem eductiuam dependenter à causa materiali, cui per eandem actionẽ vniũtur, vnde non habent indepẽdentiam à causa materiali per suam actualem essentiam præcise, sed per super additum modum positiuum, cumquo modus informationis habet repugnantiam, vt dixi.

Et declaratur ista differẽtia hac ratione. Quia omnis forma tam materialis, quàm anima rationalis est informatiua materiæ, vel subiecti per suam met essentiam, vt dixi lib. 1. atque adeò secundum omnia prædicata essentialia est informatiua: sed vnum est prædi-

prædicatis essentialibus animæ rationalis est independentia eius à materia: ergo anima rationalis, etiam vt independens à materia potest illam informare, in reliquis autem formis independentia nō est prædicatum earum essentiale, sed modus quidam realis essentiæ superadditus præter naturam earum, & ideo non sequitur, quod reliquæ formæ, vt independētes à subiecto possint subiectum informare.

Confirmatur hæc differentia alio simili in subsistentia, quia absoluta independentia ab aliquo, vt supposito, quæ conuenit essentiæ Diuinæ, essentialiter non facit ipsam incommunicabilem alteri vt supposito, & ideo quāuis essentia diuina essentialiter sit subsistens propriæ subsistentia, idest, independens à supposito, communicatur tribus diuinis suppositis, sub sistentia tamen, siue independentia relatiua, quæ conuenit diuinæ essentiæ extra essentiam, eam facit, vt sic, omnino incommunicabilem alteri vt supposito, pari ergo ratione dicendum est de hac independētia à subiecto, quod quando conuenit formæ essentialiter, non facit eam incommunicabilē subiecto, & ideo anima rationalis, vt independens à subiecto illud informat, at quando conuenit extra essentiam, eam facit incommunicabilē alteri vt subiecto, & ideo formæ materiales, vt independentes à materia nō possunt illā informare.

Ad vltimum quod infertur negatur sequela, tum, quia vt dixi, licet accidens spirituale creari posit à Deo sine subiecto, non tamen potest illud, vt sic, idest, vt terminū creationis vniri etiā naturali subiecto, tum etiam, quia licet accidens creatum, vt sic, vniri posit subiecto proprio, & connaturali, non tamen possit indifferenter vniri cuicūque etiā materiali subiecto, sicut neque anima rationalis potest vniri materiæ cælestis cuius ratio est supra tradita, quia nulla forma potest vniri subiecto ad quod nullam dicit naturalem habitudinē, & proportionem.

Nihilominus dicendū est secundo, quancunque formā earum quibus independentia à causa materiali conuenit extra essentiam posse vniri subiecto per actionem eductiuam, quanuis aliàs per creationem eadem forma existat independenter, & separata à subiecto. Ratio huius cōclusionis est, quia contractio, *Conclusio.*

A a &re-

& repugnantia, quæ reperitur in his duobus modis essendi per se sine dependētia à causa materiali, & essendi in ipsa causa materiali, solum habet locum seruatis omnib⁹ circunstantijs ad cōtradictionē requisitis, & consequēter, nisi hi modi considerentur respectu eiusdē formæ, vt habet rationem vnius tantū actionis productiuæ, vel conseruatiuæ, nullam habent repugnantiam, neq; contradictionem: quod à simili in exemplis supra positis declaratur, quia eadem linea potest in vno loco esse curua, in alio autem recta, & eadem natura in vno loco potest esse vnita diuinæ personæ, in alio vero per se subsistens, & independens à supposito: ergo similiter eadem forma poterit in vno loco existere ex vi creationis independens, & separata à materia, & in alio loco producta per actionē eductiuam cum dependentia à materia, poterit eādem materiam informare, & huius rei ratio est, quia licet subiectū formarum incompossibilium in his casibus sit vnum & idē realiter, tamen prout cōstitutum in duobus locis habet rationem, quasi duplicis subiecti: nam ad hoc vt vna forma, vel modus expellat aliam incompossibilem, non solum requiritur idētitas in subiecti, sed etiam vnitas temporis & loci, idest versari debet circa idem subiectum in eodem tēpore & loco, quia hic effectus expellendi aliam formam cum priuatiuus sit & secundarius, vt vidimus supponit primum, & positiuum effectum informandi, qui, fieri non potest, nisi forma sit intime presens in loco, atq; adeò etiam in tempore, vbi, & quādo est materia: ergo repugnantia formalis inter duas formas solum est respectu eiusdē subiecti loci & temporis, vbi altera forma præsens adest: ergo si subiectum, vel entitas supponatur esse diuersis locis, non repugnabit, quod in eodem, diuersis, & repugnantibus formis, vel modis afficiatur, vel informetur. Pari ergo ratione, quia repugnantia inter modum vnionis formæ à materia dependentis, & modum per se existendi eiusdem prouenit ex ratione productionis, quia videlicet creatio terminari debet in formam, vt per se existentē; & eductio in formam, prout vnitam, ideo si supponamus eādem formam produci per duplicem hanc actionem, vt est possibile, vterque ille modus poterit eidem formæ simul

mul conuenire, quia vt sic, illa eadem forma habet quasi rationem duplicis formæ, sicut res in duobus locis posita habet rationem duplicis subiecti, quod attinet ad hoc quod est posse naturaliter recipere ab agenti naturali formas oppositas.

Difficultas. Vltimo denique ad cóplementum doctrinæ huius disputationis quæri potest, an idem effectus numero prouenire possit à diuersis causis materialibus, vel formalibus: Quæ quæstio in materia de causa efficienti celebris esse solet, sed in hac materia ex dictis facile expediri potest. Primo enim certum est causalitatem materiæ, & formæ nõ posse eadem numero, a diuersis numero materijs, vel formis prouenire, quia tam passio materiæ, quã modus vnionis essentialiter pendent ab ipsis causis, materiali & formali: vnde sicut neque eadẽ actio numero potest de potẽtia absoluta prouenire à diuersis agentibus, ita neq; eadem passio à diuersis materijs, vel eadem vnio à diuersa materia, vel forma.

Secundo similiter est certum præcipuum effectum harum causarum videlicet cõpositum, non posse eundẽ numero à diuersis causis prouenire, quia hic effectus includit essentialiter vtranq; causam, materiam, & formam.

Tertio de alijs effectibus harum causarum, qui non includunt, neq; dependent essentialiter ab ipsis dicendum est, eundem prouenire posse à diuersis causis: vnde diximus supra eandem numero formam informare posse diuersas materias, & ab illis sufficienter dependere. Similiter forma, quæ expellitur ab vna forma, eadem etiam expelli posset ab altera incompossibili, & sic de cæteris.

Vltimo tãdem addi potest, quanuis naturaliter non possit eadem forma educi primario ex potentia diuersæ materiæ ab ea, ex qua educta est, nihilominus semel educta de potentia vnius materiæ, si ab illa, Dei potentia separaretur conseruari posset naturaliter in altera diuersa materia, si alteri vniretur, vt verisimile est de facto contingere quantitati Eucharistiæ, quando sub illa desinit esse Christus, si fortasse non reproducitur eadem numero materia panis.

(?.)

DISPVTATIO QVARTA DE CAVSA EFFICIENTI ET DE EIVS CAVSALITATE.

Vt clarius in hac re procedamus, in hac disputatione, prius agemus de causa efficienti; deinde vero de eius causalitate: tota autem hęc disputatio vtilissima est in Physicis, & ita maxime notanda.

QVAESTIO. I.

Quid, & quotuplex sit causa efficiens.

Definitio causæ efficientis.

Aristot. hoc lib. textu 29. hoc modo definit causam efficientem: *Causa efficiens est id, vnde est primum principium motus aut quietis*. Vbi ponitur in primis illa particula, *primum principium* ad significandū causam efficientē in suo genere esse primū principiū operandi, quia cum principiū sit superius ad causam, & de ratione principij sit, quod sit primū vt supra diximus, quęlibet causa in suo genere est primū principiū: per illā vero particulā, *vnde*, excluduntur ab hac definitione omnes aliæ causæ: nam finis non est vnde motus, sed cuius gratia est motus, & causa materialis est ex quo motus: at vero efficiēs est propissime vnde motus, merito etiam additur illa particula, *aut quietis*, ad significādū, quod sicut causa efficiens est causa motus, quādo per actionē influit in effectū, ita etiā est causa quietis per cessationē ab operādo. Qua ratione animal est causa efficiens sui motus progressiui, dū effectiue se mouet, est etiā causa quietis per cessationē à motu, nō quia tūc aliquid efficiat, sed quia desinit efficere, qua etiā ratione, dici solet naturam esse causam submersionis nauis, quando definit gubernare illam per cessationem gubernationis.

Sed contra diffinitionē hoc modo explicatam obijci potest. Quia substātia operatur medio aliquo accidēti, vt ignis calefacit medio calore, & tūc calor, qui est causa efficiēs nō est primū principiū operādi

sed

sed potius substantia, quæ est prior accidenti: ergo hæc diffinitio non conuenit omni causę efficienti. Respódetur quod quáuis calor præsupponat substantiã, tñ quia substãtia, & calor sunt causę efficiẽtes subordinatæ ad operãdũ nam calor operatur, vt potentia ipsius ignis, ideo ex vtroque fit vnicũ principiũ, quasi adæquatum, & totale calefactionis, & hoc est primum vnde incipit motus calefactionis.

Et si instes: nam inter causas efficientes, aliç sunt causæ secundæ, quales sunt istæ causę inferiores: alia vero est causa prima, qualis est, Deus qui est primus motor, & primũ efficiens: ergo diffinitio allata non cõuenit omni causæ efficienti. Respondetur, quod *primũ*, potest sumi duobus modis, vno modo prout significat simpliciter primũ, & hoc modo solus Deus est prima causa efficiens, quia ante illum nulla alia est prima: alio modo potest sumi primũ non simpliciter, sed cõparatione facta ad effectũ, & hoc modo omnis causa est primũ principium, quia est prior effectu.

Causa efficiens multiplex. His ergo suppositis causa efficiens multiplex est: nam aliud est efficiens, *quod* aliud efficiens *quo*, efficiens *quod*, est quod operatur proprie, & absolute loquendo, & hac ratione verum est illud cómune principium, quod actiones sunt suppositorum, id est subsistentiũ. Cuius ratio est: quia operari sequitur esse, ita quod talem modum operandi habeat res aliqua, quale habet esse, & ita ignis operatur conformiter ad suũ esse, nempe producendo calorem, & sic de reliquis. Ex quo fit, q̃ sicut suppositum, est id quod est, quia per subsistentiam, quam dicit, subsistit per se, vt supra explicatum est; ita etiam suppositũ est id quod operatur: merito autem dixi actiones, vt quod esse suppositorum, id est, subsistẽtium: quia anima rationalis, vt dixi 1. lib. Physicorum disp. 5. etiam in corpore subsistit, vt quod, & ita etiam operatur, vt quod, suas actiones spirituales, nempe intellectioné, & volitionem, non tamé est suppositum, quia non est natura completa, sed partialis, vt eodem loco dixi. Legantur ibi dicta. Efficiens vero quo appellatur illud, quod est principium per quod efficiens quod operatur, qua ratione calor proprie loquendo non est quod calefacit, sicut suppositum ignis, sed est

efficiens quo, quia est principium, medio quo ignis calefacit, quod alij appellant rationem formalem operandi.

Secundo diuiditur causa efficiens, nam alia est vniuersalis, alia particularis: illa appellatur causa vniuersalis, quæ causat plures effectus, vt Sol, & ita appellatur vniuersalis in causando, quia plura causat: causa vero particularis est illa, quæ non causat plures effectus, sed tantum aliquam particularem: qua ratione grauitas est causa motus deorsum, & non alterius.

Tertio solet diuidi causa efficiens in primam, & secūdam. Prima causa efficiens est solus Deus, qui est primū mouens omnia: omnes vero aliæ causæ appellantur causæ secundæ, quia operantur dependenter à prima; vtrum vero appelletur causa prima, quia eius actio sit prior natura, quàm actio causæ secundæ, & qua ratione, dicam infra hac eadem disputatione.

Quarto, solet diuidi causa efficiens in principalem, & instrumentalem. Illa appellatur causa principalis, quæ habet virtutem sufficientem, & proportionatam ad producendum effectum, id est non minus perfectam, quàm effectus ipse. Qua ratione ignis, vel calor, est causa principalis alterius caloris. Causa vero instrumentalis est illa, quæ habet virtutem insufficientem, & improportionatam ad effectum producendum, & ita indiget eleuari à causa principali, de quo latius quæstione sequēti.

Quinto, solet diuidi causa efficiens in vniuocam, & æquiuocam. Illa appellatur causa vniuoca, quæ producit effectum eiusdem spei cū illa, vt quando homo generat hominem. Causa vero æquiuoca est illa, quæ producit effectum diuersæ speciei ab illa: qua ratione sol producit aurum, & plantas vt causa æquiuoca.

Sexto diuiditur causa efficiens in artificialem, scilicet quæ agit per artem, & naturalem scilicet, quæ agit per suam naturam, &c.

QVAESTIO. II.

Quid sit causa efficiens instrumentalis, & quid requiratur ad illam.

SVppono in hac quęstione instrumentum reuera pertinere ad genus causæ efficientis, vt optimo docet communis sententia, quam tenet Capreolus in quarta distinctione prima, articulo tertio, Caietanus tertia parte quæstione. 62. articulo primo Simplicius Themistius, & Sanctus Thomas, hoc libro super textum 29. & probatur ratione: quia causa efficiens est, quæ operatur, & agit: sed instrumentum aliquid operatur saltem in virtute principalis agentis: ergo est causa efficiens.

Etsi obijcias, nam efficiẽs ex Aristotele est primũ principium vnde motus: sed instrumentum non est primum principium vnde motus: quia motus primario habet ortum à causa principali: ergo. Respondetur illã particulã, primum vt dixi debere sumi in comparatione ad effectum, & ita instrumentum est prius effectu.

His suppositis in hac quæstione plures inuoluũtur difficultates, primo enim dubitari potest vtrum de ratione instrumenti sit, quod sit imperfectius in entitate effectu producto. In quo breuiter dicendum est instrumenta artificialia esse posse perfectiora effectu producto, tamen de ratione instrumenti naturalis est, quod sit imperfectius effectu ipso. Appellat autem instrumentum naturale, quod ex natura rei, & non media aliqua arte, aut impositione ordinatur ad effectum producendum: qua ratione calor ignis est instrumentum ignis ad producendum alium ignem ex natura rei. Probatur prima pars conclusionis: quia serra est instrumentum artifitiale ad scindendum, & aqua ex diuina institutione est instrumentum in baptismo ad producendam gratiã; sunt tamen in sua entitate perfectiora effectu producto: quia aqua est substantia; gratia vero est qualitas, atque adeò quoddam accidens. Similiter serra est substantia quædam, scisio vero est accidens de prædicamento actionis. *Plura dub.*

Etsi inquiras quare ergo appellantur instrumenta, si sunt perfectiora instrumento ipso. Respondetur causam esse, quia cum natura sua non ordinentur ad talem effectum producendum, indigent eleuari ab alio agente principali, in cuius virtute dicantur operari, & ita serra *Quomodo se habeat instrumentũ respectu effectus.*

indiget, quod ab alio moueatur tali, vel tali modo, vt scindat, & aqua in baptismo indiget speciali concursu Dei nō debito suæ naturæ, vt causet gratiam.

Secunda vero pars, nēpe, quod instrumenta naturalia debeant esse imperfectiora effectu producto probatur aperte. Quia cum hæc instrumēta ex natura sua ordinentur ad talem effectum producēdū, si habent entitatem ita perfectam, sicut effectus: ergo habent virtutem sufficientem, & proportionatam illi: ergo nihil illis deficeret ad rationem causæ principalis.

Secundo, quia non alia ratione omnes docent calorē esse causam principalem ad producendum alterum calorem, nisi quia calor producēs habet entitatem non minus perfectā, quam effectus productus, & ex natura rei illi proportionatā: ergo de ratione instrumenti naturalis debet esse, quod sit minus perfectum effectu producto.

Et hinc est, quod instrumēta dicantur operari in virtute causæ principalis, & non propria virtute, nō quidem, quia non habeant aliquam virtutē saltem instrumētalē, & sufficientē ad talem effectū producendū; quia vnum quodq; operatur in quātū est in actu & ita quid quid operatur, debet habere in se aliquam actiuitatem, & virtutē saltem perfectam per quā agat. Sed dicitur operari in virtute causæ principalis: quia cū habeat virtutem in sufficientē, & in proportionatā, indiget cōcursu causæ principalis, cui principaliter tribuitur effectus.

Secundo dubitari potest, quid sit instrumentū eleuari, seu moueri à causa principali, an scilicet sit accipere de nouo à causa principali aliquam virtutem superadditā, qua eleuatum possit effectū producere. Prima sententia affirmat instrumentū, vt operetur accipere de nouo à causa principali aliquā virtutem superadditā, quādo operatur & ita per illā eleuari, seu moueri ad producendū effectū. Tenet Capreol. in 4. d. 1. q. 2. art. 13. Albert. 12. Met. q. 14. Dur. in 4. d. 1. q. 4. Caiet. 3. p. q. 3. art. 2 & q. 62. art. 1. & plures alij. Et probari potest hęc sententia primo, quia vt habet cōmune Axioma Philosophorū, omne instrumentum operatur, vt motum à causa principali: ergo debet recipi in instrumēto aliqua motio proueniēs à causa principali, nihil enim denominatur motum, nisi per motionem in se 1. Sententia 1. Ratio

in se receptam: sed illa motio recepta in instrumento: est aliqua actio, & ita aliquid producit in instrumento: ergo instrumentum operari, vt motum, seu eleuatũ à causa principali est recipere aliquam virtutem superadditã per quam operetur. Et confirmatur ab exemplo: nam baculus dicitur mouere aquã, vt motus ab homine, quia prius recipit ab homine impulsum, & motum quendam, ratione cuius mouet aquam, vt motus ab alio: ergo similiter instrumẽtum operari, vt motum, seu eleuatum à causa principali, debet, accipere ab illa aliquam nouam virtutem per quam operetur.

1. Secundo, quia ex eo quod instrumentum eleuetur à causa principali, fit potẽs ad producendum effectum, quem aliàs non posset producere; nam ex eo, quod calor eleuatu ab igne fit potẽs, vt instrumentaliter producat aliam substantiam ignis, quam nõ produceret, nisi eleuaretur ab igne concurrente: sed id quod est potentius, est per aliquam maiorem actiuiuitatẽ nouam superadditam: ergo instrumentum quando eleuatur à causa principali aliquam nouam virtutem habet.

Assert. 1. His tamen non obstantibus dico primo aliquãdo instrumentum eleuatur per virtutem superadditam, quod præcipuè contingit in instrumentis artificialibus, quæ natura sua non ordinãtur ad talem effectum producendum. In hac conclusione omnes conueniunt: nam certum est in super naturalibus intellectum eleuari ad visionem beatificam Dei mediante lumine gloriæ, quæ est quædam qualitas supernaturalis superaddita in intellectu Beati, media qua videt Deum. Similiter in artificialibus serra eleuatur ad scindum medio impulsu, prius ab illo recepto, ratione cuius tali motu mouetur, vt scindat tali, vel tali modo.

circa eleuati instrumẽtum a causa principali.

Assert. 2. Dico tamen secundo, non esse de ratione instrumenti, quod eleuetur à principali agente, accipiendo aliquã nouam virtutem ab illo, illi superadditam. Probatur plane: quia quando calor producit substãtiam ignis eleuatur ab alio igne concurrente; sed si habet aliquam nouam qualitatem, illi superadditam, vel illa qualitas est aliquis nouus gradus caloris, vel aliqua alia diuersæ speciei: non aliquis nouꝰ gradus caloris; quia quãtumuis calor sit intensus, & plures habeat gradus, sem-

per est solum instrumentum ad producendam substantiã ignis: ergo si de ratione instrumenti est eleuari per qualitatem superadditam adhuc ille calor nouus indigeret alio maiori calore, quo eleuaretur, & ille alio, & sic in infinitũ. Si vero talis calor eleuatur per aliam qualitatem superadditã diuersæ speciei, etiam potest fieri proportionalis ratio: quia vel hæc qualitas superaddita concurrit cum calore ad producendũ substantiam ignis, vel non: si non concurrit: ergo calor nihil eleuatur in operando per illam: quia non adiuuat calorem cooperando cum illo. Si autem concurrit effectiuè cum calore: tunc sic. Illa qualitas non concurrit, vt causa principalis ad producendam substantiam: quia est accidens, sicut calor ipse, & ita non habet virtutem proportionatam, & sufficientem ad producendam substantiã: solum ergo concurrit vt instrumentum, & ita deberet eleuari per aliam qualitatem superadditam, & illa per aliam: & sic in infinitum.

Et si respondeas non produci in calore aliquam virtutem accidentalem, sed aliquam virtutem substantialem, facille impugnare potest. Quia accidens non potest habere in se virtutem substantialem, quia substantia non est super addita accidenti, sed potius accidentia sunt subiectiuè in substantia. Tum etiam, quia illa substantia superaddita calori ignis, vel est alter ignis, vel aqua, vel quid simile. Quæ omnia fictitia sunt: quis enim dicat calorem ignis, habere in se alium ignem super additum, aut aquam, vel quamuis aliam substantiam: ergo non est de ratione instrumenti, quod eleuetur per qualitatem superadditam.

Secundo probatur, quia in cõmuni omnium opinione phantasma concurrit, vt instrumentum ad productionem speciei intelligibilis, de quo latius 3. lib. de anima: sed phantasma non habet aliquam virtutem super additam, per quam eleuatur ad talem actionem ergo: probatur. Quia si habet talem virtutem: vel illa virtus est aliquid spirituale, vel aliquid corporeum: non aliquid spirituale, quia accidens spirituale, non potest subiectari in accidenti corporeo, quale est phantasma. Neque aliquid corporeum, quia per illud nihil eleuaretur phantasma

tasma

tasma. Et probatur: quia tota ratio quare phantasma est de se in proportionatum ad producendam speciem intelligibilem est, quoniam phantasma est aliquid corporeum species vero intelligibilis aliquid spirituale: sed quamtumuis phantasma habeat virtutem aliquam corpoream super additam, semper manet corporeum: ergo ita in proportionatum manet, sicut antea: ergo nihil eleuatur per illam: ergo non est de ratione instrumenti eleuari per qualitatem superadditam.

Sed inquires quid ergo est instrumentum eleuari à causa principali, aut moueri ab illa ad operandum, quod idẽ est. Quidam asserunt, hoc nihil aliud esse quàm instrumẽtum esse vnitum, & radicatum simul cum causa principali: qualiter calor est radicatus in substantia ignis. Sed non placet: quia saltem hoc non habet verum in instrumentis separatis, qualiter semen est instrumentum generantis ad productionem viuentis adhuc separatum à viuente ipso. Secundo nec est verum in instrumentis coniunctis: nam calor qui est in igne actualiter, solum mouetur, & eleuatur ad producendum alium ignem, quam diu durat talis productio ignis, sed etiam antequam actualiter produceret ignem erat calor vnitus, & radicatus in alio igne concurrente: ergo illa eleuatio actualis, seu actualis motio, aliquid aliud est.

Quare dicendum est instrumenta non ideo dici eleuari, vel assumi ab agẽti principali, quia ab illo aliquid in se recipiant, quo proportionentur effectui, aut illi adæquetur in perfectione, cum potius de ratione instrumenti sit, vt id quo agit imperfectius sit effectu, aut illi ex natura rei in proporrionatũ: ideo ergo solũ eleuari dicuntur instrumẽta ab agenti principali, quia ratione ipsius datur illis cõcursus causę primę ad effectum perfectiorem, & sublimiorem ipsis, vnde potius eleuantur à causa principali in genere causæ finalis, quam efficientis, quatenus prima causa intuitu agentis principalis, & gratia illius tribuit instrumentis cõcursum ad effectum ipsius principalis agentis, ratione cuius concursus moueri dicuntur, & recipere virtutẽ agentis principalis non formaliter, & intrinsece, sed causaliter, quia videlicet causant eundem

effectum

effectum, quem causat virtus principalis agentis, & ita interpretatd' est D. Thom. loco citato, qui propterea dicit hanc virtutem nõ esse in instrumentis per modum virtutis permanentis, & complete quia videlicet, nihil aliud est, quam ipsa actio, & in fluxus, quo simul cum agenti principali causat ipsum effectum, quæ nõ est in ipso, sed quia ab ipso dependet attribuitur illi, ita colligitur ex illo, ar. 4. maxime ex solutione 1. 2. & 3. argumenti.

Sed obiicies sequitur, quod causa principalis etiam dicatur eleuari ab instrumento. Probo consequentiam: quia per cooperationem instrumenti fit potens producere effectum; quem aliàs sine tali instrumento nõ posset producere, nam ignis sine concursu caloris, non posset producere alium ignem. Responde tur negando consequentiam, quia quamuis ignis sine calore non posset producere ignem, non tamen dicitur eleuari ab ipso calore: quia eleuari est ad aliqu'd perfectius, & ignis productus nõ est perfectior igne producẽte, est tamen perfectior, quã calor, & ita dicitur calor eleuari ab igne proprie loquendo, non tamen ignis à calore.

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur: ad primum, quod instrumẽtum dicitur operari, vt motũ, seu eleuatum à causa principali non quidem, quia aliqua motio prius semper recipiatur in instrumento, quam cooperetur simul cum causa principali, sed quia non operaretur nisi causa principalis, simul cum illo concurreret, & ita per illam cooperationẽ causæ principalis, veluti excitatur, & mouetur ad operandũ quod aliàs non posset.

Resp. ad argum. 1. sententiæ.

Ad confirmationem esse longe diuersam rationẽ: quia motus ille quo vaculus mouetur, quando mouet aquam non est illi naturalis, sed violentus, vel saltem præternaturam, & ita prius debet recipere in pulsum ab alio, vt moueatur. Similiter ille motus, quo vaculus mouetur sub iectatur in vaculo ipso: at vero motio, qua instrumẽtum mouetur non semper est aliquid receptũ in illo, sed per actionem causæ principalis, quæ transit in externam materiam dicitur moueri. Dixi autem non semper: quia quãdo instrumentum agit actione immanenti, talis motio recipitur in ipso instrumento, quia nõ est aliud, quam actio ipsius instrumenti, prout etiã pro-

prouenit à causa principali: qualiter intellectus in opinione omnium Theologorum concurrit, vt instrumentum ad visionem beatificam, quæ est actio immanés in illo, & ita etiá motio qua mouetur recipitur in ipso intellectu Beati.

Respōdetur ad 2. instantiā. Ad secundum respondetur verum esse quod instrumentum per actualem eleuationé, qua eleuatur à causa principali, quodammodo fit potentius quam antea, nó quia aliquid intrinsecum de nouo illi adueniat, sed quia causa principalis cooperatur cú illo ad producendum effectum, quam aliàs sine tali cooperatione non posset producere, quia habet virtutem in proportionatam. Quemadmodum duo portantes lapidem se iuuant, ita quod vterque simul portat lapidem, quem alter seorsum non posset, nó quidem quia vnus imprimat alteri aliquá virtutem motiuam de nouo, sed quia simul cooperantur, circa eundem lapidem. Est tamen differentia, quod duo portantes lapidem sunt causæ partiales: nam quilibet tantum imprimit inpulsum in eas partes lapidis quæ illi correspondét, at vero tam instrumentum, quam causa principalis sunt causæ totales subordinatæ: nam totum effectum, quem producit causa principalis, etiam producit instrumentum in virtute illius, & ita hoc modo etiam instrumentum appellatur causa totalis.

Tertio dubitari potest, in hac quæst. Vtrú de ratione instrumēti sit, quod habeat præuiam operationem propriam ante illam operationé, qua operatur cum causa principali. v. g. calor habet duas actiones, alteram qua vt instrumentum ignis attingit, instrumentaliter ad producendum alterum ignem; alteram vero præuiam, & sibi propriam, qua prius disponit lignum producendo calorem in illo, vt causa principalis. Quærimus ergo. Vtrú de ratione cuiuslibet instrumenti sit habere actionem aliquam præuiam ante illá, qua operatur simul cú causa principali. Difficultas

Prima sententia affirmat de ratione instrumēti esse quod habeat operationem præuiá ante actionem causæ principalis, quam tenet Ferrar. 2. cō tra gentes cap. 21. Sotus in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 5. Fonsec. 5 Meth. cap. 2. quæst. 6. & re uera est sententia S. Thom. 1. p. quæst. 45. art. 5. vbi ex eo pro- 1. Sentent.

probat creaturam non posse esse instrumentum creationis, quia non potest habere aliquam præuiam actionem ante operationem causæ principalis, cum in creatione nullum præsupponatur subiectū in quo illa actio præuia subiectari possit. Fundamentum huius sententiæ est, primo, quia quædam instrumenta habent illam operationem præuiam, vt diximus de calore ignis, & etiam patet in instrumentis artificialibus: nā prius serra scindit, & dein de resultat talis, vel talis figura intenta ab arti fine: ergo idem erit in quouis alio instrumento; quia non videtur maior ratio de vno, quam de alio.

Rationes huius sent.

Secundo, quia si instrumentum necessario non habet aliquam operationem præuiam per quam veluti adaptetur ad effectum principalis agentis, postea producēdum, nulla esset ratio, quare causa principalis ad suum effectum producendum summat potius hoc instrumētum quàm aliud.

Vera sent. Vera tamen sententia à nobis tenenda est, nō esse de ratione instrumenti, quod habeat operationem præuiā ante actionem causæ principalis. Sic tenet Scot. in 4. dist. 1. quæst. 1. Durand. in 2. dist. 1. quæst. 4. & optime Pater Xuarez 3. par. tom. 1. disput. 31. sectio. 8. Et probatur ratione: primo quia phantasma in communi opinione est instrumentum intellectus agentis, ad producēdam speciem intelligibilem, nulla tamen habet prçuiam operationem: nam tota operatio quā phantasma habet circa intellectū possibile, est producere speciem intelligibilem, ad quā actionem concurrit instrumentaliter: ergo ante illam nullam habet actionem præuiam circa intellectum: imò neque circa aliud subiectum vt omnes conueniunt 3. lib. de anima. Similiter species intelligibilis instrumentaliter concurrit ad producendum verbum mentis, ante quam actionem, nulla alia imaginari potest, facta ab specie intelligibili, nam cum sit principiū intellectionis, tota eius operatio est concurrere ad intellectionem. Ratio vero à priori est, quia nō semper effectus producendus à causa principali, simul cum instrumento requirit prçuias dispositiones, quæ debeant prius introduci. Qualiter species intelligibilis, producta phantasmate, non requirit præuiā aliquam dispositionem, vt produ-

producatur in intellectu, sed ipsa est dispositio ad producendum verbum mentis: ergo tunc non est opus aliqua operatione facta ab instrumẽto, per quam subiectum disponatur.

Resp. ad argument. Nec argumẽta in contrariũ aducta, aliquid probant: ad primum respondetur, non esse eandem rationem, de omnibus instrumẽtis: nam calor ignis, ideo habet operationẽ præuiam, quia forma ignis in introducenda in ligno, v. g. requirit præuias dispositiones, & ita calor ignis prius disponit lignum, quam introducat formam substantialem ignis.

Addo tamẽ, non esse improbabile, quod etiã calor qui recipitur in materia prima ligni cõcurrat instrumentaliter ad productionẽ formæ ignis, de quo dicã infra hac eadẽ disputatione, & ille calor receptus in materia prima ligni nullam habet operationẽ præuiã ante productionẽ formæ ignis, nã si aliquã haberet, maxime producere calorẽ, & hanc nõ, aliàs iam essent duo calores distincti in eadẽ materia, quod per naturã est impossibile, similiter serra, antequã scindat, debet moueri localiter quia scindit medio impetu prius impresso: hoc tamẽ non contingit in omnibus instrumentis, quia quædã sua pte natura ordinãtur ad talẽ effectum producendum, absq; aliquo præuio.

Et hinc patet solutio ad secundũ, nam absq; præuia operatione, optime intelligimus hoc instrumentũ esse adaptatũ ad talẽ effectum, & nõ ad aliũ ex diuersa natura instrumentorum: nam verbũ mentis non quolibet instrumẽto fieri potest, nisi specie intelligibili: & non nauigamus nisi naui, quia hæc instrumenta per suam naturam sunt appropriata ad talem effectum.

Quid aduertit. Tandem in hac quæstione aduertendum est, varia esse instrumentorum genera, quædam enim improprie appellantur instrumenta; quia quantuis habeant virtutem proportionatam, cum effectu aliquo, quia tamen indigent concursu, alterius causæ magis præcipuæ, appellantur instrumenta. Qua ratione calor solet dici instrumentum ignis, ad producendum calorem, & omnia agentia creata dicuntur instrumenta Dei, quia indigent cõcursu causæ primæ ad operandum, cum tamen plures, ex illis sint causæ princi-

principales: quia habent virtutem non minoris perfectionis, quam effectus productus. Alia vero ſunt proprie instrumenta, ſcilicet quæ habent virtutem in proportionatam cum tali effectu. Rurſus instrumenta quædā ſunt artificialia, quædam naturalia, ſcilicet quæ natura ſua ordinantur ad effectum aliquem producendum. Præterea quædam instrumenta ſunt coniuncta, cum cauſa principali, vt calor cum igne ad producēdum alterum ignem, quædam ſeparata à cauſa principali: qualiter ſemen deciſum à viuenti eſt inſtrumentum illius ad generationem.

QVÆSTIO III.

Vtrum cauſæ ſecundæ, aliquid efficiant, & quomodo.

1. Sentent. CIRCA primā partē huius quęſtionis, fuit ſententia quorundā Arabum, quos reffert Aberroes 9. Metaphyſic. commentario 7. & libro 12. comento 18. aſſerentium agentia creata, nihil efficere, ſed omnes effectus à ſolo Deo fieri, qui ſolus omnia operatur ad præſentiam ſecundarum cauſarum, ita quod ſolus ille ad præſentiam ignis calefaciat, ſic de reliquis. Cuius ſententiæ, fundamentum eſſe poteſt: quia cum Deus ſit perfectiſſima cauſa, debet illi tribui perfectiſsimus modus operandi: ſed perfectior modus operandi eſt operari ſe ſolo, quam cum conſortio alterius cauſæ: ergo ſola prima cauſa, omnia effectiue producit, ita vt ſecundæ cauſæ nihil operentur. Secundo, quia fruſtra fiunt per plura quæ poſſunt fieri per pauciora: ſed prima cauſa, omnia affectiuè producit, & ita appellatur cauſa vniuerſaliſsima; ergo fruſtra cōceditur aliqua efficiētia cauſis ſecundis.

Hæc tamen ſententia eſt apertiſsimus error in Phyloſoph. imo, & in Theologia quē refutat Sanctus Thomas 3. contra gentes, capite 69. & in 2. diſtinctione 1. quæſt. 1. artic. 4. & Auerroes loco allegato, & ita Ariſtot. 2. de cœlo textu. 17. aſſerit vnumquodque eſſe propter ſuam operationem. Falſitas autem illius ſententiæ, in primis Sacra Scriptura demonſtrat,

monstrat, dum sæpissime operationes secundis causis tribuit Lucæ 21. *Videte ficulneam, & omnes arbores cum producunt, iam ex se fructum.* Et Genesis primo. *Germinet terra herbam virentem, &c.* Et ratio hoc ipsum suadet. Primo, quia nisi secundæ causæ effectiuè concurrerent ad effectum producendum, frustra Deus secundis causis tribuisset tantam potentiarum varietatem, & tam diuersa organa, si omnia hæc nihil efficiunt.

Secundo, quia si secundæ causæ, nihil agunt, non magis, tribuenda esset calefactio calori, quàm frigori: nã Deus etiam ad præsentiã frigoris posset calefacere, si se solo illud præstat.

Tertio, quia non fierent monstra deffectuosa: nam Deus cum perfectissimus sit & infinitæ virtutis nullum effectum deffectuosum produceret: ergo tales deffectus contingunt ex concursu secundæ causæ, qui multoties deffectuosi sunt.

Quarto tandem multo magis ostendit Diuinam bonitatem, omnipotentiam, & sapientiam, quod etiam secundis causis virtutem operandi dederit, ergo immerito hoc negatur præsertim, cum fundamenta contrariæ sententiæ fribola sint.

Quare ad primum respondetur negando perfectissimum modum operandi esse se solo producere: quia maiorem arguit virtutem, quod etiam aliis dederit virtutem producendi, præsertim cum Deus propter hoc, non desinat totum effectum producere, neque indigeat concursu secundæ causæ; sed potius secunda causa indiget concursu Dei. *Respon. ad rationes.*

Ad secundum respondetur, quod illud principium frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pautiora, intelligendum est, si fiant æque bene, & quamuis effectus productus à solo Deo, possit esse æquæ perfectus, imò multo magis, quam fit de facto à secundis causis, tamen non fieret æquæ bene ex parte causæ secundę: quia secundam causam operari, arguit aliquam perfectionem, quam non haberet si careret virtute operatiua.

Circa secundum quod inquirit quæstio, scilicet, quomodo secundæ causæ producant suos effectus, plures inuoluuntur dubitationes. In primo dubitari potest. Vtrũ causæ secundæ producant totum effectum, vel partim pro-

producatur ab illis, & partim a Deo. Ratio dubitandi desumitur, ex illo communi principum Philosophorum, scilicet effectus particularis debet reduci in causam particularem, & effectus vniuersalis, in causam vniuersalem: sed in quouis effectu producto: verbi gratia, in igne est ratio singularis talis entis, & ratio vniuersalis entis: ergo altera ratio fit à causa particulari, altera vero à causa vniuersali, atque adeò totus effectus non fit à qualibet, secundo quia aliàs darentur duæ causæ totales eiusdem effectus, quod videtur falsum.

Difficultates.

Dicendum tamen est totam entitatem, & omnia prædicata, quæ fiunt à causa vniuersali, etiam fieri à causa secunda particulari, ita quod quælibet, & vtraque simul totum effectum producat. Et probatur plane: quia prædicata superiora, & inferiora non distinguuntur realiter, vt ostendimus in titulo de vniuersalibus, disputatione prima: Qua ratione eadem prorsus entitas, quæ est Petrus, est homo, animal, & ens: ergo non potest partim fieri à causa prima, partim vero à secunda. Secundo, quia prædicata, superiora, intimè & essentialiter includuntur in inferioribus: ergo agens, quod producit tale ens, etiã producit rationem entis, ibi inclusam.

Neque enim potest aliquis respondere produci à causa secunda rationem entis, vt inclusam in inferioribus, eandem vero abstractam produci à sola prima causa. Ratio est: quia natura sub modo vniuersalitatis, non est capax produci à parte rei: quia vniuersale non potest dari à parte rei: ergo, tota entitas quæ à Deo producitur, etiam producitur à creatura. Tertio probatur, quia actio productiua, est actio Physica à parte rei, illa vero distinctio inter prædicata superiora, & inferiora, est distinctio rationis, & Metaphysica: ergo non potest per talem actionem partim fieri ab vno, & partim ab alio, sed totus effectus, & omnia prædicata illius fiunt à causa secunda, & causa prima.

Neque argumenta in contrarium aducta aliquid probant, nam principium illud: *Quod effectus particularis debet reduci in causam particularem, & effectus vniuersalis in causam vniuer-*

Resp. ad 1. argument.

vniuersalem, debet intelligi, per quandam attributionem ita quod quamuis tota entitas fiat ab vtroque: tamen per quamdam attributionẽ tribuatur effectus, secundum rationem vniuersalem causæ vniuersali, & effectus particularis, secundũ rationem particularem causæ particulari, tamen reuera totum fit ab vtroque. Ad secundum non esse inconueniens, dari plures causas totales eiusdem effectus subordinatas. Tamen taliter secundæ causæ subordinantur ad primam, vt illæ omnes causæ per subordinationem faciunt, quasi vnicam causam perfectè totalem, productiuam, talis effectus.

Dubium 2. Secundo dubitari potest. Vtrum causa prima, & secunda, quando producunt eundem effectum, eadem actione concurrant, vel diuersa. Est autem ratio dubitandi: quoniam causa prima, & secunda, sunt agentia diuersa: ergo habent diuersam actionem, & causalitatem. Dicendum tamen est primam, & secundam causam eadem prorsus actione attingere effectum, prouenientem tamen ab vtraque causa. Ratio est, quia actio creaturæ pendet à Deo, aliàs creatura esset prima causa, respectu illius actionis, & non Deus. Si ergo illa eadem actio pendet etiam à Deo: ergo causa prima, & secunda, per eandem prorsus actionem operantur. Secundo, quia si actio secundæ causæ esset diuersa ab actione causæ primæ: ergo produceret effectum diuersum, nam diuersæ actiones simul factæ, diuersos effectus postulant.

Respōdi argumento. Ad rationem dubitandi respondetur, quod actiones non distinguuntur per agentia subordinata, sed per terminos, vt postea dicam, & ita quamuis sint plura agentia, quia sunt subordinata, operantur per eandem actionem.

Tertio dubitari potest. Vtrũ secundæ causæ pendeant in operando ab aliquo agente creato, quæ dubitatio proponitur propter cęlum, quod plures existimant actu concurrere cum omnibus causis inferioribus, ad producendos effectus illarum: & ita Aristot. sępe ait, quod Sol, & homo generant hominẽ. Verumtamen de hac difficultate dicam latius 2. lib. de cęlo, capit. 3. vbi latior de hac re erit sermo. Nunc breuiter Dubium 3.

dico primo, cœlum non concurrere vltimate ad productionem viuentium, nisi solum disponendo materiam, qua ratione, dum per calorem, & humiditatem, disponit aliquam partem terræ ad putrefactionem, est causa, quod inde generetur mus, vel aliud viuens. Tamen quod non attingat illam actionem substantialem qua viuens producitur: probatur plane. Quia vt secundo de cœlo, capite secundo, dicam, cœlum non est animatum, sed potius multo minus perfectum, quouis animato: ergo non potest attingere vltimam productionem viuentis, vnde axioma illud Aristotelis: *Quod solet homo, generant hominem*, verum est, tamen diuersimode debet intelligi de sole, & de homine: nam generatio vere tribuitur homini, non quia homo attingat vltimam illam productionem substantialem, qua homo producitur: tum quia contingere potest patrem iam esse mortuum, vel saltem, semper loco distare ab vtero matris, in qua fit productio filii: non ergo tribuitur patri generanti productio filij: quia pater attingat effectiue vltimam productionẽ eius, sed quia præbuit semen, ex quo filius producitur: at vero sol dicitur generare hominem dispositiuè ex eo solum, quod per suas qualitates, quas influit disponit semen.

Qua ratione cælum attingat generationẽ horum inferiorum.

Assertio. 2. Dico secundo, nullam actionem agentium inferiorum dependere ab actuali concursu cœli. Probatur, quia agens naturale fortius operatur in propinquum, quam indistans, & ita talis actio impeditur interiecto corpore aliquo: qualiter experimur interiecto corpore impediri, quod ignis in tali parte non calefaciat, sed corpora hæc inferiora, non minus efficatius operantur propinqua, quàm remota à cœlo, & eodem modo operantur, etiam interiectis, quibuscunq; corporibus inter cœlum, & illa: ergo signum est tales actiones non pendere ab actuali concursu cœli.

Assertio. 3. Dico tertio, nihilominus actiones, & productiones horum inferiorum plurimum dependere ab influẽcia cęli, saltem dispositiuè: quia per calorẽ, & alias qualitates, quas influit diuersimode

simode disponit subiecta, & ita modo generantur plantæ, modo senescunt, &c. & hoc modo appellatur cœlum causa vniuersalis effectuum horum inferiorum: quia saltem dispositiue ad illos concurrit, imò hoc etiam modo, & vt aiunt Theologi indirectè, cœlum potest esse causa actuum spiritualium, quæ fiunt ab homine, verbi gratia actus voluntatis: nam cum voluntas moueatur ab appetitu sensitiuo, quæ est quædam potentia affixa organo corporeo, potest cœlum taliter disponere, & cómouere organum appetitus, vt in illo excitetur iracundia, vel concupiscientia, & ita indirecte mediante appetitu moueatur voluntas ad talem, vel talem actum: quo enixi fundamento Astrologi iudiciarij, aliquando vera enuntiāt de actibus liberis, semper tamen satis incerta: quia cum voluntas sit potentia libera resistere potest, cuilibet constelationi Astrorum, & ita iuditia illa, satis incerta sunt.

Qua ratio ne moueatur voluntas à cœlo.

Dub. 4. Quarto dubitari potest. Vtrum secundæ causæ, ad operandnm indigeant actuali concursu causæ primæ, in qua re Durand in 2. distinct. 1. quæstio. 5. asserit omnes effectus creatos tribui causæ primæ, non quia secundæ causæ, quæ illos producunt, vt actu operentur, indigeant concursu Dei: sed quia Deus conseruat omnes secundas causas, & virtutes operatiuas illarum, ac per inde omnes effectus, inde producti tribuuntur Deo, vt causæ vniuersali. Est tñ hęc sententia Durandi satis singularis, & sine fundamento, atque ita merito ab omnibus Theologis, & Phylosophis reiicitur.

Assert. 1. Quare dicendum est in primis, Deum conseruare omnes creaturas in suo esse, hoc enim expectat ad omnipotentiam Dei, & eius gubernationem: quia omnia illi sunt subdita. Præterea esse à se est proprium attributum solius Dei, & ita non potest deficere: ergo si creaturæ à se ipsis conseruarentur non possent deficere: ergo omnia cóseruantur à Deo Idem etiam sæpissimè docet Scriptura, & ita ad Roman. 11. dicitur: *Ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia.* Et ad Hebræos cap. 1. dicitur: *Portans omnia verbo, virtutis suæ.*

Assert. 2. Dico secundo, quælibet causa creata in sua operatione indiget concursu Dei, no

uo, & actuali, diuerso ab illo, per quem conseruatur in sua entitate. Quæ conclusio adeò est certa: vt contraria sententia Durandi sit apertissimus herror, non solum in Philosophia, sed etiam in Theologia: nam D. Paulus Actorum 17. ait: *In ipso enim mouemur, & sumus*, ibi, non solum, esse, sed moueri, idest, operari asserit à Deo dependere. Et ratione patet: nam operari, sequitur esse: ita quod res talem modũ operandi habeat, qualem habet modum essendi: sed creatura non habet esse à se, sed ab alio: ergo, & operari habet ab alio, atque adeò etiam in operatione indiget concursu actuali Dei, & ita, sicut Deus habet esse à se, ita operatur independenter ab omni alio. Secundo, quia perfectissimus modus operandi, debet tribui Deo: sed perfectissimus modus operandi est, quod Deus non solum conseruet secundas causas, sed quod cum illis cooperetur ad omnes effectus, quos producũt: ergo, tribuendũ est primæ causæ.

Addo tamen concursum Dei, non esse diuersum à cõcursu creaturæ, quo creatura operatur. Patet quia, vt diximus supra dubitatione secunda huius quæstionis. Prima, & secunda causa eadem actione producunt effectum: ergo eodem concursu proueniente ab vtraque: nam actio, & concursus ad effectum, idem est: hic tamen concursus prout à Deo prouenit appellatur concursus generalis, seu auxilium generale, quia est debitus secundis causis: nam hoc ipso quod Deus dedit igni virtutem calefactiuam, debetur illi auxilium generale, vt calefaciat: quando vero Deus tribuit secundis causis concursum, non debitum suæ naturæ, appellatur auxilium speciale, de quo multa Theologi.

Quinto dubitari potest in hac quæstione, & non leuiter. An concursus Dei, sit prior concursu creaturæ, vel è contra, quando attingunt effectum aliquem, neque loquimur de prioritate temporis: nam certum est primam, & secundam causam simul tempore concurrere, ad producendum effectum: nam si prius tempore supponerentur factus ab altera, alia nihil produceret de nouo: quia hoc supponit effectum non fuisse: solum ergo quærimus, quis concursus sit prior, prioritate 5. Dub.

naturæ: quę difficultas non solum Philosophos, sed etiam Theologos vehementer defatigauit.

Prima sententia, asserit concursum Dei, seu auxilium generale, esse prius natura concursu creaturę, quasi in genere causæ efficientis, quia mouet, & prædeterminat secundam causam ad operationem: è contra vero, concursum creaturæ esse priorem concursu Dei in genere causæ material's: quia secũda causa determinat suo concursu, concursum Dei, vt talem effectum peculiaré producat: ita vt, quasi modificetur concursus generalis Dei, per concursum particularem secundę causæ. Qué modum dicendi, probabilem sane plures hoc tempore sequuntur: nam in illum maxime inclinat D. Thom. 1. p. q. 105. & 1. 2. q. 109. art. 1. & q. 3. de potẽtia, art. 7. qué etiam sequuntur Capreolus, in 2. dist. 1. quæst. 2. Ferrar. 3. contra gentes, cap. 70. Caietanus locis citatis pro Sancto Thom. habet autem hæc sententia fundamenta nõ leuia. Primò, quia secundæ causæ ex consensu omniũ Philosophorum operantur, vt mote à prima: ergo prius natura debet preintelligi motio, seu concursus causæ primæ, quã concursus causę secundæ. Secundo, quia aliàs Deus nõ esset prima, si non prius causat, quam causa secunda.

Veruntamen hac in re satis difficili mihi semper placuit sententia subtilis Patris Molinæ 1. par. quæst. 19. quam latius prosequitur lib. de concordia, liberi arbitrij cũ donis gratiæ quæst. 14. articul. 13. disputatione 26. vbi asserit, concursum Dei non esse prioré natura concursu secũdæ causæ, aut è contra, sed vtrumq; cõcursum esse omnino simul, imò eundé omnino vt dixi. Et probatur: quia cõcursus generalis, & cõcursus secundæ causæ est eadem indiuisibilis actio: ergo non est prior secundum naturã, vnus cõcursus altero, sed sunt prorsus idem.

Et si respõdeas, opt me posse intelligi eundem concursum prius pendere a prima causa, quàm à secũda. Cõtra argumentor sic: quia actio vitalis, qualis est visio non potest intelligi, nisi proueniat à principio vitali: quia ex sua intrinseca essentia inuoluit ordinem ad principium vitale, ratione cuius appellatur actio vitalis: ergo si huiusmodi actiones vitales, priusnatura intelliguntur pẽ-

dere à solo Deo, qui non est principium vitale, ante quam intelligatur pendere à secunda causa vitali: iam ergo intelligimus actionem vitalem in illo priori, & nondum procedere à principio vitali, quod est impossibile, cū de essentia eius sit ordo ad principium vitale. Et confirmatur hæc ratio: quia eundem ordinem, quem intelligimus inter actiones, debemus intelligere inter effectus productos: nam productiones proportionantur cum effectibus productis: ergo si actio Dei est prior secundum naturam, quàm actio secundæ causæ. Similiter effectus prius natura esset productus à solo Deo, & postea iterum, quasi re produceretur à creatura, quod est ridiculum.

Secundo probatur conclusio, quia inter causam et effectum, debet esse realis distinctio, vt supra: sed concursus Dei, & creaturæ, non distinguuntur realiter: ergo vnus non est prior alio in genere causæ efficiētis, neque in genere causæ materialis, sed est idem prorsus.

Ex quo etiam fit, concursum secundæ causæ realiter non dependere à concursu causæ primæ, quia est idem concursus: at vero depēdentia realis, debet esse inter extrema realiter diuersa, depen det tamen concursus secundæ causæ a prima causa, quia distinguitur realiter ab illa.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ respōdetur ad primum, Deum mouere secundas causas ad operandum, simili modo, quo diximus causam principalem mouere instrumentum, non quidē, quia prius aliquid in illas influat: nihil enim producit Deus de nouo in calore vt calefaciat: neque etiam quia eius actio prior sit, quam actio secundæ causæ: sed quia cooperando cū secunda causa, facit, quod illa attingat effectum, & ita dicitur illam mouere ad operandum.

Ad secundum respondetur Deum appellari causam primam, non quia eius causalitas sit prior causalitate secundæ causæ, sed appellatur prima, quia operatur independēter à secunda, posset enim illū effectum se solo producere, quod tamen nō habet secunda causa, & ita Deus appellatur prima causa, non solum in essendo, vt quibusdam placet, scilicet, quia esse Dei est prius quàm esse creaturarum, sed etiam appellatur prima in causando, modo tamen explicato, & hæc de hac quæstione. Ad 2.

QVÆ-

QVAESTIO. IIII.

Vtrùm Deus immediate concurrat cum causis secundis, tam immediatione virtutis, quám immediatione suppositi.

Quid sit agere immediatione virtutis, & suppositi.

Diximus hactenus, Deum actualiter concurrere cum secundis causis dum suos producũt effectus: nũc vero examinandũ restat, an immediate cõcurrat cũ illis. Agere autẽ immediate immediatione suppositi est, quãdo inter agens & passum, in quod agitur, nullum mediat suppositum, & ita agere immediate immediatione suppositi cum alia causa est, quãdo nullum suppositum mediat inter vtrumque: agere vero immediate immediatione virtutis est, quando virtus agentis tangit passum immediate: qua ratione ignis calefacit aerem sibi proximũ immediate, tam immediatione virtutis, quã suppositi: quia tam suppositum ignis, quam virtus calefactiua immediate tangunt aerem sibi continguum, auus vero est causa mediata productionis nepotis, tã mediatione virtutis, quã suppositi: quia inter auum, & nepotem mediat suppositum patris, & eius virtus generatiua. Quærimus ergo vtrum Deus vtraq; immediatione concurrat immediate cum secundis causis. Est autem ratio dubitandi desumpta ex communi Axiomate Philosophorum, quo solemus dicere Deum operari medijs causis secundis: ergo non operatur immediate, vnde hoc sensisse videtur Ferrara tertio cõtra gentes cap. 70.

Quomodo Deus concurrat ad effectum producendum.

1 Verumtamen hæc res non est adeò difficilis, vt in ea opus sit multum immorari, vt plures solent. Dicendum ergo est, Deum immediate cõcurrere cum secundis causis ad effectũ producẽdum, tam immediatione virtutis quam suppositi. Tenet S. Thom. 3. cõtra Gẽtes c. 68. quẽ omnes cõmuniter secũtur. Et probatur in primis, ꝙ agat immediate immediatione suppositi quia vt late docẽt Theologi, Deus vbique est præsens per essentiam, præsentiã, & potẽtiam: ergo inter Deum & effectum productũ, aut inter Deum & passum, in quod operatur, nullum suppositum mediat: ergo operatur immediate immediatione suppositi. Quod vero etiam attingat immediate immediatione virtutis

tutis, probatur. Quia virtus actiua Dei attingit immediate omne passum, & omnem effectum: nam virtus actiua Dei est ipse Deus, eo quod, quidquid est in Deo, necessariò est Deus: sed Deus omnia immediate attingit: ergo & virtus illius, atque adeò, etiã operatur immediate immediatione virtutis.

Est tamen aduertendum Deum attingere immediate actiones secundarum causarum; tamen iuxta earum naturam, & exigentiam, ita vt agentia libera, libere moueat prout ipsa se determinant ad operandum, atque adeò optime hoc modo saluatur libertas nostri liberi arbitrij cum diuina motione. Sed de hoc latius Theologi.

Ad rationem dubitandi, respondetur, quod cum dicimus, Deum non operari nisi medijs causis secũdis; sensus est, idest, non operatur sine illis, quod intelligendum est, quando operatur secundũ ordinem naturalem, non tamẽ operatur mediantibus illis, id est, mediate, sed operatur cũ illis, tamen immediate.

Etsi objicias, nam creatio animæ rationalis quid naturale est, ad illam tamen concurrit Deus se solo: ergo nõ semper operatur Deus medijs causis secundis. Ad hoc argumentum sunt qui dicũt, creationem animæ rationalis esse actionem supernaturalem, neque pertinere ad potentiam naturalem Dei, sed ad supernaturalem, hoc tamen falsum est: quia cum anima rationalis non sit forma materialis, atque adeò pendens à materia, quod nõ fiat ex præsupposita materia, sed ex nihilo, est nimis consentaneum, suæ naturæ, & cum Deus non producat animam rationalem, nisi in embrione sint certæ quædã dispositiones, quæ ex natura rei illam petunt, ideo fit, quod creatio animæ rationalis sit actio quædam naturalis, tam quoad substantiam actionis, quia producit quandam entitatem naturalem, scilicet animam rationalem, quã quoad modum, quia fit modo conuenienti suæ naturæ, & exigẽtibus dispositionibus, quæ se habent ex parte materiæ, in qua est introducenda. Vbi non asserimus, creationẽ animæ rationalis esse actionem naturalem, idest, quæ possit fieri ab agenti creato naturali: quia solus Deus illam, efficere potest: sed asserimus, esse naturalem, idest, pertinere ad potentiam naturalem, & non ad supernaturalẽ, quia pro-

producitur effectus præter naturæ ordinem & exigētiā.

Quare ad argumentum respōdetur, quod, cum dicimus Deum operari medijs secundis causis, intelligendum est, quoad effectus, qui pertinēt etiam ad secundas causas, qualiter sunt effectus materiales, hos enim non producit se solo, sed medijs secundis causis, & hæc de hac quæstione.

QVAESTIO. V.

Vtrùm agentia creata habeant determinatam spheram actiuitatis vltra quā non possint agere, & quomodo operentur in illa.

Qvæstio hæc hoc loco propriā habet sedē: vbi agitur de causa efficienti, & de requisitis ad illā. Et quidē circa primū inquiritque stio, aduertēdū est sphærā actiuitatis appellari totū illud spatium in quod agens potest agere. Et certum est, Deum non habere determinatam spherā actiuitatis suæ, sed in infinito spacio posse operari: quia habet infinitam virtutem operatiuam: loquimur ergo tantum de agentibus creatis.

Quid certū

Ratio dub. Et ratio dubitādi est: quia si agentia naturalia habēt determinatam spheram suæ actiuitatis, sequitur dari remississimam qualitatem, quod est impossibile: quia accidentia secundum suam naturam nō habent minimum vt in 1. lib. diximus. Sequela vero probatur: quia agēs naturale fortius agit in propinquum, quā in remotum: ergo in vltima parte illius spheræ dabitur remississima qualitas, & remississimus motus.

Secundo, quia demus spheram aliquam determinatam, in qua ignis possit calefacere. Tunc sic, in vltimo illius spheræ reperitur calor: quia supponimus in tota illa sphera posse producere calorem: ergo ille calor, qui est in fine illius spheræ poterit producere in alia parte magis distāti aliquem calorem, licet exiguum: ergo spacium prius præfixum, non erat tota sphera actiuitatis ignis, atq; adeò nulla determinata sphera actiuitatis potest assignari.

Agētia naturalia habēt determinatam spheram.

Dico primo: agentia naturalia creata habēt determinatam spheram suæ actiuitatis, vltra quam nō possunt agere: in qua conclusione omnes cōueniunt. Patet enim ratione, & experiētia: ratione quidem: quia cum agentia creata habeant determinatam, virtu-

virtutem operatiuam, necessario debent habere determinatã sphæram in quã possint agere, & ita experientia comperimus ignem non in quantis, sed in certa distantia possit calefacere.

Addo tamen, hanc sphæram longe esse maiorem in agentibus, quæ operantur sine resistentia, quam in illis, quæ operantur cum resistentia contrarij, v. g. maiorem longe sphæram actiuitatis habet luminosum, quàm ignis: quia cum lumen sit qualitas non habens contrarium, producitur sine resistentia; at vero calor productus ab igne, fit cum resistentia frigiditatis, quod etiam petendum est est ex diuersa natura agentiũ & effectus producendi.

Dubium. Etsi inquiras vtrum talis sphæra actiuitatis sit determinata intrinsece per maximũ quod sic, ita vt sit verum dicere: in tanto spatio potest agere, & non in maiori: vel potius extrinsece per minimum quod non: ita vt sit verum dicere: in tanto spatio nõ potest agere propter eximiam eius magnitudinem, & id minori potest. Respondetur esse determinatam intrinsece per maximum quod sic. Ratio est: quia qualitates operatiuæ, vt calor, habent terminum intrinsecum, scilicet vltimum indiuisibile qualitatiuum (vt ita dicam) ad modum, quo quantitas habet vltimum indiuisibile quantitatum, de quo dicam 3. lib. Physicorum: ergo postulant sphæram determinatam termino intrinseco.

Duplex diuisibilitas in qualitate. Secundo, quia qualitates operatiuæ præter diuisibilitatem quam habent quoad intensionem, habent etiam aliam diuisibilitatem quoad extensionem ex parte subiecti: nam reuera calor est extensus per subiectum, & ita habent etiam sua indiuisibilia correspondentia indiuisibilibus quantitatis per quam extenduntur: sed quantitas habet terminum intrinsecũ: quia in quantitate damus indiuisibile vltimum intrinsecum, quo terminatur: ergo etiam qualitas producta in tali quantitate habet terminum intrinsecum.

Tertio, quia, vel agens potest agere in omnes partes illius sphæræ, includendo vltimum indiuisibile, & sic habeo intentum, scilicet, quod talis sphæra terminetur termino intrinseco: vel potest agere in omnes partes illius sphæræ; excludendo tamen vltimum indiuisibile, & hoc nõ potest dici: quia indiuisibile non

non facit maius: ergo non arguit maiorem virtutem operatiuam, operari in toto illo spatio includendo vltimum indiuisibile, quàm operari in toto illo, excludendo vltimũ indiuisibile. Patet consequẽtia: nam sicut indiuisibile nõ facit spacium maius, ita nõ arguit maiorem virtutem operatiuam.

R. ad 1. ratio dub.

Ad rationes dubitandi respondetur, ad primam, quod vt late ostendam 1. lib. de generatione, qualitates habent duplicem diuisibilitatem; alteram quoad intensionem, secundũ quam, in qualibet parte subiecti sunt magis, vel minus intensæ, secundum quam diuisibilitatem habent sua indiuisibilia continuatiua partium intẽsionis, quæ partes, sunt partes graduales, & hæc indiuisibilia cõtinuatiua graduum subiectantur in quauis parte subiecti: sicut inquauis parte subiecti sunt omnes gradus: aliam vero habent diuisibilitatem, quoad extensionem per subiectum: nam reuera calor est extensus v. g. per totum lignum, & secundum hanc diuisibilitatem diuersam à priori, habent etiã alia indiuisibilia continuatiua partium extensionis diuersa à prioribus; & cum hæc extensio commensuretur ad extensionẽ subiecti, hoc modo se habet, quod singulis partibus subiecti correspondent singulæ partes qualitatis, & indiuisibilibus subiecti correspondent indiuisibilia qualitatis, quæ doctrina late probabitur loco allegato: nunc breuiter ratio fit. Quia reuera non possumus negare, qualitates habere illam duplicẽ diuisibilitatẽ diuersæ rationis, alteram quoad partes intensionis; alteram vero quoad partes extensionis: ergo debent habere indiuisibilia cõtinuatiua partium intẽsionis, & alia indiuisibilia continuatiua partium extensionis.

Quo supposito ad argumẽtum respondetur in primis, quod sicut non est dare in quantitate partem vltimam, eo quod quælibet assignabilis, est diuisibilis in partẽ priorem, & posteriorem, ita non est dare in partibus extensionis qualitatis partem vltimã, quia istæ partes commensurantur cum partibus quantitatis, in quibus subiectãtur: & eadem ratione in partibus intensionis non est dare minimam, cum quælibet pars gradualis sit indiuisibilis in alias minores, & minores; tamen sicut in illa quantitate, in qua subiectatur qualitas, est dare vltimum indiuisibile quantitatis

ta is terminatiuum partium extensionis ipsius quantitatis, ita in illo indiuisibili subiectatur quoddam indiuisibile qualitatis terminatiuum partium extensionis ipsius qualitatis: tamen sicut indiuisibile quantitatis, non est quantitas, ita etiam indiuisibile illud vltimum qualitatis non est qualitas, & ita nunquam probatur dari remississimam qualitatem, aut remississimum motum, de quo est proportionalis ratio, ac de qualitate diximus.

Ad secundam respōdetur quod omne agēs agit fortius in partem propinquam, quā indistantem, & ita sicut in illa sphera sunt quædam partes propinquiores agenti, & aliæ magis distantes; ita effectus producitur intensior in in partibus propinquis, quā in remotis.

Vnde sicut in sphera illa nō est dare vltimam partem, ita non est dare vltimam partem intensionis effectus producti, sed est remissior & remissior secundum quod, partes spacij magis, ac magis distant ab agenti, quousque tota remissio illius qualitatis tandem finiatur in illa sphera, & ita vltra, nihil potest producere.

Secūda pars huius quęstionis, scilicet, quomodo agentia naturalia agant intra suam spheram actiuitatis, plures inuoluit dubitationes. Vnum tamen est certum, scilicet, tale agēs fortius operari in partem propinquam illius sphere, quam indistantem.

Quid certū. Quo supposito in primis dubitari potest, vtrum agentia naturalia intra suam spheram possint producere in aliqua parte illius spherę tantū, quantum in se habent. V. g. an calidum vt octo possit in aliqua parte suæ spheræ producere calorem, vt octo. Quā *Difficultas.* difficultatem latius prosequar primo libro de generatione, & ita hic solum dicām breuiter, prorsus esse falsam communem plurimorum sententiam, asserentium agentia creata in aliqua parte sibi propinqua posse producere, tantum quantum in se habent. Cuius falsitas, vt euidenter ostendatur supponēdum est ex 6. libro Physicorum: quod vt omnes vnanimi consensu docent, partes, quę sunt incōtinuo sunt in duplici differētia; quædam aliquotæ, & sunt illæ, quæ habent certam, & determinatam quantitatem: qua ratione vlna, vel quarta, vt sic, est pars aliquota, quia habet determinatam quantitatem, non maiorem, neque mino-

Quod tenendum est.

minorem. Aliæ vero sunt partes proportionales, & sunt illæ, quæ sunt in determinatæ quantitatis, & ita possunt esse minores, & minores in infinitum. Qualiter quælibet quãtitas est diuisibiles inter duas medietates, & quælibet medietas in alias duas minores, & illæ in alias, & sic in infinitum. Vnde apud omnes certum est, quod quanuis in quantitate detur prima, & vltima pars aliquota, qualiter in vlna est dare primum, & vltimum palmum, tamen ex partibus proportionalibus non est dare vltimam, aut primam partem, cum quælibet signabilis, eo ipso quod est quanta, sit diuisibilis in partem priorem & posteriorem, quod latius suo loco ostendemus.

Quo supposito euidenter probatur, agens naturale in nulla parte suæ spheræ posse producere tantam intensionem, quantam in se habet, & ratio est, quia agens naturale fortius agit in propinquum, quam in remotum: ergo intra illam spheram intensis agit in parte magis propinqua, & in propinquiori intẽsius: sed nulla est dabilis, pars vltimate propinqua agenti: quia nulla est pars prima: ergo tale agẽs in nulla parte põt producere tantã intensionem quantã in se habet.

Et si respondeas, quod quanuis non sit dabilis in illo spacio prima pars proportionalis; tamen est dabilis, quædam pars aliquota exigua, quæ dicit prima, & ita in illa producere poterit tantam intensionem quantam in se habet. Sed contra est: nam adhuc in illa parte aliquota agens naturale non agit vniformiter: nam cum illa pars aliquota, adhuc sit indiuisibilis in partes priores, & posteriores, nulla pars est in illa vltimate propinqua agenti, neque prima: ergo in nulla parte illius partis aliquotæ producit agens totam intensionem, quam in se habet, sed semper minorem; dixi autem, merito in nulla parte passi: quia in primo indiuisibili producere potest tantam intensionem quantam in se habet agens, si dicamus indiuisibile esse capax alterationis, de quo alibi. Ratio est; quia si ponamus agens esse contiguum passo: tunc tale agens est aproximatum vltimate primo indiuisibili, initiatiuo passi, cum nihil mediet inter illa, & ita agens ibi poterit producere tantam intensionẽ, quantã in se habet.

Secun-

vt quando aperitur fenestra, vt ingrediatur lumen, tunc enim cum fenestra aperiatur per motum localem successiuum, etiam successiuè producitur lumen prius in vna parte, quàm in alia, & ita de facto nunquam illuminatio fit in instanti, cum hoc tamen merito communiter solet connumerari illuminatio inter actiones instantaneas: nam quod fiat successiue nõ prouenit à sua propria natura, sed ratione successiuæ applicationis luminosi, vel successiuæ ablationis impedimenti, tamen si daremus Deũ in instanti creare luminosum in instanti illuminaret omnes partes suæ sphæræ, licèt intensius propinquas, quam remotas: quia cum lumen nõ habeat contrarium, nulla est resistentia ex parte medij, vt producatur, & ita per se loquendo fieri potest in instanti: quia tota ratio successionis in aliqua actione est resistentia contrarij.

Ex quo obiter infero, quod quãuis fere semper calor producatur successiue, quia semper producitur cum resistentia frigiditatis, tamen si daremus aliquod subiectum priuatum omni frigore, & omni calore, posset in illo instanti produci calor, vt octo: quia quanuis calor vt octo habeat plures partes graduales; tamen, quia producitur absque resistentia, totus introduceretur simul.

QVAESTIO. VI.

Vtrùm agens naturale debeat tangere passum, vt operetur in illo.

HAEc quęstio sub alijs verbis tractari solet 7. lib. Physicorum, scilicet vtrum mouens, & mobile debeant esse simul, cum tamen multo magis sit propria huius loci, vbi agitur de causa efficienti, & de requisitis ad illam, & in primis certum est, quod mouens, & mobile debent esse simul tempore, ostendimus enim hoc libro disputatione 2. quamlibet causam necessario debere prius natura existere, quam causet: loquimur tamen de causa immediata, non vero de mediata, quia hæc non causat per se, qua ratione etiam si proijciens lapidem, statim moriatur, adhuc mouebitur lapis, quia non est causa immediata continuationis illius mo-

tus, sed impulsus ab illo in lapide impressus,

Quid adu. Solum ergo quærimus, an causa efficiens immediate debeat esse simul cum passo secundum præsentiam localem, vt agat in illo, & loquimur de potentia naturali: nã per miraculum, & de potentia super naturali certum est causam efficientem posse agere indistans, quia in hoc nulla implicatio contradictionis assignari potest: qualiter in probabiliori Theologorum opinione humanitas Christi Domini effectiuè efficiebat miracula, etiam in spacio distanti, saltem vt instrumentum Verbi, vt quã do conferebat sanitatem absentibus: loquimur ergo de agentibus naturalibus, & secundum naturalem ordinem.

Quid adu. Secundo aduertẽdum est, quod hæc quæstio non procedit de agentibus, quę agũt actione immanenti: quia in illis idem est agens, & passum, cum actio maneat intra ipsum agens, & ita in his nõ habet locum quæstio, sed loquimur de agentibus, quæ agunt actione trãseunti: quia in his agens, & passum sunt diuersa, cum actio extra ipsum agens transeat.

His suppositis non desunt qui in hac quæstione tueantur partem negatiuam, existimantes, quod vt agens aliquod agat in passũm non debet esse simul cum illo, sed posse agere indistans, quim prius agat in propinquum. Sic tenuit Auicena libro de anima section. 4. capit. 4. Alexander 1. Metaphysicorum, commentario 18. Scotus in 1. distinction. 17. quæstione vnica, & ibidem Ocham Niphus, primo de generatione, capit. 6. ad quam sententiam ducti sunt quibusdam experientijs. Prima, nam vt refert Aristot. lib. 9. de historia animalium capite 37. piscis quidam nomine, *torpedo*, cum primum capitur apiscatore, causat in eius brachio magnum torporem, cum tamen in hamo, & arundine inter media non causet illam qualitatem, quia sunt in capaces torporis: ergo aliquod potest agere indistans, nihil operando in medium. Similiter magnes attrahit ferrum distans, non tñ attrahit alia corpora inter media. *Experiẽtia pro parte negatiua.*

Tertio ignis comburit stũpam aliquantulum distantẽ, quim comburat aerem inter medium,

Quartò, etiam experimur vetulas fascinare pueros, non tamen fascinant aerem inter medium. Cuius rei plura alia exem-

exempla similia adduci solēt, omnia tamen habent eandē facilem solutionem.

Assert. 1. Quare dico primo, vt agēs naturale immediate agat in aliquod passum, debet esse simul in loco cum illo, quod non ita intelligendum est, quod agens & passum penetrentur, hoc enim per naturā est impossibile, sed requiritur, quod sint contigua, & hoc est, quod alij dicunt, ꝙ agens debet tangere passum contactu quātitatiuo. Sic docuit aperte Arist. 7. Physico, text. 11. & 13. S. Thom. 1. p. q. 8. art. 1. & ibidem Thomistæ Dur. in 1. dist. 37. q. 1. Capreolus eadem distinct. q. 1. art. 1. & 3. Ferr. 3, contra Gentes c. 68. Et ratio à priori est: quia operari supponit esse, & ita sicut causa aliqua, vt operetur in hoc tempore debet esse in illo tempore; ita similiter vt operetur in hoc loco, vel in hoc passo debet esse illi præsens.

Secundo, quia experiētia constat actionem agentis naturalis, v. g. ignis facile impediri, interiecto corpore aliquo dēso: ergo ideo est, quia prius debet operari in propinquum, quàm in distans: ergo nullum agens agit indistans immediate, sed medio corpore inter medio.

Tertio, denique Theologi hac ratione probāt Deum esse vbique, quia vbique operatur, & ita Paulus Actor. 17. ait de Deo, *Quod non longe ab est à nobis*, & reditrationem dicens, *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*: ergo reuera, vt agens naturale agat in passum immediate, debet agere in illud.

Ex dictis infero, quod Sol non illuminat immediate hæc inferiora: nam illuminando prius orbes cęlestes sibi inferiores, deinde illi orbes illuminant ignem, & ignis illuminat aerem, & sic de reliquis. Similiter ignis non calefacit lignum distans immediate, sed prius calefacit aerem proximū, & deinde aer calefactus producit calorem in ligno.

Assertio. 2. Dico secundo, agens mediatum non opus est, quod sit simul secundum locum cum passo, sed potest agere indistans medio corpore propinquo. In hac conclusione omnes conueniunt: patet. Enim ignem comburere stupam aliquantulum distantē, quia producendo calorem in aere, deinde aer producit calorem in stupa, & ita illam comburit mediante aere: neque mirum est, quia tunc quamuis ignis non tāgat

passum contactu quantitiuo, tamen tangit illud contactu virtuali, nō quidem, quia virtus, quæ est inhæsiue in igne tangat passum immediate: nā sicut ignis in hoc casu distat ab stupa; ita etiam calor ille, qui est inhæsiue in igne, sed dicitur tangere passum contactu virtuali: quia virtus aliqua producta ab igne, nempe calor productus in corpore inter medio, tangit illud passum.

R. ad exp. Vnde ad experientias incontrarium adductas respondetur, notando, non esse necessarium, quod agens eundem effectum, quem producit indistans, producat immedio, sed eundem, vel alium, v. g. Sol in visceribus terræ producit aurum, in aere tamen intermedio non producit aurum, tamen producit calorē, qui perueniens ad viscera terræ, ratione talis materiæ, & aliarum dispositionum, quas in tali materia inuenit producit aurum; in alia parte producit argentum, semper tamen est verum, quod producit saltem aliam qualitatem immedio.

Similiter ergo piscis ille, qui appellatur torpedo, quā- uis non producat in arundine torporem, quia arundo est incapax torporis, tamen producit in arundine frigiditatem, vel aliam similem qualitatem, quæ perueniens ad brachium piscatoris, quod est subiectum capax torporis producit in illo torporem.

Similiter, magnes quando attrahit ferrum distans, reuera in medio producit quandam qualitatem, quę dum ad ferrum peruenit, attrahit illud, nō tamē attrahit corpora inter media propter diuersam naturam corporum. Nā quemadmodum calor in cera illam liquefacit, in luto vero illud indurat: ita qualitas illa attrahit ferrum, nō tamen alia corpora, & idem est de vetulis fascinantibus pueros.

Nam quemadmodum mulieres menstruæ solent speculum maculare, eo quod per oculos mittunt quasdam qualitates, quæ ad speculum peruenientes, statim illud maculant: ita vetulæ aspicientes pueros per oculos mitunt qualitatem quandam quæ recepta in pueris causat in illis morbum propter nimiam illorum debilitatem, & ita reuera, licèt multis res hæc de fascinatione puerorum fabulosa appareat, mihi tamen valde est verisimilis propter

exemplum illud de mulieribus menstruis maculantibus speculum, dum se in illo aspiciunt, quam quidem experiẽtiam satis quotidianam negare non possumus.

Tandem ad illud de igne conburente stupam aliquantulum distantem dicendum est, ignem solum illam cõburere mediate; nam producit calorem in aere intermedio, & ille ad stupam perueniens illam conburit.

Etsi inquiras, quare ergo ille calor non conburit aerẽ, qui est proximior igni, quã stupã, præsertim cum agens naturale fortius agat in propinquum, quàm in remotũ.

Respondetur reuera ignẽ maiorem calorem producere in aere sibi immediato, quàm in stupa: tamen quia stupa est nimis sicca, ille minor calor est sufficiens, vt illam conburat, cum tamẽ maior calor receptus in aere nõ sit sufficiens ad illum conburendum: quia aer est humidus, & non ita dispositus ad conbustionem, sicut stupa.

QVAESTIO. VII.

Vtrùm idem effectus possit produci à pluribus causis efficientibus totalibus, & non subordinatis.

De causis subordinatis nullus dubitat: nam vt supra diximus prima, & secunda causa producunt eũdem effectum, & totus fit à qualibet subordinatè tamen, nam fit à secunda vt motâ, à prima, in cuius virtute operatur: solum ergo est dubium, an idem effectus possit produci à pluribus efficientibus totalibus non subordinatis, v. g. an idem numero calor possit produci à duobus ignibus, quorum neuter subordinetur alteri in operando, & idem numero lumen possit produci à duobus luminosis, quorum quodlibet est, sufficiens ad producendum lumen se solo, & ita appellãtur agentia totalia.

Secundo conueniunt omnes, eundem effectum dependere posse à pluribus causis totalibus diuersi generis, qualiter idem homo dependent ab anima, vt a causa formali, à materia vero, vt a causa ma-

Quod certū

teriali, solum ergo est dubium de causis eiusdem ordinis, & quamuis præcipua controuersia esse soleat de causis efficientibus, vt tamen dotrina vniuersalis sit, discurramus per singula genera causarum.

Primo ergo dubitari potest vtrum idem effectus dependere posit a pluribus causis materialibus totalibus v.g. vtrum forma æqui posit educi totaliter ex duabus materijs, & totaliter vtrāque informare. In quare dicēdum est breuiter, naturaliter loquendo, id esse impossibile, eo quod vnica forma tantum postulat educi ab vnica materia, tamen de potentia Dei absoluta, sicut primo, libro physicorū diximus, vnicam formam posse informare duas materias totales, ita potest educi ex duabus materijs totaliter, ita quod tota educatur à qualibet: verū est, quod tunc materię illæ reciperent illam formam per duplices receptiones, atque adeò essent duæ causalitates materiales: quia vt supra vidimus, causalitas causæ materialis, quæ est receptio, est quidam modus habens se ex parte materiæ, & ita sicut materiæ sunt diuersæ, ita essent diuersi modi.

2. Dub.

Secundo dubitari potest, an idem effectus possit dependere à pluribus causis formalibus totalibus, quæ quæstio eadem est cum illa, an in eodem composito possint dari plures formæ substantiales: nam vt supra diximus disputantes de causa formali totum compositum est effectus formalis formæ, & ita qui tenent etiam de potentia absoluta non posse in eodem composito esse plures formas substantiales consequenter tenentur fateri nō posse eundem effectum dependere à pluribus causis formalibus totalibus. Qui verò tuentur partem affirmatiuam, vt nos diximus primo physicorum disputatione. 6. fateri tenentur eundem effectum posse dependere a duabus formis totalibus, legantur ibi dicta.

3. Dubit.

Tertio dubitari potest vtrùm idem effectus posit dependère à pluribus causis finalibus totalibus, ita quod sit propter duos fines adæquatos. Quæ difficultas longissimam postulabat disputationem, si huius loci esset propria. Quare, quia de hoc latius disputant Theologi prima secundæ quæstione prima, idem breuiter nunc duo dicam: primo certum

tum, esse apud omnes, eundem effectum esse posse propter duos fines subordinatos, scilicet, quorum vnus sit vltimus, alius non vltimus, totales tamen, ita quod propter quemlibet seorsum, etiam fieret. Ratio est: nam sicut non repugnat eundem effectum habere plures causas efficientes totales subordinatas, vt sæpe dixi, ita non debet repugnare, quod habeat duos fines totales subordinatos, & ita finis proximus belli, est victoria, finis verò vltimus illius est pax, quæ in de sequitur.

Solum ergo est difficultas, loquendo de fine vltimo, an repugnet eandem rem habere duos fines vltimos totales; sed rursus finis vltimus duplex est, alius positiue vltimus, alius verò negatiue: finis vltimus positiue est, quod ita est simpliciter finis, vt in nullo alio voluntas requiescat, & ita repugnat aliquem habere duos fines vltimos positiue: quia in neutro adæquate poneret voluntas suam fælicitatem, & ita neuter esset finis vltimus positiue. Alius tamen est finis vltimus negatiue, scilicet, qui quamuis vltimate sit intentus, non tamen tanquam id in quo tota fælicitas collocatur, & ita secum compatitur alium finem vltimum, qui respectu alterius intentionis sit vltimus, & hoc modo, vt tenet communis Theologorum opinio non repugnat eandem rem habere duos fines vltimos negatiue, scilicet, saltem respectu diuersarum intentionum. Qua ratione idem homo respectu intentionis, belli, habet pro fine vltimo pacem, inde venturam respectu vero intentionis lucrandi, habet pro fine proprium commodum in de futurum, verum tamen hæc, quę aliena sunt a nostro instituto Theologis latius disputanda relinquamus.

Nostra ergo difficultas solum est de causa efficienti, an, scilicet repugnet dari respectu eiusdem effectus plures causas efficientes totales, & non subordinatas, partem negatiuam tenet Auerroes, Aluertus, & Themistus quinto meta. capit. de causis Fer. hoc li. q. 4. & 3. contra gentes cap. 68. Perei. 8. Physi. c. 15. & probari potest primo ex Aristot. hoc libro Text. 30. vbi asserit eiusdem effectus posse dari plures causas, sed non eodem modo causantes: sed causę eius-

Nostra dubit.

a Rationes dub.

eiusdem ordinis, quales sunt duæ causæ efficientes, eodē modo causant; ergo non possent dari plures causæ efficiētis respectu eiusdē effectus.

Secundo, quia quilibet effectus particularis, & determinatus debet reduci in causam particularem, & determinatam, sed si plures causæ efficientes particulares non subordinatæ producerent eundem numero effectum, in nullam determinatā causam posset talis effectus reduci, cum non sit maior ratio vnius, quā alterius: ergo.

Tertio, quia sequeretur neutram causam esse totalem, cū etiam idem effectus fiat ab altera: ergo non possunt dari eiusdē effectus plures causæ totales.

Asser. 1. Nihilominus dico primo, naturaliter loquendo nō potest idem effectus produci, aut conseruari simul a pluribus causis efficientibus totalibus, & non subordinatis. In hac conclusione omnes conueniunt, habet enim apertam rationem: nam per naturam impossibile est duo corpora penetrari in eodem loco: ergo quando v. g. duo ignes aproximantur eidem ligno, illi duo ignes non possunt esse in eodem loco: ergo vnus aproximatur vni parti illius ligni, & alter aproximatur alteri: ergo vnus producit calorem in vna parte, & alter in altera: ergo non producunt eundem indiuisibilem effectum, sed pars extensionis caloris correspondet vni, & alia pars correspondet alteri.

Secundo quia natura abhorret id omne, quod est frustra: sed ad producēdum vnicum effectum satis est vnica causa efficiens totalis: ergo per naturam nō possunt dari plures, & non subordinatæ, quæ ratio non probat de causis subordinatis: nam quamuis istę sint totales, non tamē sunt frustra, quia causa secunda operatur cum necessaria dependentia a prima.

Assert. 2. Dico secundo de potentia absoluta Dei, non repugnat eundem numero effectum produci, aut conseruari simul a pluribus causis efficiētibus totalibus, & non subordinatis: tenet Caietanus, prima parte, quæstion. 52. articul. tertio, Fonseca, quinto Metaphysicorum capite secundo quæstion. 15. Ocham. in tertio quæstione prima, & communiter Thomistæ 3. p. q. 67. art. 6. & ratione probatur: quia de potētia absoluta Dei fieri potest, q̨ duo corpora penetrētur, vt fides docet: fingamus ergo duo lumino-

sa æqualis virtutis penetrari. Tūc reuera illa luminosa producerent lumē in medio: sed non est maior ratio quare illud lumen proueniat ab vno, quam ab altero, cum sint æqualis virtutis, & penetrata in eodem prorsus loco: ergo illud lumen ab vtroque produceretur, atque adeò nō repugnat dari duas causas totales respectu eiusdem effectus.

Et si respondens, quod in tali casu neutrum lumen produceret aliquid: contra est: nam ex eo, quod illa luminosa coniungantur, non amittunt suam actiuitatem, imò ex eo quod vniantur, quodam modo magis deberet crescere: ergo nō se impedirent. Idem etiam docent communiter Theologi asserentes, quòd si plures Sacerdotes simul proferant verba consecrationis omnes; simul consecrāt illam hostiam.

Difficultas Sed statim oritur difficultas. Vtrū illa duo agentia producerent illum effectum per vnicam tantum actionem, vel potius per duas: ita quod singulis agentibus correspon-derent singulæ actiones. In qua re communis sententia, asserit actionem identificari realiter cum termino, consequenter tenere fatetur ibi tantum esse vnicam actionem, quia tantum est vnicus effectus. Sed quia hoc fundamentum falsum est, vt infra dicam in hac eadem disputatione, ideo secundo hæc sententia videtur posse probari. Quia fieri, quod est actio, est via ad factum esse, quod est effectus: ergo vbi est vnicum tātum factum esse, debet esse tantum vnicum fieri: ergo ibi tantum esset vnica actio.

Quid dicendum. Dicendum tamen nobis est, quod in eo casu ille effectus, non produceretur tātum per vnicam actionem, sed per duas realiter diuersas: neque id mirum est cum existimemus actionem realiter distingui à termino producto, & ita non repugnare eundem terminum produci, per duas actiones realiter diuersas. Quod ita esse dicendum in nostro casu probatur. Quia fingamus dari duo luminosa penetratiuè se habentia, & Deum impedire, quod vnum illorum illuminet: non tamen impedire quod aliud illuminet, sed reliquat illud suæ naturæ, secundum quam sufficienter illuminare potest: & deinde fingamus, quod post aliquod tempus transactum, etiā non impediat, quod illud luminosum, quod ante non illuminabat, deinde illumineret

Tunc probo, quòd hoc secũdum non illuminet per eandem actionem, per quam illuminat primum. Quia quando secundum luminosum illuminat, incipit esse de nouo relatio causæ ad effectum in tali luminoso: ergo ideo est, quia est aliqua noua entitas, in qua fundetur illa relatio: sed non est entitas luminis producti, neque entitas secũdi luminosi, neq; entitas illuminationis primi luminosi, quia hæc omnia iam erant antea: ergo ideo est quia incipit esse noua actio procedẽs de nouo à secundo luminoso in qua fundatur relatio causæ ad effectum, quæ de nouo oritur in secundo luminoso: ergo illa duo illuminosa non illuminant per eandem actionem, sed potius, si sunt duo luminosa non subordinata, ita sunt duæ illuminationes, producentes tamen idem lumẽ. Denique res hæc amplius patebit infra in hac eadem disputatione, cum disputemus propter quid actiones distinguantur realiter.

Nec fundamentũ contrariæ sentẽtiæ aliquid probat: quia quãuis fieri sit via ad factũ esse, seu ad terminũ, nõ est in cõueniens, quòd duæ viæ differentes, tendant ad eundẽ terminum, sicut duæ viæ possunt tendere ad eundem locum.

Ad argumẽta supra adducta respondetur, ad primũ, quod quãdo Arist. asserit, nõ posse dari respectu eiusdẽ effectus plures causas eiusdem ordinis, loquitur secundum naturam, non tamen de potentia absoluta Dei, de hac enim nihil cognouit.

Ad secundũ verũ esse, quod quilibet effectus particularis debet reduci in causam particularẽ, & determinatã, naturaliter loquẽdo; tamen supernaturaliter bene potest reduci in duas causas particulares, aut tantũ in primam causam, si fingamus ab illa sola fieri.

Ad tertiũ, quod quælibet causa ex illis appellaretur totalis, non quia illa sola producat effectum, sed quia quælibet totum effectum produceret, & ita respectu effectus appellaretur totalis.

QVÆSTIO VIII

Vtrum effectus productus ab vno agenti, idem numero produci potuisset ab alio agenti.

PRima sententia, in hac re affirmat effectum ab vno agenti productũ, eundem numero produci potuisse naturaliter ab alio agẽti, 1. Sententia

ti, circa idem passum, eodem tempore, & loco, & cum eisdem circunstantiis operante, quæ est sententia Scoti in 2. dist. 20. quæst. 2. Iauell. lib. 2. de generat. ad finem, & aliorum. Fundamentum huius sententiæ est. Primum, quia omnia agentia eiusdem speciei, vel virtutis habent vim producendi, quodcunque individuum illius speciei, secus, quæ erit maior ratio, vt hoc agens possit producere hæc individua, & non alia, cum omnia sint eiusdem speciei, & perfectionis, & vnum non requirat in causa agente maiorem virtutem, quam aliud. Confirmatur hoc, quia idem agens potest diuersos numero effectus producere: ergo diuersa agẽtia possũt eũ dẽ numero effectũ producere

2. Sentent. Secũda ratio est, dẽ numero effectus, qui ob vno agẽti productus est, potest ab alio naturaliter cõseruari: ergo potuisset etiã ab eodẽ produci, quia cõseruatio nihil est aliud quã continuatio prioris productionis. Antecedẽs cõstat primo experientia: nam calor primo productus in aqua ab vno igne, conseruatur ab alio igne, qui continue succedit priori. Et similiter lumen primo productum à flãma candelæ conseruatur idem numero ab alia parte flammæ, quæ succedit.

Secundo probatur idẽ antecedens à simili in aliogenere causæ: nã quantitas Eucharistiæ, quæ prius pendebat à materia panis post Christi decessum, ab speciebus Sacramentalibus naturaliter conseruatur ab alia numero materia, si verũ est non reproduci eandem numero materiã: ergo similiter potest effectus ab vno agẽte productus, ab alio naturaliter cõseruari. Cõfirmatur, quia ex quacunque causa moriatur homo, semper videtur cadauer, idem numero successurum: ergo idẽ numero effectus à diuersis agentibus prouenire potest.

Asser. 1. Nihilominus dicendum est primo, idẽ numero effectus, qui ab aliquo agenti produci tur, non posset per naturalẽ, & ordinariam potentiam, ab altero produci. Hæc est sentent. D. Tho. quodlibet. 5. artic. 8. Capreol. in 2. dist. 20. q. 1. Scot. in 4. dist. 43. q. 1. art. 3 Marsilij lib. 1. de gene. q. 8. Sonci. 5. Met. q. 6. Iauel. ibidẽ q. 7. priorẽ sententiam retractans. Ferr. 2. Phys. q. 4. Perei. 8. suæ Phyloso. c. 15. Fonsec. 5. Meta. c. 2. q. 14. & Auerro. 7. Meta. commento. 31.

Probatur primo ratione, quia idẽ agens in diuerso tẽpore

pore, non potest eundem effectũ producere, sed semper producit diuersos, ergo diuersa agentia nõ poterunt, neq; in eodem, neq; in diuerso tẽpore eundẽ effectum producere: patet cõsequentia, quia magis cõducit ad diuersitatẽ effectus agens, quã tempus, sicut magis influit in illum. Confirmatur, quia diuersa agentia, simul tẽpore, seorsum tamen operantia diuersos simul producũt effectus, vt experientia cõstat, cur ergo hęc diuersitas effectuum in diuersitatem loci, potius quàm in diuersitatem agentium reducetur, cum plus influat in effectum agens, quam locus. Ratio tamen huius conclusionis, non redditur ab omnibus eadem. Nam Fonsec. sect. 3. & 4. quem ex Iunioribus, quidam imitątur, hanc reddunt rationem: quia causa prima, cuius proprium est determinare, secundam, quo ad indiuiduationem effectus semper determinat diuersa agentia, ad producendos diuersos numero effectus, quãuis vnum agens virtutem habeat producendi effectũ alterius, si à causa prima, nõ ad alium numero effectũ determinaretur. Quæ ratio primũ assumit proprium esse causæ primæ determinare secundã quò ad indiuiduationem effectus, quod inde probant, quia causa secunda indifferens est ad plures effectus solo numero diuersos, ipsa vero si non sit libera, sed naturalis nõ potest se ipsam determinare ad hunc effectum, potius quàm ad alium, determinabitur ergo à causa prima, quæ libera est, sicut causa prima determinatur à secunda ad speciem effectus. Deinde hæc ratio etiam assumit causam primam semper determinare diuersas causas secũdas ad diuersos effectus, quamuis quęlibet earum vim habeat producendi eundem effectum. Quod sic probãt. Causa prima nunquam determinat, idem agens ad producendum eundem effectum, in diuersis temporibus: ergo multo minus determinabit diuersa agentia ad producendum eundem effectum.

Sed hæc ratio mihi nõ satisfacit primo, quia dato, causam secundam determinari à prima, quoad indiuiduationem effectus, hoc tamen non est verum, neque ab illis asseretur in causa secunda libera: posset ergo aliquod agens liberum velle producere eundem numero effectum, quem aliud produxit, vel certe posset idem agens liberum, siqui-

dem non indiget determinatione causæ primæ, velle producere eundem numero effectum in diuersis tẽporibus quod tamen non est minus impossibile causis liberis, quam necessariis, & naturalibus. Deinde adhuc in causis naturalibus, non videtur omnino certum, causam secũdã determinari à prima, quo ad indiuiduationẽ effectus, quia probabiliter dici potest hanc causam secundam circa hoc passum, hoc tempore, & loco, &c. non posse plures effectus solo numero diuersos producere, sed eum solum, quem exigit hæc aggregatio circunstantiarũ iuxta ea, quæ iam dicam. Denique nullam reddunt prædicti auctores rationem, cur causa prima nunquam determinet diuersa agentia ad eundem numero effectum producendum, neque idem agens in diuersis temporibus, si diuersa agentia pro eodem tempore, & idem agens pro diuersis temporibus vim habent producendi eundem effectum.

Ratio ergo à priori huius conclusionis est, quia differẽtia indiuidualis huius numero effectus, requirit, vt cõditionẽ sui fieri, iddentitatẽ huius agentis, huius passi, tẽporis, & loci, & aggregationem reliquarum omnium circunstantiarũ, quod à signo inde sufficienter colligitur, quia variata quacunq; istarum circunstantiarum, variatur effectus, quod non potest ex alia causa prouenire, nisi ex eo quod differẽtia indiuidualis eas omnes requirit, vt conditiones sui fieri, non tamen requirit eas, vt conditiones sui esse, cum sine illis, esse, & cõseruari possit, neq; requirit eas, vt principia indiuiduationis: nã neq; effectus, neq; actio potest à tempore, & loco, aliisq; in numeris circunstantiis indiuiduari, tanquã à principio, & causa per se sue indiuiduationis. Vnde fit agentia alia nõ habere vim absolute, & simpliciter producendi effectũ alterius agentis, quia eius productio requirit conditionẽ illis agentibus repugnantem, videlicet vnitatem, & iddentitatẽ eius agentis, à quo producitur, quam conditionẽ non requirit eius esse, & conseruatio.

Per quod facile respõdetur ad secundã rationẽ oppositæ sententiæ, cõcedimus enim, effectũ vnius agentis conseruari posse ab alio similis virtutis, negamus tamẽ consequentiã, quia productio effectus, esto nõ requirat maiorẽ virtu-

tem in agente, quàm conseruatio, requirit tamen conditionem aliquam, quam non requirit cóseruatio. Quod fere simili exemplo declaratur, nam idem agens potest effectum à se semel productum in alio tempore conseruare, quem tamen in eodem tempore, quo conseruat, non potest reproducere, si corruptú fuisset, ex eo solum, quod illius differentia indiuidualis requirit; vt conditionem sui fieri, determinatum tempus, non vero, vt conditioné sui esse, vel conseruationis.

Vnde ad cófirmationé negatur antecedés, ná hominis cadauer non est semper idé numero, sed diuersum pro diuersitate agétis introducétis formá cadaueris, quáuis, quia in in vtroq; cadauere, manét eadé in sensibilia accidétia, quę erát in homine currupto, idé cadauer appareret, ex quacunq; causa homo moriatur.

Ad primum vero fundamétú negandú est, omnia agentia eiusdé speciei, posse producere eosdem numero effectus, quia quanuis effectus, solo numero differentes sint ęqualis perfectionis, cuiusuis tamé effectus differétia indiuidualis requirit, vt conditioné sui fieri determinatú agés sicut determinatú tempus, & locum: vnde propter hanc rationé, neq; idé agens potest hoc tépore producere effectú eúdé numero, qué in alio produxit, aut potuisset producere, quáuis sit eiusdé virtutis in vtroq; tépore, solú quia differétia indiuidualis illius effectus requirit, vt códitioné sui fieri determinatú illud tempus.

Ad illá cófirmationé negatur cósequétia, quia plura requirútur ad vnitaté effectus, quá ad diuersitaté illius, ad iddentitaté enim, vel vnitaté requiritur aggregatio omniú circunstantiarum: ad diuersitatem vero vnius tantum circunstantiæ diuersitas, temporis, vel agentis sufficit.

Dicendú est tamé secundo fieri posse, per absolutá, & diuinápotentiá, vt effectus, qui ab aliquo agéte productus est, vel potuit produci, idé numero producatur ab aliquo alio agéte. Ratio huius conclusionis facilis est, quia nó obstáte ꝙ differétia indiuidualis huius effectus requirit, vt códitioné sui fieri hoc determinatú agés, potest Deus se solo sine hoc determinato agéte efficere eundé numero effectú, vt per se patet: ergo similiter poterit eundé efficere medio aliquo agéte, & causa secúda, quia potest Deus cú nulla in hoc inuoluatur repugnátia, *Assert. 2.*

suo concursu supplere deffectũ illius cõditionis requisitæ, cũ nõ sit intrinseca, vel essentialis effectui, vel eodẽ cõcursu, poterit supplere deffectũ virtutis alterius agẽtis ad efficiẽdũ eundẽ numero effectũ, quẽ aliud agẽs posset, & deberet naturaliter ꝓducere

QVAESTIO. IX.

Vtrum forma sit ratio agendi.

SV pradiximus, q̃ efficiens, seu agens, est duplex, aliud est agens, quod & hoc est suppositum, quod operatur, aliud vero est agẽs quo, seu ratio agẽdi: qualiter in igne calor est ratio formalis calefaciẽdi & idẽ est de aliis formis accidentalibus. Núc vero quærimus, an etiã forma substantialis sit ratio agẽdi, ita quod sit principiũ radicale operandi, neq; loquimur de forma incõparatione ad subiectũ, quod informat, sic enim potius se haber, vt causa formalis, quàm vt efficiẽs, sed loquimur de forma. v. g. ignis respectu effectus producti ab ipso igne, an respectu illius forma sit ratio agendi.

Forma est ratio agẽdi. Hoc supposito dico primo forma est ratio & principiũ agendi, ita quod si sit accidẽtalis, sit principiũ proximum, si vero substantialis, sit principium radicale agendi: docuit hanc conclusionem Aristot. sæpissime, dicens, materiã esse principiũ passiuum, formã vero actiuũ. Et ratio est, quia agere, & pati sunt rationes maxime diuersæ, & ita debẽt habere diuersa principia: sed materia est principiũ patiendi, quia est pura potentia: ergo forma debet esse principium agendi. Secundo quia vnũ quodq; operatur in quãtum est in actu. v. g. quia ignis actu habet calorem, calefacit: sed vnúquodq; constituitur in vltimo actu, & in vltima perfectione per formã: ergo forma est ratio agendi.

Oritur difficultas. Sed statim oriebatur difficultas: nã videtur, quod etiã materia sit ratio agendi. Nã si vnũ calidum sit densius alio, magis calefacit, quàm aliud rarũ, & ita ferrũ cãdens in stupa producit ignẽ, quẽ tamen non producit lignũ calidum: sed tota ratio huius est propter maiorem densitatẽ materiæ: ergo materia etiam est ratio agendi: hæc tamen difficultas, licèt hoc loco à pluribus tractari soleat, habet tamen propriam sedem 1. lib. de generatione, c. 4. vbi late agitur de alteratione, & ita in eo loco à nobis tractãda est.

Dico

Dico secũdo, vt forma aliqua naturaliter agat debet habere naturalem modum essendi, & non supernaturalem, volo dicere; quod vt agens aliquod naturaliter agat, debet habere naturalẽ modum essendi, hæc enim est ratio, quare Theologi asserunt ChristumDominumin Sacramẽto Eucharistiæ, naturaliter loquendo, nihil posse agere, aut pati: quia est modo quodam supernaturali, & indiuisibili, est enim totus in tota hostia, & totus in qualibet parte. Ratio à priori est; quia operari sequitur esse, & ita quando esse rei, est, modo supernaturali, ab illo nulla actio naturaliter oriri potest, nisi solum supernaturaliter: sed de hac relatius disputant Theologi, in materia de Eucharistia.

Quid sit agẽs vniuocum, quid æquiuocum.

Ex dictis hactenus sequitur, quid sit agẽs vniuocum, & quid æquiuocum: nã cum forma sit principium agendi: quando agens producit effectum eiusdem speciei cũ illo, tunc est agens vniuocum, vt quando ignis producit ignem: nam ignis generans, & genitus habent eandem formam secundum speciem, & talis actio productiua appellatur actio vniuoca, agens vero æquiuocum appellatur, quando producit effectum diuersæ speciei ab illo, vt Deus est causa ęquiuocã effectuũ, qui producuntur in his inferioribus, quia est diuersæ rationis ab illis, & talis actio productiua, appellatur actio æquiuoca. Ex quo vlterius fit, quod actiones nõ distinguuntur specie, ex eo quod sit vniuoca, vel æquiuoca: nam eadem actio, quę respectu vnius agentis est vniuoca, respectu alterius est æquiuoca. V.g. calefactio respectu caloris, à quo fit est actio vniuoca, quia producit calorem eiusdem speciei, tamen respectu ignis à quo etiã fit, est æquiuoca: quia ignis est diuersæ rationis à calore producto per illam, imò nulla est actio vniuoca secundarũ causarum, quæ saltem respectu Dei, à quo prouenit non sit æquiuoca.

Tertio ex dictis infertur, qualiter sit intelligendũ principium illud: *Omne agens producit sibi simile*: Nam agentia vniuoca producunt sibi simile formaliter, quia producunt effectum eiusdem speciei: agentia vero ęquiuoca nõ producunt sibi simile formaliter, sed virtualiter, quia cum omnis causa virtualiter contineat effectũ, eo quod habet virtutem ad producendum illum, hinc est quod quilibet *Assert.* 3

effectũ

effectus produ^us saltem virtualiter est similis suæ causæ, quantumuis sit diuersæ speciei ab illa.

QVAESTIO. X.
Vtrum accidentia effectiue attingant ad productionem substantiæ.

QVæstio hæc celebris, & satis controuersa est inter Authores & Phylosophos: partem negatiuam tenet Scotus in. . distinctione. 37. & in. 4. distinctione 14. quæst. 3. Duran. in. 1. dist. 2. quæst 2. Valesf. contro. 14 Iand. 1. lib. de anima quæst. 8. & probari videtur his argumentis. Primo quia vnum quodque operatur in quantú est in actu: sed accident a nullum actum substantialem includunt: ergo nó possunt producere substantiam.

1. Sentent.

Rationes du'itandi.

Secundò quia imperfectus non potest attingere ad productionem perfectioris: sed accidés est imperfectius substantia: ergo non potest effectiuè attingere ad productionem illius.

Tertiò quia tota operatio caloris est calefactio: sed calefactio est productio caloris, qui est accidés, & nó substantia: ergo accidentia non attingunt ad productioné substantiæ.

Quartò quia vnum quodque agens producit sibi simile: sed substantia non est similis accidenti, imò potius sunt diuersi generis: ergo accidentia non producunt substantiã, & ita inquit Scotus, quando ignis producit in ligno formam substantialem ignis, calor non attingit effectiuè vltimatam productioné formæ substantialis ignis, sed solum disponit, & præparat materiam, & deinde ipse ignis producit formam substantialem ignis in ligno.

Dico primo in hac quæstione, accidentia dispositiuè attingunt ad productionem substantiæ. In qua conclusione omnes conueniunt, nullus enim negare potest, quim calor disponat, & præparet materiam ligni, vt in ea introducatur forma ignis: sed hoc est attingere dispositiuè: ergo accidentia ad minus attingunt dispositiuè ad productionem substantiæ. *Assertio. 1.*

Dico secundo accidentia non attingunt ad productionem substantiæ effectiuè, vt causæ principales. In hac etiam conclusione conueniunt autores supra citati. Ratio est: quia causa efficiés principalis, vt supra nó debet *Assertio.*

esse in proportionata & in perfectior effectu: sed accidens est imperfectius substantia: ergo nõ est causa principalis producendi alteram substantiam, sed sola substantia est causa principalis productionis alterius substantiæ & ita ignis producit ignem.

Sed obijcies: quod producit vltimam dispositioné ad formam substantialem producit, etiam illam formam quia consequitur ad talem dispositionem, verbi gratia, quod producit calorem, vt octo qui est vltima dispositio ad formam ignis, etiam producit formam ignis, quia consequitur ad talem dispositionem: sed calor vt octo potest produci ab alio calore, vt octo, qui est accidens, vt à causa principali: ergo etiam potest producere vt causa principalis formam substantialem ignis. Respondetur, quod illud quod producit vltimam dispositionem, producit formã, sed non eodem modo: nam dispositionem producit, vt causa principalis, formam vero, vt causa instrumentalis. Cuius ratio differentię est: nã quia calor vt octo habet proportionem cum calore vt octo producto in ligno, qui est vltima dispositio ad formam ignis, ideo vt causa principalis attingit productioné vltimæ dispositionis: tamẽ quia non habet proportionem cũ forma substantiali ignis, ideo respectu illius non est causa principalis, sed instrumentalis, vt iam dicam.

Quomodo accidentia producant substantiã.

Vnde dico tertio, accidentia effectiue attingunt ad productionem substantiæ, saltẽ vt causæ instrumentales. Tenet sanctus Thomas. 1. parte quæst. 77. art. 1. & 3. parte. q. 77. art. 3. & ibidẽ Caietanus Ferr. 4. contra gentes cap. 66. Capreolus in. 4. distinctione. 12. quæst. 1. Sotus hoc libro quæst. 3. Toletus quęstio. 4. Sonc. 7 Meth. quæst. 7. & Auerroes. 12. Metha. comenta 18. Denique est communis sẽtẽtia & probatur in primis, quod attingãt effectiue: quia substantia non est immediatum principium operãdi, præcipue in actionibus transeuntibus, vt supra: ergo ignis nõ producit talem ignem, immediate, sed mediante calore: ergo accidentia effectiue attingunt ad productionem substantię.

Secundo, quia viuentia mediante potentia nutritiua effectiue conuertunt alimentum in suam substantiam: sed potentia nutritiua est accidens de prædicamento qualitatis: ergo accidentia effectiue pro-

producunt substantiã. Quod vero illam attingant vt causæ instrumẽtales patet ex dictis: quia non attingunt illam: vt causæ principales, vt ostẽsum est, quia habent virtutem in proportionatam, & in sufficientem cum sint inferiores ordinis: ergo solum vt causa instrumentalis.

Duplex dubitatio.

Sed statim duplex oritur dubitatio prima est, quæ accidentia effectiue attingant ad productionem substantię, an illa quę sunt in agente, vel potius, quæ sunt in passo, verbi gratia, quando ignis comburit lignum duplicem calorẽ: possumus considerare alterũ, qui est in hæsiue in igne producente alterum vero, qui est in passo, nẽpe in ligno, dubium ergo est, an illa sola accidentia, quæ sunt in agente effectiue attingant ad productionem substantiæ, vel potius illa, quę sunt in passo. Cõmunis sententia asserit solũ illa accidẽtia, quę sunt in agẽte attingere effectiue ad productionem substantiæ, non vero illa quę sunt in passo. In quo communiter locuturi illi authores. Ratio est: quia causa efficiens non potest causare, nisi actu existat à parte rei, & quia isti asserunt accidentia subiectari in toto composito, ideo accidẽtia, quę sunt in passo, verbi gratia in ligno non sunt in instanti generationis ignis, quia iam non est lignum in quo secundum istos subiectantur, & ita corrumpuntur ad corruptionem subiecti: ergo non possunt effectiue attingere ad substantiæ productionem, cum in eo instanti, quo substantia ignis producitur, iam non sint. Veruntamen hoc fundamentum falsum est, vt iam vidimus libro. 1. Physic. disputatione. 5. vbi ostendimus accidentia non subiectari in toto composito, sed in materia prima. Quare nobis dicendum est, vtraque accidentia effectiue attingere ad productionem substantię, tam quæ sunt in agente, quã illa quę sunt in passo, sed diuersimode: nam quæ sunt in passo attingunt immediate, quæ vero sunt in agenti mediate, scilicet mediantibus illis, quæ sunt in passo, & probatur in primis, quod accidentia quæ sunt in passo effectiue producãt substantiã: quia multo magis tangunt passum, illa quæ sunt in hæsiue in passo, quã illa quæ sunt in agẽte: ergo multo meli' possunt in illa producere formã substãtialẽ, quã illo, quę sunt in agenti: nam ratio opposi tæ sententiæ cessat in nostra opinio-

Tam accidentia quæ sunt in agẽte quã quæ sunt in passo effectiue attingunt productionẽ substant.

opinione: nam cum asseramus accidentia subiectari in materia, & ita eadem numero accidentia, quæ fuerunt incorrupto manere ingenito, adhuc durant accidentia, quæ sunt in passo tempore, quo producunt formam substantialem.

Etsi obijcias: nam accidens non agit in subiecto in quo est, verbi gratia, calor ligni non producit in ligno alium calorem: ergo cum accidentia sint in materia prima, non possunt in illa effectiue producere formam substantialem.

Respondetur quod accidentia non possunt agere in subiecto in quo sunt actione vniuoca, vt calor producendo calorem: bene tamen actione æquiuoca, scilicet producendo effectum diuersæ rationis, qualiter species intelligibilis, quæ est in intellectu producit in eodem intellectu verbum mentis actione æquiuoca in omnium opinione. Ita similiter accidentia actione æquiuoca producunt in materia prima, formam substantialem.

Ex quibus infero, quod vltima dispositio effectiuè attingit ad productionem formæ: nam vt etiam 1. lib. loco allegato dixi: dispositio vltima est illa, quæ dum se tenet ex parte materiæ ad tantam peruenit intentionem, vt sufficiens sit totaliter expellere formam præexistentem, & ita nouam inducere, qualis est calor vt octo respectu formæ ignis: sed dispositiones, quæ sunt in materia passi effectiue attingunt ad productionem substantiæ, vt dixi: ergo vltima dispositio effectiue attingit ad productionem formę.

Addo præterea, accidentia illa quæ sunt in passo etiam concurrere dispositiue, & ita in genere causæ materialis ad productionem formæ substantialis: quia dum expellũt contrarias dispositiones conseruatiuas formæ præexistentes, præparant, & disponunt materiam ad introductionẽ illius formę, & ita dispositiue etiam attingit talem productionem.

Quod vero accidentia, quæ sunt in agente effectiue mediate attingant ad productionem substãtiæ probatur quia illa est causa mediata quæ producit causam immediate attingentem effectum. Sed accidentia quæ sunt in agente producunt dispositiones in passo, quæ talem productionem immediate attingunt, vt dictum est: ergo accidentia-

accidentia quæ sunt in agente attingunt illam effectiue mediate.

Secunda dubitatio est, an accidentia quando in virtute substantiæ producunt aliam substantiam, accipiant de nouo aliquam virtutem à substantia in cuius virtute operantur, respondeo breuiter nihil intrinsecum de nouo illis aduenire, sed sicut supra diximus de instrumentis in generali loquendo, quod solum dicuntur operari, vt mota à causa principali: quia causa principalis communicat illis suam actionem, & ita per illam dicuntur quodammodo eleuari: ita accidentia operari in virtute substantiæ aut eleuata à substantia, nihil aliud est, quam quod substantia communicet illis suam actionem, ita quod vtrumque eadem actione operetur, vt agentia subordinata, & quia illa actio productiua substantiæ non posset fieri à solis accidentibus, nisi substantia cooperaretur cum illis, ideo dicuntur operari in virtute substantiæ, seu eleuata à causa principali. Et breuiter ratio est: quia si ignis cõmunicat calori aliquã virtutem de nouo vt attingat ad productionem substantiæ ignis, vel illa virtus recepta in calore est aliquid substantiale, vel accidentale: non substantiale: quia in accidenti nulla substantia potest recipi: non accidentale, quia adhuc manet inferioris ordinis cum substantia, quam producit, & ita opus esset eleuari per aliam virtutem super additam, de qua similis ratio fieri potest, & sic in infinitum, legantur dicta loco allegato, & hic in simili applicentur.

Ad argumenta Scoti respondetur, ad primum, quod quælibet causa continet effectum virtualiter, tamen est differentia, quod causa principalis continet effectum in actu virtuali completo, quia habet sufficientem, & proportionatam virtutem cum illo; tamen instrumentum continet effectum in actu virtuali, tamen in completo, & in proportionato, quia habet virtutem in proportionatam ad illum. Quamuis ergo accidens formaliter non contineat substantiam, tamen continet illam virtualiter in completè in quantum habet virtutem in proportionatam ad producendam illam. *Resp. ad 1 um.*

Ad secundum quod in perfectius non potest attingere, vt causa principalis ad

productionem perfectioris, bene tamen vt instrumétum: quia tunc operatur in virtute causæ principalis, quæ non est minus perfecta, quàm effe ctus.

Ad tertium, quod calor habet duplicem actionem, aliam quam efficit vt causa principalis, & ista est calefactio, quà producit calorem sibi similem, aliam vero, vt instrumentum ignis, & hæc nõ est calefactio, sed actio substantialis productiua substantiæ ignis, quæ apellatur igne factio.

Ad.4. Ad quartum, quod effectus non debet asimilari causæ instrumentali, sed principali, & hoc vel formaliter, vt in causis vniuocis, vel virtualiter, vt in æquiuocis, vt iam dictum est superiori quæstione.

QVAESTIO. XI.

Quid sit causæ efficientis causalitas.

EGimus hactenus de causa efficienti, & de requisitis ad illam, nunc vero de eius causalitate agendum est, quod non minorem habet difficultatem, & quidem de præsenti difficultate variæ senserunt autores: quidam enim asserunt, causalitatem causæ efficientis non esse actionem aliquam, sed influxum causæ efficiétis in effectum, quid vero sit iste influxus, non satis explicant. Sic tenet Soncinas, & Iabelus 5. Met. quæstione. 4. alij vero asserunt esse relationẽ quãdam ad effectum: quorũ fundamentum esse potest. Quia accidens, vt sic, dicit relationem ad passum: ergo actio à qua denominatur debet esse relatio aliqua.

Nihilominus dico primo, causalitas causæ efficientis non est relatio aliqua de prędicaméto relationis, sic tenet Fonsec. 5. Meta. cap. 2. quęst. 13. & est cõmunis sententia, qua probatur plane hac ratione. Quia relatio efficientis ad effectum supponit ipsum effectum productum: nam fundatur in actione productiua effectus: ergo supponit causalitaté illam, qua effectus producitur: ergo talis causalitas aliquid præuium est ante relationem; atque adeo non potest cõsistere in illa: ergo debet esse aliqua entitas absoluta. Assertio. 1.

Dico sęcúdo, causalitas causæ Assertio. 2.

sae efficientis est actio, media qua, efficiens producit terminum. Hanc conclusionem tenet Albertus hoc lib. tractat. 2. cap. 6. & Diuus Thomas. 5. Meta. cap. 2. quos omnes sequuntur, & eam docuit Aristotel. 3. lib. Physicorum textu. 19. vbi dicit, actionem esse actum actiui, sed actiuũ idem est, quod efficiens: ergo eius actio, seu causalitas est actio. Secundo, quia, per actionem causa efficiens aliquid efficit seu producit: ergo eius causalitas consistit in actione.

Quid aduertẽ.

Est tamen aduertẽdum, ꝙ actio proprie talis appellatur respectu termini, quem agit & producit, tamen respectu subiecti quando illud praesupponit iam praeexistẽs, est mutatio.

Secundo aduertendum est, quod quando dicimus actionem, seu productionem producere aliquid, solum debet intelligi, vt quo, idest, est id quo aliud producitur, efficiens vero est quod proprie dicitur producere, aut agere.

Sed dubitabit aliquis, quis sit effectus formalis actionis: nam Soncin. & Iabelus loco supra allegato dicũt, effectũ formalem actionis esse agere; effectum vero formalem passionis pati. Sed reuera non satis explicãt, quid aliud significet agere praeter actionẽ, aut pati, praeter passionem, quae est actus subsistendi rẽ in se. Dicendum ergo est quod cũ actio, & passio distinguantur ratione tantũm, vt vidimus in praedicamẽtis in capite de actione, & de passione debent habere diuersum effectũ formalẽ, quae diuersitas in hoc consistit, quod cum actio ex sua natura sit via & tẽdentia ad terminum, constituit subiectũ in via, & tendẽtia ad terminum: passio vero constituit subiectũ, quasi in ipsa actuali receptione termini, & ita habent diuersum effectũ formalem, & hinc patet, qualiter sit intelligendum, quod communiter dici solet, actionem differre à passione: quia actio dicit ordinem ad agẽs, passio vero ad passum, neque enim negari potest, etiã actionem ex sua intrinseca essentia dicere ordinem ad passum, in quo recipitur: namordo ad subiectum in quo recipitur est de intrinseca essentia cuiusuis actionis: ergo etiam vt actio, dicit ordinem ad passum, quod est subiectum in quo recipitur: debet ergo intelligi praedicta differentia hoc modo, ꝙ actio, vt actio est praeter ordinẽ

ad subiectum dicit etiam ordinem ad agens: quia est via ab illo procedens: at vero passio, vt sic, tantũ respicit subiectum, quod patitur, & adhuc in tali modo respiciendi subiectum est differentia inter actionem, & passionem: nam actio respicit subiectum constituendo illud in via ad terminum: at vero passio respicit subiectum, vt actu respiciens terminum productum.

Quid sit actio. Dico tertio in hac quæst. actionẽ esse entitatem modalem, & non rem con distinctam contra modum. Probatur plane ex doctrina generali de natura modorum supra à nobis tradita lib. 1. disputatione secunda: nam illa est entitas modalis, quæ neque per diuinam potentiam potest dari absque illa re, quam afficit, sed prorsus in intelligibile est dari actionem sine subiecto, quod per illam sit in via ad terminum, sicut est impossibile intelligi sessionem sine subiecto, quod per illam sedeat: ergo actio est entitas modalis: sicut etiam idem diximus de causalitate formali, & materiali.

Ad rationem quam adfert Soncin. & Iabelus respondetur, quod agens potest sumi duobus modis, vno modo relatiue, & sic dicit relationem ad effectum, fundatam in actione, quæ est relatio secundum esse de secundo genere relatiuorum: alio modo sumitur quasi fundamentaliter, prout habet potentiam actiuam, & sic est aliquod absolutum importans relationem secundum dici: nam omnis potentia dicit relationem secundum dici ad suum subiectum.

QVAESTIO. XII.

Vtrum actio distinguatur ex natura rei à termino producto per illam.

SVppono primo actionem realiter distingui ab agenti in creatis. *Supp. I.* In quo omnes conueniunt. Ratio est: quia potest dari à parte rei causa efficiens, quin actu operetur: sed quoties datur, aut dari potest vnum sine alio à parte rei distinguuntur ex natura rei; ergo. Et hinc habuit ortum Axioma illud, quod in creaturis esse & operari distinguuntur.

guûtur realiter, quod non ita est in Deo, nam quanuis actiones transeuntes, quæ proueniunt adeo dinstinguantur realter ab illo, quia cum sint aliquid extra Deũ, sunt quid creatum: Deus vero est aliquid in creatum, tamen actiones immanentes ipsius Dei non distinguuntur ex natura rei ab illo, vt intellectio & volitio Dei, quod late probant Theologi. 1. part. quæst. 14. & ratio est: nam quicquid est in Deo debet esse summa perfectio cum Deus nullam imperfectionẽ includat, sed summa perfectio est De⁹: ergo quidquid est in Deo est Deus, ergo actiones in manentes Dei nõ distinguuntur ab illo ex natura rei, & ita hoc modo esse & operari in Deo sunt idem realiter.

Suppono secundo actionem & pasiionem realiter distingui semper à subuiecto, in quo sunt & consequenter motum, cum sit idem realiter cũ actione & psione. Quam sententiam consequenter tueri tenentur authores, qui opinantur omnia accidentia realiter distingui à subiecto, in quo sunt; quos retulimus in Logica disputantes de prædicamento in communi, vbi hanc sententiam, vt verisimam amplexati fuimus: & breuiter nunc ratio sit. Quia dependentia realis debet esse inter extrema realiter distincta, cum dependere sit ab alio pendere, & ita dependentia realis est ab alio distincto realiter & non à se ipso: sed omnia accidentia habent realem dependentiã à subiecto, quia causantur ab illo, vt causa materiali, ergo distinguũtur realiter ab illo atq; adeò actio & passio realiter distinguuntur à subiecto in quo sunt, scilicet à passo.

Restat ergo difficultas vtrum actio ex natura rei distinguatur à termino producto, qui est effectus ab illa causatus. Quam difficultatem sæpe sæpius, præcipuè tamen in prædicamentis capite de actione & passione vsque ad hanc locum examinandam reliquimus.

In hac re communis sententiã & satis in scholis recepta asserit, actionem, seu motum, quod idem est, non distingui ex natura rei à termino producto, sed solum ratione, & reuera est sententia S.Thom. 5. lib. physic. super textum. 9. & sæpe alibi. Tenet etiam Sonc. 5. met. quæst. 4. & ibidem Iabellus Ferr. 3. physic. quæst. 2. & ibidem Sotus, Tolet. quæst. 3 Perei. lib. 13. physicorum cap. 10. &

quam plurimi alii. Probantque suam sententiam ex Aristotel. 3. physicorum textu. 4. vbi dicunt Aristot. dicere, *Quod motus nihil est praeter res ad quas est motus.* Et ratione probant primo, nam eadem res, quæ postquam est facta, est iam in facto esse, ante fuit in fieri, scilicet, quando actu fiebat: sed actio seu motus, idē est, quod res in fieri: ergo actio & terminus productus sunt idem realiter.

Secundo, quia si actio est entitas diuersa à termino, fieret per aliam actionem diuersam ab illa, qua fit terminus, & ita ad actionem daretur actio. Patet consequentia: quia diuersæ entitates diuersas postulant productiones.

Tertio, nam si actio, seu motus realiter distinguitur à termino: ergo habet existentiam ex natura rei diuersam ab existētia termini: nam vt supra latè ostendimus, diuersæ entitates diuersas habent existentias: ex quo vlterius fieret saltem de potentia absoluta posse dari à parte rei actionem sine termino, v.g. calefactionem sine calore, quod est omnino intelligibile.

Quarto, quia nulla esset ratio ad probandum, quod vnicus terminus, tantum postulet vnicam actionē: nam, si actio & terminus distinguuntur realiter, quare non poterit duplex actio terminari ad eundem terminum: neque video pro hac sententia alia firmiora fundamenta.

Veruntamen pro exacta intelligentia huius rei aduertendum est, quod inter res, quæ producuntur à parte rei quædam dependent ab agenti per suam intrinsecam essentiam, qua ratione relatio per suam intrinsecam essentiam pendet à fundamento, quod quidem fundamentum est causa efficiens relationis, vt ostendimus capite de relatione, & actio per suam intrinsecā essentiam pendet ab agenti: alia vero sunt, quæ per suam intrinsecam essentiam non pendent ab alio à gente in particulari, à quo fiunt. Qualiter homo genitus non pendet à patre generante per suam essentiam: nam adhuc corrupto patre, optime conseruatur filius. *Quid aduerte.*

Hoc supposito dico primo, actio, quæ est vera actio de prædicamento actionis ex natura rei distinguitur à suo termino. Hæc conclusio in scholis nostris parum recepta est, sed

Vera actio de prædicamento actionis ex natura rei distinguitur à suo termino.

sed certe est verissima, quam tenet Paulus Venet. 3. physicorum textu. 29. Aureolus apud Capreolum in. 2. disput. prima, quæstione 2. articulo 2. Vallesi. controuersia. 2. Ferra. 1. contra gentes cap. 33. eandem etiam sententiam communiter tenēt, qui existimant omnia prędicamenta distingui ex natura rei. Cuius sententiæ quàm plurimos retulimus auctores in Logica disputatione de prædicamento in communi: ratio est, quia terminus actionis aliquando est qualitas, aliquando vero substantia, ipsa vero actio est de prædicamento actionis: ergo qui existimant omnia prædicamenta distingui ex natura rei, consequenter tenentur fateri actionem, & terminum eius distingui ex natura rei, imò & eandem sententiam tueri tenetur Scot. asserens omnem actionem subiectari in agente, quia terminus nō subiectatur in agēte, sed in passo in actionibus transeuntibus: v. g. calor productus ab igne subiectatur in ligno, non vero in agente: ergo tenetur communiter fateri Scotus actionem, & terminum non esse eandem entitatem, & ita hæc sententia, non est, ita singularis, vt plures existimant.

Sed rationibus euidenter probari potest: primo, quia quotiescumque aliqua duo possunt separari à parte rei, etiam si talis separatio sit non mutua distinguuntur realiter: sed actio & terminus hoc modo se habent: nam quanuis non possint dari actio sine termino, tamen datur terminus transacta iam actione, qua productus fuit. Qualiter transacta generatione hominis, adhuc manet homo: ergo actio & eius terminus distinguuntur realiter. Minor patet, maior vero sæpe à nobis ostensa est: quia idem non potest esse sine se ipso, & ita non potest separari à se ipso: ergo quotiescumque aliqua duo à parte rei separantur, realiter distinguuntur.

Etsi respondeas, quod quanuis terminus maneat sine formalitate actionis, non tamen manet sine entitate actionis, quia entitas actionis est ipse terminus. Contra argumentor sic, quia hæc distinctio inter rationes formales non est à parte rei, sed per intellectum: ergo quotiescumque detur à parte rei vna ratio sine alia, illæ rationes non solum distinguuntur formaliter & per intellectum, sed realiter & entitatiue à parte

prie tales, sed quæ appellantur simplex resultantia, aut simplex emanatio. Ita docet Caietanus 1. part. quæst. 76. artic. 6. Et ratio à priori est: quia sunt quædam res, quæ per suam intrinsecam essentiam habent dependentiam à tali numero àgente à quo fiunt, ita quod non ab alio: ergo tales res non indigêt vt dependeant ab àgente infieri actione aliqua super addita media inter agens & talem effectum. Antecedens probatur discurrendo per plura prædicamenta: nam in primis in prædicamento relationis, relatio causatur efficienter à suo fundamento, vt probatum est capite de relatione, non tamen fit per actionem aliquam super additam. Et probatur, tum quia per suam intrinsecam essentiam dependet à fundamento, cum sit modus illius: ergo non indiget quando fit alia actione super addita per quam infieri ab illo dependeat. tum etiam qui si fundamentum esset causa relationis per actionem super additam, ergo illa actio fundaret aliam relationē causæ ad effectum & illa actio per quam fieret illa relatio fundaret aliam relationem, & sic in infinitum: ergo actio per quam fundamentum causat suam relationem non est aliud super additum ipsi relationi, & medium inter fundamentum & relationem, & hinc Aristot. 5. physic. text. 10. optime dixit, quod ad relationem non est per se mutatio, nec motus, idest non datur actio aliqua media per quam fiat. Similiter in prædicamēto substantiæ subsistentia non fit ab essentia per actionem aliquam super additam. Primo quia vt lib. 1. disp. 5. diximus subsistentia est modus essentiæ, modus autem per suam intrinsecam essentiam pendet à subiecto quod modificat: ergo subsistentia per suā intimam essentiam pendet ab essentia, ergo non indiget actione super addita, qua fiat.

Secundo, quia si fieret per actionem prædicamentalem & super additam, cum talis actio sit accidens & prius natura quam terminus, iam subsistentia prius natura, quam subsisteret substaret accidentibus, quod est impossibile: nam substare supponit per se existere, illud quod substētat, quod tamen habet per subsistentiam: ergo subsistentia etiam non fit per actionem super additam. Denique omnes modi, qui efficienter causantur à subiecto in quo sunt

sunt, non possunt fieri per actionem mediam super additam, quia per suam intimam essentiam pēdent à subiecto quod modificant, qualis, prętereà quę diximus, est figura: nam in productione figuræ duas actiones possumus intelligere, aliā, quæ est detractio, vel additio quātitatis, ex qua deinde resultat talis, vel talis figura: aliam vero qua per simplicē resultantiam resultat figura ex tali additione, vel detractione & hęc non est actio vera de prędicamento actionis, quæ sit media inter producēs & productū. Similiter duratio quæ est præsentia rei in tempore pertinens ad prędicamentū. Quādo cum oriatur effecti ... à propria re, quę durat, & sit modus illius, per suam essentiam pendet ab illa, & ita non fit actione media & superaddita, & ita istę actiones appellādę sunt trāscendentales: quia diuagantur per plura prædicamenta: nam actio, qua fit relatio, non est aliquid illi super additum, neque actio qua fit subsistentia, quæ est de prædicamento substantiæ, aut figura quæ est de prædicamento qualitatis, & tandem actio de prædicamento actionis: quia per suam essentiam pendet ab agente, non indiget alia actione per quam fiat, & ita ad actionem non datur actio.

Et si obijcias sequitur quod nulla res fiat à Deo per actionem propriè dictam & prædicamentalem. Patet consequentia, quia quælibet res per suam intrinsecam essentiam pendet à Deo, ergo non indiget actione distincta & super addita, vt pendeat ab illo quando fit. Respondetur negando cōsequentiam: quia quanuis necessario quælibet res pendeat à Deo non tamen præcisè ex vi solius essentiæ, sed per actionem mediam inter Deum & rem factam, quod secus est de actione: nam precissè per suam essentiam pendet ab agente & relatio à fundamento cum sit modus illius.

Ex dictis dico tertio actionem prædicamentalem distinctam à termino solum terminari ad quatuor prædicamenta, scilicet ab substantiam quantitatem qualitatem & vbi. Ratio est, quia hæc omnia possunt dari à parte rei absque actione illa qua primo producta sunt, & ita distinguuntur ex natura rei à tali actione de substantia patet: nam transacta generatione Assert. 3.

ne hominis adhuc manet homo, & de quantitate idem patet: nam in sacramento altaris conseruatur à solo Deo per actionem diuersam ab illa, qua conseruabatur antea à substantia ipsa: nam per hanc secundam conseruatur independenter à subiecto, per priorem vero cõseruatur dependenter ab illo & modo naturali. De qualitate vero patet, nam saltem aliæ qualitates, præter figuram: verbi gratia, calor cõseruatur transacta prima calefactione, qua productus est. Tandem de vbi patet: nam vbi seu præsentia localis, quod idem est adhuc conseruatur cessante motu locali, quo talis præsentia localis acquisita est: ergo hæc quatuor prædicamenta fiunt per actionem prædicamentalem, diuersam ex natura rei à termino. Quod vero alia non fiant, nisi per actionem transcendentalẽ patet, discurrendo per singula: nam de relatione, actione & de prædicamento quando, quæ est presentia rei in tempore iam diximus. De passione vero patet, quia est idem realiter cum actione, & etiam per suam essentiam pendet ab agente: quia est influxus ab illo prouenięns, quanuis receptus in passo. De situ vero & habitu patet: nam sunt quidam modi præsentię localis, qui effectiue oriuntur à suo subiecto, quanuis aliquando supponant motum localem, medio quo acquiratur situs, vel talis modus habendi, atque adeò per suam essentiam pendent ab illo, ergo ista omnia fiunt per actionem transcendentalem.

Ex dictis patet facilis resolutio ad illam quæstionem, vtrum motus distinguatur realiter à suo termino. Respondetur enim affirmatiue. Ratio est: quia motus est idẽ realiter cum actione prædicamentali in opinione omnium vt dicam 3. lib. physicorum: sed actio prædicamentalis distinguitur realiter à suo termino, vt probatum est: ergo motus semper distinguitur realiter à suo termino: quia motus non inuenitur nisi in actione prædicamentali cum qua identificatur.

Tandem ex dictis in hac quæstione infertur intellectionem realiter distingui a verbo mentis per illam producto & volitionem ab amore per ipsam producto: quia intellectio & volitio sunt

sunt actiones de prædicamento actionis, vt diximus 1. lib. de interpretatione capite 1. disp. 2.

Resp. ad argum. contrariæ sent. Tamen ad argumenta contrariæ sententiæ facile respondetur, & in primis numquam Aristoteles dixit motum nihil esse præter res ad quas est motus, vt patebit legenti textum 4. tertii libri physicorū, vbi solum habentur hæc verba: *Non est autem motus præter res*, idest non datur motus sine termino producto, & hoc verum est, & ita alia versio habet motus autem absque rebus non est, quæ longe clarius rem explicat.

Ad 1. Ad primum respondetur negando quod fieri & factum esse sint idem realiter: nam quanuis verum sit, quòd eadem res, quæ est sub fieri, est postea sub facto esse, tamen res in fieri nō est idem, quod ipsum fieri: nam sicut aliud est corpus quod est sub albedine, aliud vero albedo ipsa, ita aliud est res, quæ est sub fieri, aliud vero ipsum fieri & ita non probatur quod fieri & factum esse sint idem realiter.

Ad 2. Ad secundum quod non quælibet res diuersa ab alia postulat fieri per actionem diuersam super additam, quia fieri potest quod illa res per suam intrinsecam essentiam pendeat ab agente, & ita non indigebit actione super addita per quam fiat, & ita quanuis distinguatur ex natura rei à termino, tamen ad illam non datur actio: quia per suā intrinsecam essentiam pendet ab agenti.

Ad tertium verum esse actionem habere suam propriā existentiam diuersam ab existentia termini, tamen inde non probatur posse dari sine termino, quia quanuis sit diuersa ab illo habet tamē essentialem conexionē cum illo quia cùm sit productio, aliquid debet producere. Ad 3.

Ad quartum verum esse actiones realiter diuersas posse terminari ad eundem terminum, vt diximus de prima productione rei, & de conseruatione eiusdem, quando fiant à diuersis agentibus: tamen ab eodem agente per naturam impossibile est rem fieri duabus actionibus simul: quia cum vna sufficiat, altera autem esset frustra: natura autem nihil agit frustra. De potentia vero absoluta reuera hoc non repugnat: quia nulla implicatio contradictionis assignari potest quod vna res fiat duabus actionibus. Ad 4.

QVA

QVÆSTIO XIII.

Vtrum actio subiectetur in agente, vel potius in passo.

Conueniunt omnes Auctores actionem immanentem subiectari in agente, qualiter intellectio manet intra intellectũ, à quo causatur, ideo enim immanens appellatur, quia intra ipsum agens manet, & ita idem est agens, & passum dum recipit actionem: solũ est difficultas de actione trãseunti.

1. Sentent. In qua re prima sententia, affirmat, etiam actiones transeuntes subiectari in agente, appellarique transeũtes, non quia ipsæ transeant extra agens, sed quia terminus per illas productus transit ad passum externum. Sic docuit Scotus, in 4. distin. 13. quæst. 1. Caietan. 1. par. quæst. 25. articul. 1. neque desunt ad hanc sententiam probandam aliqua argumenta: nam primo est illud argumentum non leue; quia actio denominat subiectum in quo est: sed agens denominatur tale ab actione: ergo actio quælibet est in agente, non vero in passo.

Rationes. Secundo quia quando vnus ignis simul calefacit duo ligna, ibi tantum est vna calefactio: quia tantum est vnicum calefaciens: ergo illa actio non subiectatur in passo, sic enim esset duplex, sicut duplex est passum.

Tertio, quia actus perficit potentiam: ergo debet esse in eodem subiecto, in quo est potentia: nam perfectio debet esse in perfectibili. sed potentia actiua est in agenti, qualiter calor, qui est potentia calefactiua ignis subiectatur in igne: ergo etiam actio subiectatur in agente.

Quarto, quia relatio, & fundamentum, debent esse in eodem, eo quod relatio est in fundamento: sed relatio agentis ad passum est subiectiuè in agente: ergo actio in qua fundatur talis relatio, etiam est subiectiuè in agente. Tandem, quia Aristot. 8. Physicor. textu 15. ex eo probat mundum fuisse ab æterno; quia inquit, si Deus de nouo mundum produxisset mutaretur: ergo sentit Aristot. actionem subiectari in agente, & ita agens mutari, quando de nouo agit.

Nihilominus dico primo in hac quæstione, actio transiens, scilicet, per quam aliquid à dextra producitur,

 non

non subiectatur in agente, sed in passo. Est communis sententia, quam tenent communiter expositores 3. lib. Physicorum, super textum 20. & 23. Sic tenet Themistius, Alexander, Simplicius, & Auerroes, Ferrara eodem lib. quæst. 4. & Diuus Thom. 2. contra gentes cap. 1. Et probatur in primis ex Aristotel. 3. Physi. textu 20. & 23. vbi dicit motum esse in mobili: sed mobile est passum, quod mouetur: ergo sentit actionem esse in passo. Et similia docet 9. Meta. text. 16. & 3. de anima, textu 39. Et ratione probatur: quia si actio est subiectiuè in agente, sequitur, quod agens dum agit mutetur: probatur consequentia, quia de nouo reciperet in se aliquid, nempe actionem, & ita mutaretur, consequens autem est falsum: nam cum Deus multa de nouo operetur per actionem, sequeretur Deum mutari, quod est absurdum.

Secundo, quia actio, & passio, sunt idem realiter: sed passio subiectatur in passo: ergo, & actio. Denique ab ethimologia nominis plane hoc probatur. Ideo enim appellatur actio transiens, non solum quia terminus per illam productus transit extra agens, sed etiam, quia actio ipsa transit, aliàs nulla esset differentia, inter actionem immanentem, & transeuntem, quantum est ex parte ipsius actionis; si vtraque manet in agente.

Dico secundo, actio non potest subiectari in termino producto. In hac conclusione omnes conueniunt. Et probatur plane, primo ex Aristotele locis citatis, vbi afferit, motum subiectari in mobili, idest, in eo quod mouetur, seu mutatur per actionem illam: sed terminus non mutatur per actionem, nam mutatio est, qua subiectum aliter se habet, nunc quam prius, & ita, id quod mutatur debet præexistere: sed terminus cum fiat de nouo, non preexistebat antea: ergo per actionem, qua fit, nõ mutatur, & ita actio non subiectatur in termino. Assert. 2.

Secundo, quia subiectum debet supponi productum, ante aquam recipiat aliquod accidens: sed terminus non supponitur productus ante actionem, imò per illam producitur à parte rei: ergo non potest subiectari in illo.

Sed obiicies: nam terminus denominatur productus ab actione productiua: ergo talis

talis actio subiectatur in illo, aliàs denominatio, qua terminus denominatur productus, tantum esset extrinseca denominatio. Sicut colorem esse visum. Respondetur negando consequentiam, imò potius terminus denominatur productus per denominationem intrinsecam, nô quia actio sit in illo inhæsiuè, sed quia intime illi coniungitur in passo; & ita actio est intime illi vnita, quasi adhæsiue: nam, vt dicam conclusione sequenti, actio, & terminus subiectantur in passo, & ita: quia in passo actio intime coniungitur cum termino, tanquam via per quam fit terminus, ideo terminus denominatur productus per denominationem intrinsecam, ad modum, quo supradiximus, quod quãuis vnio materiæ cum forma subiectetur in materia, cum hoc tamen forma denominatur, vnita per denominationem intrinsecam: quia talis modus vnionis, saltè est in forma adhæsiue.

Assert. 3. Dico tertio, actio, & terminus per illam productus, debent necessario subiectari in eodem subiecto, nempe in passo. Probatur plane: quia actio, cum sit accidens debet subiectari, in aliquo subiecto, nô in termino, vt probatum est, neque in agente: ergo in passo; sed etiã terminus subiectatur in passo: qualiter lignum recipit calorem productum per calefactionem, quia ex illius potentia educitur: ergo actio, & terminus in eodem subiectantur.

Tandem ad argumẽta con- Resp. ad argum. contrariæ senten. trariæ sentẽtiæ respondetur. Ad primũ, quod quãuis agẽs quod agit actione immanẽti denominetur tale denominatione intrinseca: quia actio inhæsiue est in illo, tamen agens, quod agit actione transeunti, denominatur tale: extrinseca denominatione ab actione, quæ est in passo.

Et si instes: nam quando forma denominat aliquid, extrinsecè tale, debet denominare subiectum, in quo est intrinsece tale. v. g. columna denominatur dextra extrinseca denominatione ad exteritate, quæ est in animali, & ipsum animal denominatur intrinsecè dextrum ab eadem dexteritate: ergo similiter si agẽs denominatur tale per extrinsecã denominationem ab actione: ergo debet dari aliud, quo denominetur intrinsece agens; non aliud, nisi passum ergo, Respõdetur verũ esse, quod

omnis forma, quæ denominat aliquid tale extrinsecè debet denominare aliud intrinsece: sed non semper eadem denominatione, sed vel eadem, vel diuersa: verbi gratia, oculus denominatur videns à visione, sibi intrinseca, tamen color nō denominatur videns, sed visus. Sic ergo actio denominat agens extrinseca denominatione, passum vero denominat intrinsece esse, in via ad terminum, seu esse mutatum: hoc autem, quod est denominare vtrunque eadem denominatione, vel diuersa, prouenit, ex diuersa natura formarum.

Ad secuudum, quod quādo vnus ignis calefacit duo ligna, ibi, non est vnica actio, sed duplex: quia est duplex passum, in quo, subiectatur; vtraque tamen actio prouenit ab eodem agente, quod non est inconueniens, idem agere plura, præsertim circa diuersa subiecta.

Addo tamen, quod si è contra duo ignes simul applicentur, ad comburendum idem lignum, non calefaciunt, per eandem numero calefactionem. Ratio est: quia cum illi ignes non sint penetrati, sed in diuerso loco, non calefaciunt eandem indiuisibilem partem, sed vnus calefacit partem, sibi proximam, & alius aliam partem sibi propinquam: ergo non producunt eundem indiuisibilem calorem, sed diuersum: ergo per diuersam actionem. Si vero fingamus illos duos ignes penetrari, ita, vt idem calor proueniat à duabus causis totalibus non subordinatis, etiā operarentur per diuersam actionem, vt supra ostendimus, & quæstione sequenti, etiam patebit.

Ad tertium, q. quilibet actus perficit potentiam, tamen diuersimode: nam actus potentiæ passiuæ, perficit illam intrinsecè: quia recipitur in illa. Qualiter forma substantialis, perficit potentiam passiuam materiæ primæ, in qua recipitur: tamen actus potentiæ actiuæ, qui est actio non semper illam perficit intrinsecè, nisi quando actio est immanens, tunc enim subiectatur in potentia actiua, in quantum etiam simul est passiua. Qualiter idem intellectus est potentia actiua, respectu verbi, in quantum illud producit, & passiua in quantum illud recipit: actio

nes vero transeuntes, nó perficiunt potentiam actiuam, intrinsece, sed extrinsece; quia operari etiã si sit in alio quędam perfectio, est saltem extrinseca.

Ad quartum, quod relatio quæ oritur in à gente, dum agit non fundatur in actione proprie loquendo, vt probauimus capite de relatione, sed in potentia actiua, aut in substantia ipsius agentis; actio vero solum est, quasi có ditio fundandi illam relationem, & ita non debet esse in agente.

Ad vltim. Ad vltimum reuera Arist. fuisse deceptum, dum existimauit mundum ab ęterno incepisse, cum fides nostra doceat contrariũ: de quo alibi: & ita reuera illa ratio nihil probat, absolute loquendo: tamen existimauit Aristot. quod si Deus de nouo produxit mundũ, debuit de nouo velle facere mundum, & ita quod per illam nouá volitionem, quæ est actus voluntatis mutaretur, non vero, quia sentiat actionem productiuam mundi subiectari in ipso Deo: tamen etiã hoc principium est falsum: nam quando Deus de nouo aliquid facit, non habet actum voluntatis nouum, sed ab æterno voluit producere rem in tali tempore, & ita absque mutatione voluntatis, multa de nouo operatur.

Ex dictis hactenus colligitur, quod agés ex eo quod de nouo agat, non mutatur: quia actio per quam agit nó recipitur in ipso, sed in passo in agentibus, quæ agunt actione transeunti, imò agés quod agit actione immanenti, non mutatur per actioné in quantum agens est, sed in quantum passum. Ratio est; quia non recipit actioné in quantũ agens, sed in quantum passum: nam pati, & recipere idem sunt.

Sed obiicies, quando ignis calefacit, aliter se habet quá antea, quando non calefaciebat: ergo mutatur. Respódetur argumentũ esse falax: ná reuera ex eo, quod ignis calefaciat nó se habet aliter, sed lignũ in quo recipitur calefactio, nó vero in ipso igne, & ita ignis ex eo quod calefaciat non se habet aliter.

QVÆSTIO XIIII.

Vnde sumatur in actionibus, tam distinctio specifica, quam indiuidualis.

Varia sen.

DVO in hac quæstione examinanda sunt, primo vnde sumatur distinctio specifica inter actiones. Secundo vnde sumatur distinctio indiuidualis, circa primum variè sentiunt auctores, quibusdam asserentibus; actiones distingui specie per terminos; ita quod illæ actiones, quæ habent terminum specie diuersum, distinguantur specie, vt calefactio, & frigefactio: quia altera terminatur ad calorem, altera ad frigus. Sic docuit D. Thom. 2. contra gētes, c. 17. Albert. 5. Physi. tract. 2. cap. 1. Scotus in 1. distinct. 13. quæstione vnica. Ferrar. 5. Physicorum, quæstio. 4. Aliis verò asserentibus, actiones distingui specie per diuersa agentia, ita quod illæ actiones, quæ habent diuersa principia actiua, à quibus procedunt specie differant, vt calefactio, & frigefactio: quia altera pronenit à calore, altera vero à frigore, quæ specie differunt. Quod etiam docuit Sanctus Thomas. 1. 2. quæst. 92. articul. 3. & ibidem Caietanus. Et videtur quod actio non sumat speciem ex termino ad quem: quia generatio, & creatio specie distinguuntur: quia creatio ex sua essentia, est productio ex nihilo, non tamen generatio: sed generatio, & creatio, possunt habere eundem terminum secundum speciem: nam homo genitus, & homo creatus, non distinguuntur specie: ergo actiones non distinguuntur per terminos.

A quo specificentur actiones.

Veruntamen vtraque hæc sententia vera est. Vnde dico primo; actiones, distinguuntur specie per terminos, & per agentia, ita quod illæ actiones, quæ habent diuersum terminum, & diuersum agens secundum speciem, distinguantur specie, vbi non intendimus actiones intrinsice specificari à termino, & ab agenti, cum vtrumque sit realiter diuersum ab actione, sed quod specificentur per terminum, & per agens extrinsice, intrinsece vero per habitudinem ad illa. Sicut dicimus actus specificari, per obiecta extrinsece, intrinsece vero per habitudinem ad illa. Et probatur cōclusio: quia actio ex sua essentia dicit ordinem ad agens, & etiam ad terminum cum sit via ad illum: ergo talis actio debet constitui in sua essentia, per talem ordinem

nem ad tale agens, & ad tale terminum: ergo specificatur per ordinem ad vtrumque.

Est tamen aduertendum, quod actio non specificatur ab agente, nisi in quantum actiuum est, non vero secundum alia prædicata, quæ nõ sunt ratio agendi. v. g. calefactio non respicit ignem in quantum siccus est, sed in quantũ calid' est: quia oritur ab illo, tantũ vt calidus est.

2. Aduert. Secundo aduertendum est quod actio non specificatur ab agente remoto, & radicali, sed à proximo: & ratio est: quia calefactio, & exicatio proueniunt ab eadem substantia ignis, tanquam ab agente radicali, calefactio quidem medio calore, exicatio media siccitate, cum tamen calefactio, & exsicatio specie differant: debet ergo actio specificari ab agenti proximo, quod est ratio agendi, & ita calefactio specificatur à calore, qui est ratio calefaciendi, & exicatio à siccitate, quæ est ratio exicandi: & hinc est, quod idem est dicere actiones expecificari à termino, & specificari ab agente proximo: nam termini diuersi oriuntur ab agẽti proximo diuerso, vt patet in exemplis adductis, & ita vtraque illa sententia in idem coincidit.

Et si obiicias: nam idem lumen, quod est ratio illuminandi etiam est ratio calefaciendi: nam solũ mediante lumine calefacit: ergo actiones specie diuersæ possunt oriri ab eodẽ principio proximo. Respondetur actiones istas nõ oriri à luminoso, sub eadẽ ratione, quia illuminatio oritur à luminoso, in quantũ formaliter est luminosum: calefactio vero in quantum virtualiter continet calorem; nam calor virtualiter cõtinetur in lumine, & ita in luminoso assignantur istæ diuersæ rationes agendi, & idẽ est proportionali modo dicendum, in quouis alio agẽte æquiuoco, quod plures effectus causat.

Illatio. Ex dictis infero, actiones, nõ distingui specie, ex eo quod sint immanẽtes, vel trãseuntes æquiuocæ, vel vniuocæ: ratio est, nã eadẽ actio, quę respectu agentis creati est vniuoca, respectu Dei est ęquiuoca, vt etiã supra adnotaui: quia etiã Deus differt specie à quolibet effectu creato, ab illo producto. Similiter eadẽ intellectio, quæ respectu intellect' est actio immanens, respectu Dei est trãsiẽs. Secundo, quia frigefactio illa, qua aqua suæ naturæ reli-

cta, reducit se ad pristinam frigiditatem, non differt specie ab illa frigefactione, qua aqua ab extrinseco agente frigefit, cum tamen hæc sit actio transiens; quia fit ab agente extrinseco: illa vero qua aqua reducit se ad pristinam frigiditatem fit actio immanens, quia manet in aqua à qua effectiuè prouenit vt supra.

Illatio. Secundo ex dictis infertur, quod actio non habet plura specificatiua, quamuis specificetur per ordinem ad agens, & terminum, quia eadem relatione refertur ad vtrumque, tanquam ad duo extrema subordinata, & ita vnicum tantum habet specificatiuum intrinsecum.

A quo specificetur passio. Dico secundo, passionem sumere suam distinctionem, per ordinem ad terminum, & ad principium passiuum. Probatur conclusio: nam etiam passio, vt passio est essentialiter respicit passum. Sicut actio agens, & etiam terminum: nam quamuis non respiciat terminum, vt factum per illam, tamen respicit terminum, vt receptum per illam: ergo debet specificari per terminum, & passum. Sicut actio per terminum, & agens. In quo proportionali modo loquendum est: nam non specificatur à passo radicali, & remoto. Qualiter in eadem substantia, possunt recipi plura accidentia diuersæ speciei, sed specificatur à principio passiuo proximo, & sub ratione receptiui talis, vel talis termini.

Ad argumentum secundæ sententiæ respondetur, verum esse creationem, & generationem differre specie: negamus tamen habere eundem terminum: nam si loquamur de termino formali, nempe de forma producta, non est idem terminus: nam terminus formalis generationis, non est tantum forma, sed forma, vt vnita: quia cum generatio sit productio formæ ex materia, non producit formam, quomodocumque, sed formam vnitam materiæ: creatio vero non producit vnionem formæ cum materia, qualiter per illam actionem, qua anima rationalis creatur, non vnitur corpori, quia creatur per se, & non fit ex materia, deinde vero, per generationem vnitur corpori. Reliquæ vero formæ generabiles, eadem generatione *Resp. ad argum. 2. sen.* *Differunt generatio, & creatio.*

ratione, qua generantur producuntur vnitæ, ita quod tã forma, quàm vnio sit terminus formalis completus generationis. Si vero loquamur de termino totali, & qui fit vt quod, quod est suppositũ, adhuc non habent generatio & creatio eundem terminũ ad quem formaliter: nã quãuis vtraque producat hominem, tamen homo est terminus creationis secundum totam suam entitatem, quia totus fit de nouo: at vero in generatione, homo non fit de nouo secundum omnem suã partem: quia saltem præfuit materia prima.

Est tamen aduertendum nõ esse eandem rationem de generatione, & resurrectione hominis v. g. istæ enim actiones non distinguuntur specie essentialiter: quia habent eundem terminũ, vtraque enim actio determinatur ad vnionem animæ cum corpore. Solum distinguuntur quantum ad modum quo fiũt: nam generatio hominis fit præcedentibus quibusdã dispositionibus petentibus talẽ formam, nempe animam rationalem. Resurrectio vero non fit præcedẽtibus his dispositionibus, sed à solo Deo immediate, tamen in substãtia actionis non distinguitur specie generatio homini à resurrectione eiusdem, quia vtraque terminatur ad modũ vnionis, qui est inter animã, & corpus, & ita resurrectio, vt communiter dici solet, nõ est actio super naturalis, quã tum ad substantiam actionis, sed quantum ad modũ, quo fit.

Circa secundum quod inquirit quæstio scilicet vnde sumatur distinctio indiuidualis actionum, breuiter dico primo, ad vnitatem numericam actionis requiritur vnitas numerica termini, & subiecti, & agentis, & quolibet deficiente, actio est diuersa. *A quo sumatur distinctio indiuidualis.* De termino patet: quia diuersus terminus, diuersam postulat actionem, quanuis actio distinguatur à termino, sicut diuersus terminus diuersam postulat relationem, quanuis relatio distinguatur à termino ad quem refertur. De subiecto vero patet: quia vnum accidens non potest subiectari in duobus subiectis: ergo si est duplex subiectum, etiã est duplex actio, & ita Arist. 5. Physicorum aperte docet ad vnitatem numericam motus requiri vnitatem mobilis (id est) subiecti: nam mobile est subiectum motus. De agente vero probatur: quia quanuis subiectum sit idem,

& idem terminus ex eo quod varietur agens, reuera variatur actio. Et probatur: quia si ponamus ignem producere calorem in hoc ligno, & deinde se moto illo igne accedere aliũ conseruantem eundẽ calorem, hæc actio noui ignis conseruat eundem terminum, scilicet eundem calorẽ & in eodem subiecto, cum hoc tamen est diuersa actio à priori, & probatur: quia in hoc igne de nouo conseruante illum calorem oritur relatio causæ ad effectum: ergo est aliqua noua entitas in qua fundetur non terminus, neque agens, neq; subiectum quia ista antea erant: ergo ideo est, quia est noua actio.

2. *Assert.* Secundo, quia vt vidimus actio, tam essentialiter respicit agens, sicut terminum: ergo sicut variato termino variatur actio: ita etiam variato agente, & ita quotiescunque sunt diuersa agentia, & non subordinata, vt duo ignes, vel duo luminosa, quanuis producant eundem effectum, non tamen per eãdem numero actionem. Dixi autem nõ subordinata: quia plura agentia subordinata bene possunt operari eadem actione, vt diximus de prima, & secunda causa.

Dico secũdo, etiam ad vnitatem numericam actionis, requiritur vnitas temporis. Hanc conclusionem docuit etiam Aristoteles hoc loco allegato. Et ratio est: quia generatio & resurrectio habẽt eundem terminũ, & possunt fieri ab eodem agente, nempe à Deo, cum hoc tamen distinguuntur realiter, solum quia fiunt in diuerso tempore, & discontinuo, & ita necessarium est, quod sint actiones diuersæ, & discontinuæ: ergo hæc omnia requiruntur ad vnitatem numericam actionis, & hæc de hac quæstione.

QVAESTIO. XV.

Vtrũ causalitas Dei creatis, seu creatio sit vera actio transiens, distincta ex natura rei á re creata.

1. *Sent.* PRima sententia asserit, creationem non esse actionem aliquam extra Deum; sed esse in Deo actum voluntatis, quo vult rem esse cum habitudine rationis ad creaturam, extra Deum vero nihil esse præter entitatem effectus, quæ se ipsa essentialiter

ter à Deo pendet; sicut actio dicitur pendere ab agente, vel vt alij explicant, creatio extra Deum est relatio realis effectus creati ad Deú, vt Creatorem. Hæc senteńtia hoc posteriori modo exposita videtur expressè tradita à Diu. Thom. multis in locis maxime 1. parte, quæstione 45. articulo 3. quam etiam docuerat eius Magister Albertus Magnus in secunda distinctione prima, articulo 6. & de quatuor coæuis quæstione prima, articulo secundo, & postea sequuti sunt alij multi, ac graues Theologi Scotus in secunda distinctione prima, quæstione quinta. Præterea etiam Caietanus in 1. parte, quæstione 25. articulo 5. Ferr. 2. contra Gent. cap. 16. & 18.

Fundamentum huius sententiæ quantum ex Diu. Thom. colligi licet, esse videtur, quia omnis actio transiens includit motum, vel est coniuncta motui, vel certe est quædam mutatio: sed creatio non potest esse motus, neque coniungitur motui, vel mutationi: ergo creatio non est aliqua actio extra Deum creantem existens, siue transiens: maior propositio assumitur à Diu. Thom. quæstione citata, articulo secundo, ad secundú, vbi docet actionem, & passionem conuenire in substantia motus, & solum differre secundum diuersas habitudines, quod probat ille ex Philosopho. libro tertio Physicorum textu 20. & 22. Ex quo principio articulo tertio infert substracto motu ab actione, & passione, nihil manere præter relationem. Minor vero propositio certissima est, quia de ratione mutationis propriæ dictæ est, quod recipiatur in aliquo subiecto, vt docuit Aristotel. lib. 1. huius operis text. 64. & lib. 5. text. 5. creationi autem nullum supponitur subiectum: ergo creatio non est mutatio.

Secunda sententia asserit creationem veram esse actionem Dei externam, & transeuntem, qua rebus creatis esse tribuitur, quam docuerunt Aureolus, apud Capreolum supra articulo secundo, AEgidius Romanus in libro de esse, & essentia quæstione 7. & in 2. distinction. 1. quæstion. 3. ibidem Greg. quæst. 6. Argentin. etiam in 2. quæst. 19 dist. 1. art. 1. subtilis Molin. 1. part. quæst. 25. artic. 1. & quæstion. 27. artic. 1. præcipue tamen quæst. 45. artic. 3. vbi præcedentem asseris 2. Sentent.

tio conueniens rei extra essentiam potest esse productio, aut creatio illius.

Et confirmatur, quia licet dicamus Deum producere aliquid per creationem, nullo tamen sensu dicimus fieri aliquid à Deo per relationem: ergo creatio non est relatio, sed aliquid absolutum, vel in ipsa essentia rei creatæ inclusum, vel ab illa ex natura rei distinctum.

Dicendum est secundo. Creatio non est dependẽtia aliqua essentialis ipsi creaturæ, neque quod idem est, entitas ipsa creaturæ per se ipsam essentialiter à Deo dependens. Hanc conclusionẽ docet Pater Suarez tom.1.in 3.part.disp.31.sect.8. contra aliquos ex recentioribus dicens oppositum esse falsum, & impossibile, & eandem supponit, & docet 3.tom.disput.9.sect.1.& disp.61. sect. 1.concl 3. Ratio huius cõclusionis esse debet, quia quãdo terminus potest existere sine actione per quam fit cum alio modo actionis, vel cõseruationis, non est ipsamet actio, seu productio sui, quia idem non potest sine se ipso existere: sed terminus factus per creationem potest sine illa creatione, & sine conseruatione eiusdem rationis existere: ergo creatio, vel cõseruatio rei ex nihilo non est aliqua ratio essentialis rei creatæ, siue ipsamet entitas illi'. Minor probatur in his formis, quę naturaliter pendent à subiecto, & fiunt per eductionem de potentia materiæ, & tamẽ fieri possunt per veram creationem ex nihilo: nam sicut quantitas conseruatur in Sacramento sine cõcursu subiecti, ita etiam ipsa & aliæ formæ substantiales, quæ naturaliter pendẽt a materia fieri possunt in primo instãti ex nihilo, atque adeò per creationem: ergo in his formis, quæ fieri posunt a Deo non est essentialis illis, creationeq; entitas ipsarũ.

Dices saltem in alijs rebus, quæ naturaliter fieri nõ possunt per aliam actionem, nisi per creationem probari non poterit creationem earũ non esse essentialem dependentiam ipsarum a Deo, quia neque de potentia Dei absoluta possunt existere, vel cõseruari, nisi per actionem essentialiter dependentem a subiecto; nam fieri per eductionem de potẽtia materię, omnino repugnat essentiæ substantiæ spiritualis, v. g. animæ rationali, & Angelo, quia actio dependen a materia ex natura & essentia sua, habet termi-

terminum diuisibilem plures habentem partes, sicut materia est diuisibilis.

Sed contra, quia, esto verũ sit substantias spirituales fieri non posse à Deo, nisi per creationem, tamen intra speciem, vel rationem creationis possunt esse creationes numero saltem, & materialiter diuersæ, per quarum quamlibet absolute fieri possunt à Deo: suppono enim opinionem Diu. Thom. quidem cõtrariam, sed valde probilẽ, & in schola nominalium valde receptam, quam nostro tempore Pater Suarez supponit, & docet præcipue locis supra citatis, Deum videlicet in creatione alicuius rei, vti posse aliqua creatura, tanquã instrumento, quo supposito necessarium sequitur, rem fieri posse à Deo ex nihilo per diuersas creationes, nam actio creatiua ad quam præter Deũ concurreret aliquod creatum instrumentum non solum penderet à Deo essentialiter, sed etiam ab ipso instrumento: ergo esset diuersa ab illa creatione, quæ à solo Deo penderet, potest ergo Angelus, v. g. fieri à Deo per quamlibet harum creationum, neutra ergo est de essentia Angeli.

Secundo probatur eadem conclusio, quia non minus pendent à Deo effectus creati, qui fiunt à causis secundis, quam qui solo à Deo fiunt per creationẽ, cum sæpe sint imperfectiores: sed illi non pendent a Deo per suam essentiam, sed per actionem superadditam accidentalem: ergo neque isti. Minorẽ fusse & erudite demonstrat Pater Suar. 3. tom. cit. disp. 9. sect. 1. in solut. argumẽtorum. Et probatur breuiter, quia si illi effectus penderent a Deo essentialiter, nõ possent a Deo pendere per actionem superadditam, & accidentalẽ, quia omnis forma, vel modus supponit entitatem, vel subiectũ cui adhæret, aut inhæret sine illo effectu, quem tribuit illi. Vnde propter hanc causam relationem refertur per aliã relationem, nec præsentia localis est in loco per aliã præsentiam, neq; actio, eo quod essentialiter dependeat ab agenti, non pẽdet ab alio per superadditam aliã actionem: ergo similiter si creaturæ aliquæ penderẽt a Deo per suã essentiã, non possunt ab ipso pendere per aliam superadditam actionem (pendent tamen, vt infra probabo) imo per eandem actionẽ, qua pendent ab agenti creato, ergo.

Dicendum est tertio creationem

tionem esse actionē transeūtem ex natura rei distinctam ab effectu creato cū reliquis actionibus pertinentem ad prædicamentū actionis. Hęc conclusio sequitur ex præcedenti, cuius secunda pars probata est in prima cōclusione, & tertia probabitur in sequēti difficultate. Prima vero pars probatur primo. Omnis reifactio est actio transiens, vt per se cōstat, quia si factio rei nō est actio vere transiēs nulla erit talis actio: sed creatio est factio: ergo creatio est vera actio transiens. Minor probatur ex illo Psalm. 148. *Ipse dixit & facta sunt*, & Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, quibus locis a creatione. Factor, denominator Deus, quod clarius videtur in Symbolo Niceni Concilij, vbi cōfitemur Deum factorem Cœli, & terræ, & visibilium omnium, & inuisibilium.

Secundo, relatio creaturæ ad Deum est de prædicamento relationis: ergo fundatur in actione, sicut aliæ relationis effectus; sed fundatur in creatione, proprie sumpta, vt supra dicebam: ergo creatio est vera actio de prædicamēto actionis.

Ad S. Thom. respondēt aliqui ex Iunnioribus, nunquā ipsum negasse creationē esse actionē, sed solum docuisse, creationē nihil ponere in re creata, præter relationē, quia licet relatio creaturę sit in re creata, tāquā in subiecto, creatio tñ, quæ est via, & causatio Dei agentis nō est in re creata, tanquam in subiecto.

Sed hæc solutio mihi nō satisfacit, quia S. Thom. absolute docet substracto motu ab actione, & passione nihil remanere præter relationem: vnde in illo art. 3. ad 2. absolute etiam docet, creationē, passione acceptam esse relationem, & ideo concludit quod creatio non creatur, quia relationis non est relatio, quapropter negare non possum hanc esse D. Thom. sententiam, contra quam sentire rationibus præcedentibus coactus sum.

Ad fundamentū illius negāda est maior propositio vniuersaliter sumpta, solū enim est vera de actione trāseūte agentis Physici, & corporei quod semper præsupponit subiectū, quod illius actione mutetur, & in eodē sensu loquitur Philosophus ad D. Thom. citat secus vero est de actione propria primi agētis per quā efficit rē nō ex aliquo pręsupposito subiecto, sed omnino ex nihilo, & ideo hęc actio trāsiēs nō depēdet a subiecto, neq; illud

muni actualis, vel aptitudinalis inhærentia proprie sumpta, sed sufficit inhærentia, ad alterum, tanquam ad terminum, vel rem, cuius sit proprius modus, & sic intelligenda est particula illa definitionis accidentis, quod est in aliquo, idest, vel inhærendo tanquam subiecto, vel adhærendo tanquam termino, siue rei, quam modificat.

2. Aduert. Et hæc ratio essendi in aliquo, adhuc hoc sensu non est ita propria accidentis, vt nó conueniat etiam substantijs, differt tamen accidens a substantia, quod substantia, si est in aliquo, in existendo, vel adhærendo, est tamen in illo tanquam pars substantiæ idest, tanquam quid intrinsece pertinens ad complementum substantiæ: accidens vero est in alio in existendo, vel adhærendo, non tamen tanquam pars substantiæ, neque tanquam quid intrinsece pertinens ad constitutionem, & complementum substantiæ. Et ideo in illa definitione accidentis, hoc etiam addit Aristotel. dicens, accidens est quod est in aliquo non sicuti pars.

Nec mirandum est quod dixerim, creationem esse accidens, & non inhærere alicui subiecto, quia modus existendi per se quantitatis Eucharistiæ est accidentalis, & tamen non est in quantitate vt in subiecto proprio inhæsionis, quia ille modus opponitur formaliter, & immediate modo inhæsionis, eiusdem quantitatis: ergo si est in subiecto deberet esse in eodem subiecto inhæsionis: sed modus inhæsionis, vt constat ex dictis disputatione præcedente dub. 5. nó est in quantitate, sed in subiecto ex cuius tantum potentia educitur: ergo ille modus non est in quantitate. Deinde, quia cum hic modus sit ratio existendi sine subiecto, non debet ipse esse in alio subiecto, sicut quia subsistentia est ratio essendi non in alio supposito, ipsa non potest esse in alio supposito.

DISPVTATIO QVINTA DE CAVSA FINALI.

SVPPONO in hac disputatione finem nõ esse causam realem, sed potius metaphorice; vt supra ostensum est disputatione 2. huius lib. dum ageremus de numero causarum, & ita etiam proprie loquendo non est causa Physica: quia non causat per Physicum influxum, sicut aliæ causæ, sed mouet metaphorice attrahendo voluntatem: solum appellatur causa Physica; quia Physicus agit de illo in quantum est causa entis naturalis, licèt non realis, sed Metaphorica, legantur ibi dicta.

QVAESTIO. I.

Quid sit causa finalis, & in quo consistat eius causalitas.

DIXIMVS hactenus supra disputantes de causa in communi, in quauis causa distinguendũ esse, effectum, causã, causalitatẽ, & ita etiã in causa finali idẽ distinguendum est: nam causa finalis est ipse finis, quia per suam causalitatem quæ finalizatio appellatur causat effectum: vnde sigillatim explicare oportet, quid sit causa finalis, quid eius causalitas, & quid effectus illius.

Circa primum scilicet quid sit finis, Aristoteles hoc libro textu 29. diffinit finem, dicens, *Finis est cuius gratia aliquid fit*, & similia habet quinto Metaphysic. capite secundo. Omissis autem pluribus diuisionibus finis, de quibus late agunt Theologi prima secundæ. Ad nostrum propositum finis duplex est; alius est finis, *qui*, alius est finis, *cui*, v. g. finis, qui auari, est pecunia, quia finis qui intenditur est ipse auarus, quia sibi vult pecuniam.

Maiorem habet difficultatem in quo consistat causalitas finis, de qua re varij sunt modi

modi dicendi, quidam asserunt, finis causalitatem consistere in quadam motione metaphorica, qua mouet, & attrahit ad se voluntatem. Sed non placet primo: quia finis causalitas non tantum se extendit ad uoluntatem mouendo illam, sed etiam inuenitur in rebus mere naturalibus, quæ non habent voluntatem: nam vt infra dicemus, etiam agentia naturalia agunt propter finem: ergo hæc sententia non explicat sufficienter finis causalitaté.

Alij vero asserunt. Causalitatem finis consistere in hoc; quod est tribuere bonitatem medijs: nam media in tantum habent bonitatem in quantum conducunt ad finem. Sed neque hoc placet, quia finis non solum habet suam causalitatem erga media, sed etiam erga voluntatem, mouet enim voluntatem: ergo edæquata causalitas finis non consistit in illa.

Finis causalitas.

Quare dicendum est, finis causalitatem consistere in actu terminandi habitudi- aliorum, quæ sunt propter illum finem, ad modum quo esse visum consistit in hoc quod est terminare visioné. Sic tenet Fõseca, quinto Metaphysicorum capite secundo, quæstione 10. Pereira capite secundo. Et probatur plane ex diffinitione Aristotelis: nam finis est cuius gratia aliud fit: ergo tota causalitas finis in eo consistit, quod terminet habitudinem aliorum, quæ sunt propter ipsum & ita finis appellatur: quia finit & terminat habitudinem eorũ, quæ sunt propter illũ.

Vbi aduertendum est, hanc causalitatem non consistere in eo, ꝙ est terminare quo modocunque; nam etiam vnum relatiuum terminat habitudinem alterius, & nõ est finis illius: debet ergo consistere in eo quod est terminare habitudinem aliorum, tanquam id, cuius gratia alia fiũt & ita causalitas finis est metaphorica, quia non influit in effectũ influxu Physico, sed est id cuius gratia aliquid fit a causa efficienti Physicè, ille vero actus terminandi habitudinem illorum, quæ sunt propter ipsum appellatur finalizatio, & ita finalizatio est causalitas finis.

Quid sit effectus causa finalis.

Circa tertiũ, scilicet quid sit effectus causæ finalis, dicẽdũ est effectũ causæ finalis esse illud omne, quod propter finé fit. Ratio est aperta: quia causa finalis est id, cuius gratia aliquid fit: ergo finis est causa respectu eorum, quæ

Ff 2 fiunt

fiunt propter ipsum: ergo illa omnia, quę fiunt propter finem aliquem, sunt effectus causæ finalis. Et hinc colligo, quod media, quantum ad suam entitatem non sunt effectus causæ finalis. Ratio est: quia media non fiunt ex intentione finis: sed iam facta assumuntur ad consequēdum finem; & ita finis non est semper causa mediorum, quantum ad suam entitatem, sed quantum ad passiuam assumptionem; quia assumuntur ad consequēdum finem.

Illatio. Infero secundo, quod etiā actus voluntatis, quo amamus, & intendimus finem est effectus ipsius finis, & nō causalitas finis, vt quidam volunt. Ratio est, quia voluntas elicit ipsum actum voluntatis propter bonitatem finis: ergo etiam respectu actus voluntatis, finis est cuius gratia ille actus fit: sed omne illud quod fit gratia finis, est effectus causæ finalis, vt ostensum est: ergo actus voluntatis, quo amamus finē etiam est effectus causæ finalis: & hæc de hac quęstione.

QVAESTIO. II.

Vtrùm apprehensio finis sit ratio formalis mouendi voluntatem, vel tantum conditio.

QVemadmodū in causa efficienti, & est ratio formalis operandi: qualiter calor in igne est ratio formalis, seu forma per quā ignis calefacit, aproximatio, vero agentis ad passum est cōditio requisita ad operandū: ita quærimus an aprehensio finis sit ratio formalis finalizandi, vel tantum sit conditio requisita, quod sub obscurioribus verbis alij inquirūt, vtrum finis moueat secundū esse reale, vel secundum esse apprehensum, & quidem quęstio, vt patet tantum procedit de agentibus intellectualibus, tantū enim in his reperitur aprehensio finis, non vero in agentibus mere naturalibus, cum careant cognitione.

Prima sententia affirmat, quod aprehensio est ratio formalis, & principium finalizandi, & non tantum conditio. Tenet Sonzin. 5. Metaphysicorū quæst. 3. Med. 1. 2. *1. Sentent.*

quæ-

quæstion. 1. cuius sententiæ fundamentum est.

Fud. huius sent. Primo, quia semper voluntas appetit rem aliquam, quæ in rei veritate non est conueniens, solum quia aprehenditur vt conueniens: ergo tota ratio formalis, seu principium finalizandi, & mouendi est aprehensio.

Secundo, quia voluntas sæpe appetit res imposibiles, solum quia aprehendun tur vt posibiles: ergo aprehensio est ratio formalis mouendi in ipso fine.

Tertio, quia nihil volitū quin præcognitū: ergo in tantum est volitum, in quantum præcognitū: ergo cognitio est ratio formalis finalizandi.

Quid tenē dum sit in hac quæst. Contraria tñ sentētia nobis tenenda est, scilicet, quod aprehensio finis tantū sit cōditio, & non ratio formalis finalizandi. Sic docuit Cai. 1.2. quęst. 1. artic. 1. Fons. 5. Met. c 2. q. 11. Pereir. lib. 8. Physic. c. 4. ita quod sicut in causa efficienti v. g. in igne aliud est causa efficiens, népe ignis; aliud vero ratio formalis calefaciendi, scilicet calor, aliud vero conditio, scilicet approximatio ignis ad passum, ita in causa finali aliud est causa finalis, & est res ipsa, quæ est finis: aliud ratio formalis per quam finalizat, & hęc est bonitas ipsius, aliud conditio finalizādi, seu mouendi, & hoc est aprehensio finis.

Vnde dico primo, aprehensio tantum se habet, vt conditio finalizandi, non vero vt ratio formalis. Probatur: quia quando quis appetit aliquē finem, non appetit aprehensionem, sed bonitatē, quæ est in ipso fine: ergo ratio finalis mouendi, seu finalizandi non est aprehensio, sed bonitas ipsius finis, aprehensio vero est conditio: nam sicut quando ignis calefacit, aproximatio est cōditio, ita in volitione cognitio obiecti est veluti aproximatio ipsiꝰ ad volūtatē: nā intellectus proponit volūtati obiectum, vt illud amet. *Assert. 1.*

Dico secūdo bonitas, quæ est ratio formalis per quā finis mouet, nō semper est bonitas realis, sed est bonitas vera, vel apparēs. Ratio est: quia voluntas sæpe, sæpius appetit id quod reuera est malum, & nociuum, solum quia apparet bonum: ergo bonitas vera, vel apparēs est ratio formalis finalizandi, non vero bonitas realis. *Assert. 2.*

Est tamen aduertendum quod respectu diuersorum actuum voluntatis diuersimode *Quid adu.*

mode mouet bonitas: nam respectu intentionis, mouet bonitas futura; quia intentio est de re futura; tamē respectu actus fruitionis mouet bonitas præsens: quia non fruimur, nisi re iam possessa, tamen respectu actus amoris mouet bonitas secūdum se abstrahendo à præsenti, vel futura: quia tam amamus res præsentes, quam futuras.

R̃adarg cō trariæ sent. Ex his facile est respōdere ad argumenta contrariæ sententiæ. Ad primū, quod quando voluntas amat obiectum, quod reuera non est bonum, solum quia aprehēditur vt bonum, non amat aprehensionem illam, sed bonitatem saltem apparentem, quæ in tali obiecto apparet, & ita nunquam ratio formalis mouendi est aprehensio, sed bonitas vera, vel apparens.

Ad secundū respondetur eodē modo, quod quando voluntas amat aliquod impossibile, saltē amat bonitatē apparentē: quia iudicatur vt possibile, quanuis reuera nō sit tale, vel saltem amat sub conditione, si esset possibile, & ita hoc modo habet bonitatem aliquā conditionatam apparentem.

Ad tertiū respondetur verū esse ꝙ nihil volitū, quin præcognitum: illud vero cōsequēs: ergo intantū volitū, in quātū præcognitū, distinguendū est: nam illa particula, *inquantū*, aliquando significat conditionē, vt cū dicimus. In tantū ignis calefacit, in quantū est aproximatus, cū tñ aproximatio sit solū conditio: aliquando vero significat rationē formalem causandi, vt cū dicimus. In tantū ignis calefacit in quātum habet calorē, cum tñ calor sit ratio formalis calefaciendi: sic ergo cum dicimus. In tantum aliquid est volitum in quantū præcognitum, si illa particula, *in quātum*, reduplicet conditionē requisitam, vera est propositio; si autem reduplicet rationem formalem finalizandi; falsa est propositio: quia ratio finalis finalizandi non est cognitio, vt probatū est.

QVAESTIO Vltima.

Vtrùm agentia naturalia agant propter finem.

Conueniunt omnes agentia intellectualia, quæ libere operantur propter finē: qualiter homo actionibus suis liberis, quas

ex deliberatione habet, aliquem finem intendit, & idē est de Deo, & Angelis, imo hæc agentia intellectualia proprissime dicuntur agere propter finem, quia cum habeant intellectum, cognoscunt proportionem, & vtilitatem quā habent media in ordine ad finem, & ita proprie dicūtur operari propter finē. Solū ergo est difficultas de agētibus naturalibus; quæ non operantur libere, in quo etiā ipse homo comprehenditur: quia etiā in homine sunt quædā actiones, quæ appellantur naturales: quia illas operatur homo absque deliberatione, & repente.

Difficultas.

Ration. dub.

Est autē ratio dubitādi in hac quæstione: quia finis finalizat, & mouet media aprehēsione: sed agētia naturalia nō habēt aprehensionē, quia carent intellectu, vt ignis: ergo non agunt propter finē: nam si propter finē agerent iā finis respectu illorū haberent suā causalitatē, & finalizationē. Secūdo, quia agētia naturalia sępe errāt in suis operationib⁹, & producūt mōstra. Qualiter contingit agnū produci habētē duo capita, vel quinq; pedes, & omnes sępe nascuntur orbati aliquo mēbro: ergo agentia naturalia nō semper operantur propter finem intētum.

Tertio, quia corruptio per naturā cōtingit: sed corruptio nō potest esse propter finē, nā cū sit quoddā malum non potest dirigi in finem, quia finis bon⁹ est: ergo nō sēper agētia naturalia agunt propter finē. Verū tamen cōmunis omniū sententia est, quod agētia naturalia agāt propter finē: sic enim docuit expresse Arist. hoc lib. tex. 75. & 82. quē omnes interpretes sequuntur. Et ratio est: nā quādo aliquid operatur à casu, & fortuitu, non semper operatur eodē modo, sicut quādo operatur propter finē: sed agētia naturalia sēper operātur eodem modo, quātum est de se. Qualiter ignis semper cōburit: ergo agentia naturalia operantur propter finem, nēpe vt producant suum effectum.

Vera sent.

Secundo, id manifeste cōprobāt opera naturæ: qualiter aues suos cōponūt nidos propter finē, vt ibi filios procreare, & tutos cōseruare possint. Et de formicis mira dicūtur: nā tempore veri grana tritici in suum horreum adducunt, vt ex illis tempore hyemis alijs prosint, possint arbores folia emittunt vt illis arboris fructus

 animo

à nimio solis calore protegi possint, quæ omnia aperte demonstrant agentia naturalia propter suum finem operari.

Quid adu. Est tamen aduertendum, hoc differre inter agentia libera, & naturalia, quod agētia libera proprissime dicūtur agere propter finē, quia libere se mouent in illum, & cognoscunt proportionem, quam habent media in ordine ad finem, at vero agentia naturalia non se mouent in finem, sed dirigūtur à Deo in fines suos, quod non ita intelligendum est, quod operari propter finē sit in illis mera extrinseca denominatio à directione Dei, qua in suos fines diriguntur: nam reuera agētia naturalia in se, & ab intrinseco ordinantur in suum finem, vt ignis in calefactionem, sed dicuntur dirigi à Deo in suos fines: quia ab illo accipiunt talem naturā, vt in certum finem ferantur absque eo tamen, quod se libere moueant. Quod optime explicari solet exemplo sagittæ, quæ per impulsum acceptum à proijciente dirigitur in scopum, tanquam in finem, & dicitur ab illo dirigi in scopum. Bruta vero quamuis moueātur medi an te appetitu in suos fines, non tamen libere, sicut agen ia intellectualia.

Ad rationes dubitādi respondetur, ad primā, quod apprehensio finis tantū est necessaria in agentibus quæ se mouent in finē, qualia sunt agentia libera: at vero agentia naturalia non se mouent in finē, sed diriguntur in finē, & ita nō opus est in illis cognitione aliqua. *R. ad 1.*

Ad secundā ꝙ quāuis mōstrua eueniant per naturam, nō tñ sunt intēta ab agenti naturali, sed per accidēs producūtur ab agenti naturali ex defectu, vel abūdātia seminis, vel propter aliā similē rationē, vel causam: nā reuera agens naturale intēdit producere viuens perfectū, tñ ex defectu seminis cōtingit hominē nasci habentem tantū tres digitos, & etiā habentē sex digitos ex abundātia seminis, ita vt producatur effectus mirabilis, & ita mōstruū dicitur à mōstrādo, nā vt aliquid singulare veluti digito cōmōstratur. Nec mihi placēt asserētes ꝙ quāuis mōstrū tale sit respectu causæ secūdæ, nō tñ respectu primę causæ: nā etiā prima causa nō intendit mōstrū absolute loquendo, sed potius intēdit producere effectum. *Ad 2.*

fectum perfectũ, tamen quia modificatur cũ causis secundis iuxta proportionem, & quantitatẽ materiæ operatur tali, vel tali modo cum secũda causa, & ita si mõstrura eueniunt, non sunt à Deo intẽta, sed per accidens eueniũt ex abundantia, vel deffectu materiæ.

Ad tertiã. Ad tertiã respõdetur, quod natura nõ intendit per se corruptionem, sed per accidens in quantum corruptio vnius est generatio alterius, quod requiritur ad generationem. Et si obiicias: nam quãdo lumen corrumpitur, nihil generatur: quia solũ subsequuntur tenebræ, quæ nihil sunt: ergo non semper corruptio est intẽta à natura propter generationem. Respõdetur negando consequentiam, quia ex eo Sol desinit illuminare hoc Emispheriũ, vt moueatur ad aliud Emispheriũ, & ibi fiant generationes, & corruptiones, & generetur lumen, & ita numquã corruptio est propter se intenta à natura.

DISPVTATIO VLTIMA, DE CASV, ET FORTVNA.

De hac re dispu-tat Arist. contra antiquos Philosophos hoc lib. à text. 40. vsque ad 67. imò hinc sumpta ocasione plures Auctores disputare solent, hoc loco de contingentia rerum naturalium, de qua re late à nobis actum est 1. lib. de interpretatione cap. 8. Quare hoc loco tantum de fortuna casu, & fato disputandum est, prout ad nostrum expectat institutum, scilicet prout præcisè expectant ad effectus naturales: nam secundum alias considerationes alij late de his rebus disputant, vt Theologi in 1. distinct. 39. quatenus ad tractatum de Diuina prouidentia pertinere possunt, Philosophi vero morales, quatenus expectat ad fœlicitatem hominis an consistat in bona fortuna, vt videre est apud Arist. 1. lib. Moralium cap. 9. & secundo etiam cap. 9. & 7. lib. c. ad. 17. & 18.

QVAESTIO I.

Vtrum fortuna, cassus, & fatum sint in rebus, & quid sint.

DE hac re, varij senserũt antiqui Philosophi, quidam enim eorum fortunam è medio tollebant existimantes omnia necessario, & ineuitabili fato eueniri. Sic senserunt Stoici, imò & Pithagoras, quos iam retulimus lib. 1. de interpretatione, cap. 8. ostendendentes re uera in rebus cõtingen:iam inueniri, & non omnia necessario euenire. Alij vero fortunam admittentes diuinum quoddam numen esse asserebant, omnia pro suo libito disponentes. Contra quos late differit Diuus Augustinus, lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 18. Lactantius, lib. 4. cap. 28. & 29. de fato vero etiam extiterunt opiniones. Quidam enim asserunt fatum, nullo modo dari in rebus, sed esse nomen sine re. Alij vero fatum ineuitabile dari asserue runt, esseque dicebant rerũ naturalium seriem, & ordinem ineuitabilem.

Vt in hac re sententiam ab omnibus receptam aperiamus, prius videndum est, quid sit fortuna, cassus, & fatum. Et in primis certum esse debet fortunam non esse diuinum aliquod numen, vt antiqui voluerunt: quia solum datur vnicus Deus; hic autem non est fortuna, quia fortuna variabilis, & mutabilis est, Deus autem est immutabilis. Quare Aristotel. hoc lib. textu 62. definit fortunam, scilicet, *Fortuna est causa per accidens, in his, quæ raro contingunt ex electione.* Appellatur causa per accidens: quia est præter intentionem: qualiter aliquis per se intendens terræ effossionem, inuenit thesaurum, est fortuna: dicitur etiam, *In his quæ raro contingunt*: quia quamuis hæc particula, non inueniatur in versione Argiropoli, tamen illam habet antiqua translatio, quam expositores sequũtur, & merito quidem: quia effectus qui sæpe eueniunt non sunt ita pręter intentionem, sicut effectus qui raro contingunt, & ita non dicuntur, ita propriè prouenire à fortuna. Tandem ponitur illa particula, *ex electione* ad significandum, quod fortuna solum reperitur in agentibus intellectualibus, qui libere, & ex electione operantur, non vero in alijs. nã bruta,

Definitio fortunæ.

ta, aut inanimata, non dicuntur habere fortunam.

Et hinc facile patet, quid sit cassus: nam id quod in agẽtibus liberis est fortuna, in alijs reb⁹ appellatur cassus, & ita cassus etiam reperitur in brutis, vnde cassus diffiniri potest: *Est causa per accidens in his qua raro eueniũt sine electione.*

Diffinitio cassus.

Fatum vero definitur optime à Boætio lib. 4. de consolatione in hunc modum: *Fatum est dispositio secundum quã Diuina prouidentia res disponit.* Vbi aduertendum est, quod hæc dispositio actiuè sumpta, est Diuina prudentia actiuè omnia disponens: dispositio vero passiue sumpta, pro ordine, & cõnexione causarum appellatur fatum, & ita fatum nequaquam ineuitabile est, vt plures ex antiquis existimarunt: nam hæc causarum secundarum dispositio, & propensio, vt talem, vel talem affectum producãt ab extrinseco, propter impedimentum aliquod impediri potest.

Ex dictis ergo patet, dari in rebus fortunã, cassum, & fatũ dátur enim cassus, & effectus fortuiti pręter intẽtionẽ euenientes: ergo debet dari fortuna à qua proueniat: dantur ergo effectus cassuales, raro contingentes: ergo datur cassus, & similiter effectus naturales, proueniunt ex coordinatione, & serie secundarũ causarũ: ergo datur etiã fatũ.

Ex quibus patet, ꝙ effectus necessarij, nõ pertinẽt ad fortunã: quia isti nõ eueniũt raro, neq; pręter intẽtionẽ: solũ ergo effectus cõtingẽtes, & nõ quicũq;, sed qui raro eueniũt pertinẽt ad fortunã, vt ex eius diffinitione colligit.

Secũdo infertur, quod quãdo antiqui Patres, vt Gregorius homil. 10. Epiphaniæ, & August. tra. 39. in Ioãnnẽ, & lib. 5. de ciuit. Dei. c. 9. reprehendunt asserẽtes dari fatũ, loquuntur de fato, eo modo, quo ab antiquis ponebatur, scilicet de fato ineuitabili, non tamen locuntur de fato proserie, & ordinatione causarum inoperando.

Tertio infertur, ꝙ respectu Dei, nullus effectus fortuit⁹ est, vel cassualis, quia nihil euenit pręter intentionẽ Dei; tamẽ respectu cęli dantur effect⁹ cassuales: nã quod ex tali, vel tali influxu astrorũ cõcitentur venti, & illis concitatis cedẽte regula homo occidatur cassuale est, adhuc respectu cœli. Ita docuit Diuus Thom. 1. par. q. 105. articul. 6. & 3. contra gẽtes cap. 86. verum est, quod respectu cęli, non dantur effectus fortuiti: quia

ti: quia fortuna, vt dixi solũ reperitur in agentibus liberis, cœlum autem non est agens liberum: quia non habet voluntatẽ, & intellectũ.

Quarto sequitur, quod fortuna, & cassus non operantur propter finem. Patet, quia sunt causæ per accidens, quę operantur præter intentionem, respectu effectus fortuiti; tamen respectu alterius effectus, quem per se intendunt operãtur propter finẽ. V.g. qui fodit terrã, operatur propter finẽ fodiendi illã; tamen respectu inuentionis thesauri, non operatur propter illum finem, quia inuẽtio thesauri est præter intentionem fodientis terram: fatũ vero operatur propter finẽ, quia est causa per se: nam series, & connexio causarũ secundarũ, per se est causa effectus, & per se intẽdit talem, vel talem finem.

QVÆSTIO VLTIMA.

Vtrum Fortuna, cassus, & fatum sint causæ.

CErtum debet esse fatum, prout à nobis explicatũ est, scilicet prout significat secundas causas inter se connexas, & subordinatas esse causam, imò causam per se, & efficientẽ: quia causæ secundæ subordinatę, sunt causæ per se, & efficientes, solũ est dubiũ de cassu, & fortuna. Et dicendum est breuiter cũ Aristot. hoc lib. tex. 52. esse causas efficiẽtes, tamen per accidẽs. Vbi aliud est loqui de effectu fortuito & cassuali, & sic potius sunt effectus, quã causę. Aliud vero est loqui de fortuna, & cassu à quo effectus prouenit, sũmendo illas pro causa operãte intentionem. Et sic patet, quid sint causæ efficientes per accidẽs: nã respectu effodientis terram, finis per se intentus effodientis terram est effossio terræ, quod vero illa eadem causa effectiua fodiẽdi inueniat thesaurũ, hoc appellatur fortuna, quæ omnia dicta sunt ab Aristot. vt constet causas per se tantum esse quatuor, quas ipse connumerauit, & nos iam egimus quare ad alia, quæ maioris sunt momẽti proueniamus, & ita hæc de fortuna dixisse sufficiat, de qua optime dixit Cicero ad Torquatũ scribẽs quod etiã si aduersa sit ęquo animo ferẽda est, præsertim, quæ abest à culpa: ego quidẽ hoc vnũ ingenue fateor, mẽ de illa plura dixisse, quam illi debeam, & hęc de hoc libro.

LIBER

LIBER TERTIVS PHYSICORVM.

POstquam Aristot. in superioribus egit de principiis,& causis entis naturalis,iam in reliquis lib. agit de eius affectionibus,quales sunt motus,quãtitas,tempus,locus,&c. Et primo incipit in hoc libro à motu: nam cum in diffinitione naturæ dixisset, illam esse principium,& causam motus,& quietis, statim necessarium erat explicare naturam,& essentiam motus.

SVMMA TEXTVS.

LIber hic duas cõtinet partes, in prima agit Aristot. de motu,in secunda,ut ostendat nullũ corpus naturale esse infinitũ secundum quãtitatẽ, agit de infinito prima pars habetur à tex. 1. usq; ad 23. Secunda vero à textu 24. usque ad 75.

Definitio motus. *Ad primã partem accedentes,inquit Arist. motum esse de genere continuorũ,id est esse quantũ, continuũ, definit vero motũ dicens:* Motus est actus entis in potentia,secundũ quod in potentia *quã definitionẽ explicabimus infra; docet tamen motum esse actũ imperfectum,& nõ perfectum: quia est via ad aliud. Deinde docet, quod, motui opponitur quies: ac tandẽ docet motum,nõ esse actum mouẽtis, sed mobilis: quia est actus entis in potentia; id autem quod est in potẽtia.*

ad

ad terminum est mobile: ergo motus non est actus mouentis, sed mobilis.

In secũda parte agit de infinito, & primo docet reuera ad Physi. pertinere agere de infinito, quia Physi. agit de affectionib⁹ entis naturalis, vt de quãtitate & motu; hæc autẽ necessario sunt finita, vel infinita. Deinde reiectis quibusdã antiquorũ sentẽtiis de infinito suã exponit sentẽtiã, dicens. Infinitum esse duplex: aliud infinitũ in actu; aliud in potẽtia, vnde docet, non dari aliquod infinitũ in actu, bene tamẽ in potẽtia, appellat autẽ infinitum in potentia, quod potest esse maius, & maius actu, nõ tamẽ habet infinitatẽ. Tandem reprehendit quosdam antiquos Philosophos, qui infinitũ definiebant, dicẽtes, est cuius nihil est extra, quia inquit hæc definitio conuenit infinito perfecto: nam perfectum illud censetur, cui nihil sui deficit, atque adeò cuius nihil est extra melius ergo inquit definietur: Infinitum cuius aliquid semper restat accipiẽdũ: *Nã cum habeat infinitas partes, semper restat aliquid accipiẽdũ, hæc cõtinet in sũma litera huius libri, quæ latius à nobis examinãda sunt.*

DISPVTATIO DE NATVRA ET ESSENTIA MOTVS.

IN hoc libro duę disputationes à nobis habendæ sunt: quia duo tãtum disputat in eo Aristot. prima disputatio erit de motu, secunda de infinito, quoniam vero Aristot. de motu disputatũ, hoc lib. tum etiã 5. lib. Physic. vbi agit de terminis

minis motum, ideo vt ordinem Aristotel. sequamur in hac disputatione, tantum eā explicabimus, quæ ad essentiam motus in communi pertinent. De terminis vero motuum disputabimus cū Aristot. 5. lib. Physic. & quidem in hac disputatione, non est in quæstionē reuocandum, an sit motus. Qualiter Ceno antiquus Philosophus futilibus argumentis conatus est ostendere, nullum esse motū quem Aristot. non alio argumento conuincit, quam deābulando: nam cum deambulare cœpisset, dixisse fertur stulte non ne istæ motus est? & ita reuera experientia patet motum esse.

QVÆSTIO I.

Quid sit motus.

Diffinitio motus.

ARistoteles hoc libro, text. 6. definit motum, hoc modo, *Motus est actus entis in potentia, secundum quod in potentia*, vbi in primis dicitur, quod motus est actus quidā, quia est quædam forma accidentalis; est tamē actus imperfectus in quantū natura sua ordinatur ad adquirendum terminum, tanquam via ad illum; & ita Græce motus appellatur Endelechia, quod significat formā imperfectam, quæ sit via ad aliud: ponitur vero illa particula, *entis in potentia*, ad significādū, quod motus est actus illius entis, quod est in potētia ad illum, & ad terminum productum per illum, & ita motus est actus mobilis: quia mobile est, quod est in potētia ad motum, & ad terminū motus; Qualiter lignum est in potētia ad calefactionem, & ad calorē per illam productum. Illa vero particula, *secundum quod in potentia*, significat motū esse actū mobilis, secūdū quod mobile erat in potentia ad terminū acquirendum: nā terminus acquirēdus est medio motu, & ita in tantum actuat mobile, in quantū erat impotētia ad terminū acquirendū per motū.

Sed cōtra hanc definitionē obiici potest. Quia videtur hāc definitionem conuenire qualitati: nam qualitas remissa, vt calor, vt duo, est actus entis in potētia; quia est act⁹ ligni, quod erat in potētia ad illū, & secundū quod in potentia; nā actuat lignum, relinquendo illud in potentia ad vlteriorē calorem, nempe ad calorem, vt tria, vel vt quatuor: ergò hæc diffinitio cōuenit aliis à definitio[illegible].

Secūdo, quia tota hæc diffinitio cōuenit passioni: nam passio, seu receptio, est actus entis

entis in potentia, & secundum, quod in potentia: nam passio actuat subiectum secundum, quod relinquit illud in potētia ad terminum recipiendum.

Sed respondetur ad primū negando, quod hæc diffinitio conueniat qualitati: nam motus vt diximus debet esse actus imperfectus, qui sit via ad aliud; at vero calor, vt duo est actus perfectus, & non via ad vlteriorem calorem: nam quamuis sit dispositio, quædam ad recipiendū maiorem calorem, non tamē propriè est via ad illum, cum nō sit productio caloris, sed calor productus.

Ad secundum respondetur negando, quod hæc difinitio conueniat passioni, vt passio est pręcise, qui motus nō est quomodocumq; actus sed actus, qui est productio, & via ad terminum producēdum, passio vero, vt sic potius est via ad recipiendum terminum, quam ad producendum illū, & ita hæc deffinitio non conuenit passioni præcisè, vt passio est.

Supposito ergo, quod hæc definitio mot' sit vera dein de dubitari potest, in hac q Vtrum hæc diffinitio motu conueniat, tam motui propriè dicto, quam mutationi prius, tamen videndum est, quæ sit differētia inter motū propriè dictū, & mutationē.

In qua re plures cōmuniter in hoc distinguūt mutationē à motu propriè dicto, quod mutatio nō habeat vtrumq; terminū à quo, & ad quē positiuū, sed habeat alterū terminū priuatiuū. Qualiter generatio substātialis, non est motus propriè dictus, sed mutatio, quia procedit a non esse rei ad ase illius, & corruptio etiā est mutatio, & nō motus propriè dict': quia terminus ad quē corruptionis est priuatiuus: quia tēdit de esse ad nō esse rei: at vero motus propriè dictus, est, inter terminos contrarios, vt calefactio à frigido in calidum.

Veruntamē nobis dicendū est in primis mutationem, & motū propriè dictū ex eo distingui, quia mutatio non habet successionē ratione sui, per se, at vero motus propriè dictus, vt sic præter mutationē dicit successionē per se, ita ꝙ per se sit quid successiuum. Ratio est, quia mutatio vt sic, tantū dicit, quod subiectū per illam aliter se habeat nūc quā prius definitur enim mutatio hoc modo: *Mutatio est qua subiectū aliter se habet nūc quā prius*: hoc autem, quod est subiectū aliter se habere

non petit quod fiat in instanti, aut successiuè, sed quomodocunque fiat subiectum aliter se habet, tam per mutationem instantaneam quam per successiuam: ergo, vt motus proprie dictus distinguatur à mutatione debet dicere successionem, hoc enim cōmuniter authores intelligūt per motum proprie dictum, & ita Arist. hoc lib. text. 1. expressè fatetur, motū esse de genere continuorum, sed non est quantum permanēs, vt patet, ergo successiuum.

Assert. Dico secundo ad rationem motus propriè dicti, non requiritur necessario, quod sit inter extrema cōtraria, sed potest tēdere à priuatiuo ad positiuū, & in primis si loquamur de vera contrarietate. Patet, quia augmentatio est motus proprie dictus, & tamen non est inter terminos verè propriè contrarios: quia terminus ad quem augmentationis est maior quantitas, aut vnio quātitatis alimenti cum quantitate viuentis, quantitati autem vel illi vnioni nihil est proprie contrarium, tamen quod nullo modo requiratur quod sit inter terminos contrarios probatur, nam vt dicemus. 1. lib. de generatione cap. 5. terminus à quo in augmentatione est priuatio maioris, quantitatis, ergo ad rationem mot⁹ proprie dicti satis est, quod terminus à quo oppinatur priuatiuè cum termino ad quē. Et ratio à priori est, quia quāuis terminus à quo in augmētatione sit priuatiuus, adhuc obtime potest intelligi augmentationem per se loquendo esse actionem successiuā ratione termini ad quē, quia cum quantitas habeat partes extra partes distinctas localiter ratione sui petit successiue acquiri, etiam si termínus à quo sit priuatiuus: ergo ad motum proprie dictū non requiritur quod motus sit inter terminos cōtrarios: quod vero augmentatio sit motus proprie dictus quod latius alibi disputabitur probatur.

Quia ex Arist. lib. 5. tex. 5. solū ad tria prædicamenta datur per se motus, scilicet ad quantitatem, qualitatem & vbi loquitur de motu proprie dicto aliàs & tiā ad substantiam esset per se mot⁹, quia ad substātiam datur per se mutatio, scilicet generatio substātialis.

Sed contra obijci potest in primis Arist. hoc lib. text. 12. dicens motum proprie dictū esse à subiecto in subiectum, idest à positiuo ad positiuū vt ipse explicat: ergo hoc est de ratione motus proprie dicti: secundo, quia aliàs generatio

 substan-

substãtialis esset motus propriè dictus, atque adeò substantiam daretur motus propriè dictus. Patet consequentia, quia etiam generatio aliquando fit successiuè, vt patet de generatione nõ viuentium, v.g. ignis.

Sed respondetur ad primũ Arist. ideo dixisse terminum à quo motus esse positiuum: quia cum sit successiuus, mouetur mobile successiuè ab vna parte termini ad quem ad aliam partem, quia successiuè acquiritur: tamen terminus à quo oppositus toti termino ad quẽ, potest esse priuatio vt dixi.

Ad secundum, quod generatio substantialis nõ est motus propriè dictus: quia non habet propriam successionẽ, quamuis enim substantia habeat proprias partes integrales, non tamen inter se distantes ratione sui, sed ratione quantitatis, quæ habet partes extra partes: nam vt sæpe diximus, partes substantiæ secundum se, & ablata quantitate non peterent necessario distantiam localem aliam ex natura rei, sed possent inter se penetrari, illa enim quantitas quia habet partes extra partes, habet partes ex natura rei impenetrabiles, & ita generatio non habet terminum ratione sui postulantẽ successionem, sed fit successiuè omnino per accidens, quia materia paulatim disponitur per dispositiones cõtrarias, quas habet. V.g. lignum paulatim & successiuè disponitur ad generationem ignis, & ita generatio ignis per accidens est successiua, & non ratione suorum terminorum.

Dico tertio aliquando motus propriè dictus tendit à contrario in contrarium, ita quod terminus à quo & ad quem contrariè opponantur, vt quãdo aliquod ex frigido fit calidum, aut ex nigro fit album. Ratio est, quia terminus à quo habet oppositionẽ cum termino ad quem: nam cum terminus à quo expellatur adueniente termino ad quem sunt inter se incompossibiles & oppositi: sed cõtraria habent inter se determinatam oppositionem, vt calidũ & frigidum: ergo aliquando motus potest esse inter terminos contrarios. *Assert.*

Et si dicas quod quando aliquid fit ex frigido calidum etiam fit calidum ex non calido, quæ opponuntur priuatiuè: sed oppositio priuatiua multo maior est, quam contrariæ nam inter contraria potest dari medium, non tamen inter priuatiuè opposita circa

ca

ta subiectum aptum: nam homo necessario vel est videns, vel cęcus: ergo multo potiori ratione dicẽdum est quod. quando aliquid fit ex frigido calidum, terminus à quo fit priuatio caloris quam frigus: quia maiorem habet oppositionem cum termino ad quẽ.

Respondetur quod, quando aliquid mouetur ab vno, contrario ad aliud. v. g. à calido ad frigidum, calidum &, priuatio frigidi non habent rationem duplicis termini à, quo: quia cum priuatio frigidi in calido oriatur, ex eo, quod calidum est terminus, quasi immediatus illius motus, & priuatio frigidi, calidum vero etiam habet rationẽ termini à quo, immediate: quia ex illo oritur priuatio frigidi, & quia habet determinatam oppositionẽ cum termino ad quẽ, ideo vere & propric habet rationẽ termini ad quem.

Ex quo infero, falsam esse quorundã sententiam asserentiũ in quolibet motu inueniri duas mutationes. v. g. quãdo aliquid fit ex frigido calidũ est vnicus motus: in quantum tendit à non calido in calidum est alia mutatio saltem formaliter diuersa.

Hoc in quẽm non placet: nã idẽ praecise motus, qui tendit à frigido in cęlidũ, etiam tendit à nõ calido in calidum, in quantum negatio calidi intime includitur in frigido & ab illo per se oritur, & ita nõ est cur multiplicemus tot mutationes specie diuersas: verũ est, quod productio calidi ex frigido est actio realiter diuersa à corruptione frigoris: quia generatio & corruptio sunt actiones realiter diuersę, vt latius dicã. 1. de generatione.

Dico quarto in hac difficultate successio non est differẽtia essentialis contrahens motum in communi ad motum proprie dictum, cõdistinctũ cotra mutationem, ita quod, quando diuiditur motus in communi in mutationem instantaneam & motum successiuum proprie dictum, nõ fit diuisio essẽtialis, sed subiecti in accidẽtia, ita vt accidat mutationi esse instantaneam, vel successiuam. Sic docuit Fõsec. 5. meta. cap. 13. quæst. 8. sectione . 4. Et probatur: quia procul dubio posset Deus de sua potentia absoluta in instanti producere calorem in ligno expellendo ab illo frigus, eo quod virtus infinita Dei: cum infinitum superet resistentiam frigoris: ergo illa actio non differet specie essentialiter ab illa, *Assert. 4.*

qua modo per naturam producitur successiue calor expellendo frigus paulatim. Patet, quia est via inter eosdem terminos, scilicet à frigore ad calorem, & eadem ratione existimo motum localem qui de facto fit successiue posse in instanti fieri per diuinam potentiam, quamuis tunc non esset proprie motus, sed mutatio instantanea: ergo successio quam addit motus supra actionem non est differentia essentialis, distinguens actiones ipsas.

Addo tamen, quod mutatio quæ est inter terminos contrarios & illa quæ est à negatiuo ad positiuum essentialiter distinguuntur, & ita mutatio à frigido in calidum & à non calido solum in calidū specie differunt: ratio est primo, quia mutatio in communi dicit esse id quo subiectum aliter se habeat nūc, quā pri⁹, sed habere se aliter contrario modo quod contingit quando aliquid mutatur à contrario in cōtrarium, & habere se aliter contradictorio modo quod contingit quando aliquid mutatur à non calido in calidum sunt modi essentialiter diuersi: ergo distinguntur istæ mutatione essentialiter.

Secundo quia actiones vt supra dixi non solum sumūt suam distinctionem specificam ex ordine ad terminum ad quem, sed etiam à termino à quo: sed quamuis ille motus habeat eundem terminum ad quem, scilicet eundem calorem non tamen eundem terminum à quo: quia terminus à quo in mutatione qua aliquid fit ex frigido calidum est frigidum, & priuatio calidi ibi inclusa, terminus vero à quo in mutatione, qua aliquid fit calidum ex non calido est sola negatio caloris: ergo distinguuntur illæ mutationes essentialiter, admodū quo generatio hominis distinguitur essentialiter per diuersum terminum à quo, vt supradiximus.

Et si inquiras an mutatio, qua aliquid fit album ex nigro differat specie ab illa, qua aliquid fit albū ex viridi. Respondetur quod non: quia quādo aliquid fit album ex viridi non fit per se ex viridi in quātum viride est, sed in quantum respectu sibi inducit rationem nigri, & habet priuationem albi, & ita idem est si fieret ex nigro.

Secundo dubitari potest in hac quæstione quid requiratur ad rationem mutationis, iā quod vidimus quid requiritur ad rationem motus pro prie

priè dicti & quidem mutatio. Hoc modo definitur, *Mutatio est, qua subiectum aliter se habet,* nunc quàm prius. Quam definitionem omnes vnanimiter amplectũtur, hoc enim significat nomen mutatio, est tamen dubium, an requiratur quod subiectum præexistat pri⁹ tẽpore, vel satis sit prius natura, quàm recipiat terminum mutationis, ita quod si in eodem instãti, quo res aliqua generatur simul in illa aliquid superadditum recipiatur, satis sit ad rationem mutationis, quod sit prius natura, quã intelligamus aliquid illi super addi.

Definitio mutationis

Non desunt, qui existiment ad mutationem realem satis esse quod subiectum præcedat prius natura. Cuius sententię fundamentum esse potest: quia prioritas naturæ est prioritas realis, nam est prioritas causalitatis & dependentiæ realis: ergo si subiectum aliquid recipit aliquem terminum, quem prius natura nõ habeat realiter aliter se habet: ergo est mutatio realis.

Quid requiratur ad rationẽ mutationis realis

Verumtamen dicendum nobis est ad rationem mutationis realis requiri quod subiectum præcedat prius tempore cum priuatione illius, quod de nouo recipit, & non satis esse prius natura. Sic docuit S. Thom. 1. part. quæst. 45. art. 2. & 3. & quæst. 53. artic. 3. Fonsec. 5. met. cap. 13. quæst. 9. Scotus in 3. dist. 2. Quęstionene 3. Et ratio efficax est: quia de ratione mutationis est, quod subiectum aliquando fuerit cum priuatione illius, quod de nouo recipit, aliàs non mutatur: quia nullam habet nouitatẽ, sed si subiectum in hoc instanti temporis habet terminũ mutationis in nullo priori naturę potest intelligi cum priuatione illius termini: ergo debet prius tempore extitisse cum illa priuatiõne, vt dicatur realiter mutari. Probatur minor, in qua est tota difficultas: quia si in hoc instanti temporis habet terminum illum & proprius natura habuit priuationẽ, ergo in eodem instẽti temporis, eadem res simul est & non est, quod reuera est omnino intelligibile, vt quod homo eodem instanti temporis simul sit albus & non albus. Consequentia vero probatur: quia illa prioritas naturę est in hoc instanti temporis, aliàs si fuit prius tẽpore habetur intẽtũ: si ergo illa prioritas in qua est priuatio est in eodem instãti tẽporis, & in eodẽ instãti idẽ termin⁹ est, ergo in eodẽ instãti tẽporis simul est, & nõ est.

Etsi respondeas, quod illa prioritas naturæ non est prioritas in quo, sed a quo. Cōtra est, nam vt supra ostendimus prioritas naturæ etiā est prioritas in quo, idest in quo instanti naturæ res intelligatur existens. Ratio est, quia subiectum in illo priori intelligitur productum, & omnis causa intelligitur prius natura producta quàm effectus, quia causam causare, supponit causam productam esse à parte rei: ergo etiā prioritas naturæ, quæ est prioritas causalitatis est prioritas in quo, & etiam appellatur prioritas à quo: quia illa causa quam præintelligimus præexistentem est à qua effectus pēdet, & ita vtrumque habet illud instans naturæ.

Sed obijcies, omnis existētia realis est in reali duratione & mensura: sed instans naturæ non est realis duratio: quia neq; est tempus, neque instans temporis: ergo non existentia realis in instanti naturæ.

Respondetur, quod instans naturę non est realis duratio: tamē est in reali duratione, nēpe in instanti reali temporis, & ita quod est in illo instanti naturæ, per consequens est in reali duratione: nam quando aliqua duo sunt in eodem instanti temporis, vnum tamen est causa alterius: illud quod est causa alterius est prius natura, effectus vero posterior, & ita quasi diuidimus idē instās temporis in plura instantia naturæ, in quorū primo intelligatur causa, in secūdo vero effectus: tamē vtrūq; instans naturæ cōmensuratur eidem instanti temporis, & est in illo: & ita quod est in illis instantibus naturæ est etiā in reali duratione illius instantis.

Et si obijcias, nam quando præintelligimus subiectū aliquod, prius natura, quā recipiat terminū, in illo priori nō dum habet terminū, quia est prius illo: ergo habet priuationē illius, ergo reuera in illo priori naturæ optime potest subiectum intelligi priuatum termino, & ita quando deinde in alio instanti naturę illum recipit mutabitur.

Respondetur, quod cum in illo priori instanti naturę cōsideretur subiectum secundū se præcisè, verificatur de illo quod non habet terminum postea acquirendum negatiuè, sicut dicebamus in logica, quod homo secundum se non est albus, negatiue tamen non intelligimus quod illa carentia quasi positiuè illi conueniat, ita vt de illo affirmetur

firmetur quod sit priuatum tali termino: sicut hæc est falsa. Homo secundum se est nõ albus: quia in essentia rei vt sic, neque includitur album neque nõ album, potest enim cum reduplicatione dari medium inter contradictoria vt loco allegato diximus.

Ad argumentum contrariæ sententiæ respondetur in primis non omnem prioritatem naturæ esse prioritatem realem, nisi quando est inter extrema realiter diuersa. Ratio est, quia omnis prioritas est ordo prioris & posterioris: sed ordo realis debet esse inter extrema realiter diuersa, & ita prioritas naturæ, qua vniuersaliora dicuntur priora secundum naturam minus vniuersalibus ex Arist. 1. physicorum cap. 1. & sæpæ alibi non est prioritas realis, sed rationis: quia prædicata vniuersalia non distinguuntur ex natura rei à singularibus, vt in logica diximus: sola ergo prioritas naturæ quæ est inter extrema realiter diuersa est prioritas realis, qualis est, qua causa est prior suo effectu: quia causa & effectus debent distingui realiter.

Ad argumentum, ergo respondetur verum esse prioritatem illam naturæ, qua subiectum est prius termino, postea in ipso recepto esse prioritatem realem: quia subiectum cum sit causa materialis eorum, quæ recipiuntur in illo, realiter distinguitur ab illis, & ita sunt exrrema realiter diuersa: nego tamen quod subiectum in illo priori naturæ intelligatur habens priuationem termini, quasi positiue illi conueniat, solum verificatur de illo negatiue, quod non habet illum terminum, vt dictum est.

Ex dictis facile intelligitur resolutio illius quæstionis, an actio illa, qua producitur passio in instanti in quo generatur essentia sit mutatio: nam qui sentiunt accidentia subiectari in substantia completa, consequenter tenentur fateri iuxta iam dicta, talem actionem non esse mutationem, quia essentia totalis in qua illæ passiones subiectantur nunquam præcedit prius tempore ipsas passiones. Resolutio eiusdẽ dubij

Veruntamen nos, qui asserimus omnia accidentia corporea quęcunque illa sint subiectari in materia prima, quę est pars essentiæ, & non in essentia completa consequenter dicere debemus actionem productiuã passionum esse veram mutationem

realem, quia subiectũ in quo recipiuntur nempe materia prima prius tempore præcessit cũ priuatione illorum accidentium, dum fuit sub alia forma. Verum est, quod passiones effectiuè producuntur à forma substantiali. Qualiter omnes potentiæ vitales corporeæ & passiones hominis effectiue oriuntur ab anima rationali, tamen subiectantur in materia prima, quę fuit cum priuatione talium accidentiũ, dum fuit sub alijs formis.

Addo tamen, quod actio illa qua intellectus & voluntas quę sunt accidentia spiritualia producuntur in anima rationalli in illo instanti, quo à Deo creatur non est mutatio realis: quia non præcedit tempore aliquo cum priuatione illorũ. Vtrum vero actio productiua essentię sit diuersa ab illa, qua producuntur passiones dicam. 5. lib. physicor. dum disputemus, vtrum ad substantiam sit per se motus.

Dico vltimo in hac difficultate, de ratione mutationis nõ esse quod sit inter extrema positiua, imo nunquam hoc habet, sed solum procedit à priuatiuo ad positiuum: quia vt subiectũ mutetur satis est quod præcedat priuatum termino acquirendo, ergo mutatio procedit à priuatiuo ad positiuũ, & ita generatio substantialis procedit à priuatione rei ad esse ipsius, & illuminatio à priuatione luminis ad esse illius, & sic de alijs mutationibus.

Difficultas. Supposito ergo, quod mutatio & motus proprie dictus distinguantur, ex animãdum restat, an definitio motus adducta ab Aristotele vtrique conueniat?

1. Sent. Prima sentẽtia affirmat definitionem motus adductam ab Arist. solum cõuenire motui proprie sumpto & non mutationi, qualis est. v. g. generatio substantialis. Sic docuit Auerroes hoc lib. commento. 4. & 8. Simplicius & Themistius eodem lib. 6. Sotus quęst. 1. conclusione. 3. & plures. Et probant suam sententiam ex Arist. hoc lib. text. 1. & 6. lib. physic. text. 19. asserente, *motum esse de genere continuorum*: ergo motus qui hic definitur debet esse quantum continuum, atque adeo habens partes successiuas: ergo solũ conuenit hęc definitio motui successiuo, qui est motus proprie dictus, non vero mutationi instãtaneę, quę nullas habet partes & est indiuisibilis. *Rationes dud.*

Secũdo, quia motus qui hic defi-

definitur, est actus entis in potentia: sed in mutationibus instantaneis subiectum quando habet illa non est in potẽtia ad terminum: quia iam in eodem instanti est terminus: qualiter in eodem instanti in quo est generatio hominis est ipse homo genitus: ergo hæc definitio non conuenit mutationibus instantaneis.

Definitio motus cõuenit etiã mutationi.

Contraria tamen sententia sine dubio est vera, scilicet hanc definitionem motus adductam ab Aristotele conuenire motui in cõmuni prout comprehendit mutationem, & motum propriedictum, tenet Sanctus Thomas hoc loco, & secundo contra gentes cap. 17. Ferrara hoc lib. q. 1. Tolet. 5. Physic. quæst. 1. & plures alij. Et ratio est facilis: quia mutatio instantanea verbi gratia, generatio est actus entis in potentia, quia est actus materiæ primę, quæ est in potentia ad formam substantialem generandam, & secundum quod [est] in potentia, nam actuat materiam primam secundum quod est in potẽtia ad habendam formam ad quã ipsa generatio est via: ergo hæc definitio etiam cõuenit mutationibus instantaneis.

Ad argumenta contrariæ sententię facile respondetur. Ad primum quod quãdo Aristoteles asserit, motum esse de genere continuorum, non loquitur de motu in communi comprehendente mutationem, & motum propriedictum, sed loquitur de motu successiuo.

Ad secundum respondetur, hoc diferre inter actiones instantaneas, & successiuas: quod in actionibus instantaneis in eodem instanti temporis, in quo est actio, est etiam terminus productus per illam: qualiter in eodem instanti, in quo est intellectio, est verbum mentis: at vero in actionibus successiuis nõ simul quod incipit esse actio, est totus terminus. Qualiter non simul quod aliquid incipit moueri est in loco vltimo adquẽ intendit. Verum est quod cuilibet actioni semper correspondet suus terminus. Qualiter simul est calefactio, vt duo & calor vt duo, sed non calor vt octo: & simul est motus, vsque ad hunc locum, & presentia in hoc loco, non tamẽ præsentia in loco vltimato ad quem tendit motus, & de his motibus, verum est, quod cõmuniter dici solet, quod mobile quando mouetur, partim est in termino aquo, & partim est in termino ad quem: quia dum est in spacio inter medio, partim appropinquat ter-

mino aquo, & partim termino ad quem.

Quo supposito ad argumentum respondetur, quod quanuis in actionibus instantaneis quando est actio subiectum non sit in potentia ad terminum cum priuatione illius; tamen fuit tempore precedenti in potentia ad formam cum priuatione illius; imo in instanti generationis quanuis non sit in potētia ad formam cū priuatione illius, tamen est in potentia, iam reducta ad actum: nam vt supra diximus absolute loquendo materia prima, habet formam & est in potentia ad illam: quia forma potius perficit materiam, quàm aliquam entitatem in illa corrumpat.

QVAESTIO. II.

Qualiter se habeat motus ad actionem, & passionem. (.?.)

Supp. I. SVppono primo in hac quæstione, non omnem actionē esse motum, id est posse dari actionē absque eo, quod sit motus, vel mutatio, vt diximus de creatione, & de actione illa qua in instanti creationis animæ rationalis producuntur in ea intellectus, & voluntas, quam ostendimus non esse mutationem, cum tamen sit vera actio productiua. Et ratio est: quia cum motus sit actio entis in potentia, &c. addit supra actionem subiectū præ extitisse antea in potentia ad terminum, atque adeò cum priuatione illius, & ita quod Thomistę asserūt, quod si ab actione & passione auferus rationem motus, nihil manet nisi relatio, falsum est, cum maneat vera actio & passio.

Suppono secundo actionem illam, quæ reperitur cōiuncta cum motu non distingui realiter ab ipso motu: ita quod motus actio & passio sint idem realiter. Ratio est, quia idem fluxus qui est actio & passio in quantum est actus entis præexistentis antea in potentia habet rationem motus, idem vero in quātum absolute loquendo est via ad terminum producendum non considerando, an supponat subiectum præexistens prius in potentia vel nō, habet rationem actionis: nam ratio actionis saluari potest absque motu: idem vero fluxus in quantum est via per quam terminus dependet à subie- Supp. 2.

subiecto, & in illo recipitur est passio.

Solum ergo est dubium apud Auctores, an motus se habeat vt subiectum actionis, vel passionis, vel potius ècontra, actio, & passio sint quasi subiectum motus.

In qua re, non desunt, qui hoc tempore asserant motum esse subiectum actionis, & passionis, & probant ex Aristot. hoc lib. textu. 22. vbi dicit actionem, & passionem esse in motu: ergo motus est subiectum actionis & passionis.

Assert. I. Sed nihilominus dico primo, motus non est formaliter superior ad actionẽ & passionẽ, ita quod sit aliquod prędicatum essentialiter superius actioni & passioni. Probatur: quia multiplicato inferiori debet multiplicari ratio superior in illo inclusa: sicut multiplicatis hominib^9 multiplicatur ratio animalis, & ratio entis, ita q̃ sint plura animalia & plura entia: sed actio, & passio distinguuntur saltem formaliter: ergo si motus est essẽtialiter superior ad illas, erit duplex motus, alter in actione, alter vero in passione, & ita vnicus terminus necessario fieret duplici motu, quod nullus dixit.

Secundo & pręcipuè, quia ratio superior potest optime cõcipi absq; inferioribus cõtentis sub illa, vt ratio animalis potest concipi sine homine & equo, quia est abstrahibilis ab illis: sed motus nõ potest concipi absque actione & passione, vt patet: ergo.

Assert. 2. Dico secundo, motus nõ se habet, vt subiectũ actionis & passionis, sed ècõtra actio, & passio se habet quasi subiectũ motus, vbi nõ intẽdimus motũ esse aliquod accidens reali ter diuersũ ab actione, & passione, quia vt diximus, motus est idẽ realiter cũ actione, & passione, sed tãtũ intẽdimus actioni & passioni accidẽtale esse q̃ denominẽtur motus.

Ratio est: quia quamuis actio natura sua sit via ad terminũ: quia est productio & fieri illius, tñ nõ dicit necessario q̃ subiectũ præexistat antea cũ põa ad terminũ, & cum priuatione illius, vt dixim^9 de creatione, & de alijs actionibus quę nõ sunt mutationes: at vero motus supra actionẽ & passionẽ conotat ordinem secundum dici ad subiectũ præexistens in põa ad terminũ, & cũ priuatione illius: quia est actus entis in põa, &c. ergo potius actio & passio se hẽt quasi subiectũ motus, quã ècontra: quia motus supra actionẽ, & passionem addit illã conotationẽ ad subiectũ pręexistẽs in po-

2. Modus. Secundus modus dicendi est velocitatem, & tarditatem motus esse quasdam qualitates motus, illi super additas, & inter se contrarias: sicut calor & frigus sunt qualitates contrariæ corporum naturalium. Sed neque hoc placet: quia qualitas habens contrariam qualitatem potest totaliter auferri per nimiam intensionem qualitatis contrariæ, vt patet de calore & frigore: sed nullus datur motus ita velox, quim possit esse velotior, si fiat breuiori, & breuiori tempore: ergo nullus potest esse motus ita velox, qui in comparatione alterius velotioris non sit tardus, & econtra nullus est motus ita tardus, qui in comparatione alterius tardiori, quodammodo non sit velox: ergo tarditas, & velocitas motus non sunt qualitates illi super additæ. Ex quo fit quod in motu non reperiatur intensio, & remissio proprie loquendo, sicut in qualitatibus, intensio enim & remissio, solum conueniunt qualitatibus gradualibus.

3. Modus. Tertius modus dicendi est, quem sequitur Galen. lib. de dignoscēdis pulsibus, nec displicet Vallesio lib. 3. controuersiarū medicarum cap. 8. scilicet nullum esse motū omni ex parte continuum, sed sæpius interrūpi per morulas, & ita illum motum esse velotiorem, qui pautioribus, vel breuioribus morulis interrumpitur, illum vero tardiorem, qui pluribus, aut longioribus interrumpitur.

Sed neque placet: quia re uera dici nō potest nullū esse motum omnino continuum, & absque interrūmptione factum: nam si à loco superiori descendat magnum lignum, & magnum plubum, ridiculū est dicere, quod illa corpora aliquantulum detineantur in aere, aliàs per naturam quiescerent violenter, tum etiam: quia non est assignabilis ratio, quare potius detineantur in hac parte, quàm in illa cū omnes partes aeris sint eiusdem rationis, præsertim si fingamus omnes illas esse eodē modo raras: ergo reuera potius ille motus continuus est: & nihilominus, velotius moueretur maximum plumbum quàm magnum lignum: ergo ratio velotioris motus nō est desumenda ex discontinuatione motus per aliquas morulas.

Quare dicendum est tarditatem, & velocitatem motus esse relationes, quas motus dicit ad tempus, vel ad alium motum in cuius comparatio- *Quod sit tarditas, & velocitas in motu.*

ratione appellatur tardus aut velox. Ratio est primo: quia idē mot⁹, qui respectu alteri⁹ motus tardioris dicitur velox respectu alteri⁹ velotioris est tardus: ergo tarditas, & velocitas in motu sūt relationes.

Secundo, quia ille motus est velox, qui in pauco tempore est multus motus, tardus vero, qui in multo tempore est paucus: sed multum & paucum, magnum & paruum sunt relatiua: ergo tarditas, & velocitas in motu sunt relationes ad tēpus, vel ad aliū motū, in cuius comparatione dicitur tardus, aut velox.

Et hinc patet quę sit causa tardioris, aut velotioris mot⁹ id enim ex eo prouenit q mobile breuiori aut longiori tēpore exeat à termino a quo motus, & accedat ad terminū ad quem.

QVAESTIO. IIII.
Vtrum in motu dentur, primum & vltimum mutatum esse intrinsecum.

HAEC Quod disputari solet sexto libro Physicorum, ibidem Aristoteles capite. 5. difficultatem hanc per tractatit, ea enim quæ de motu docuit dispersim ab illo tradita sunt, qui a tamen omnia in hac disputatione colligere placuit, vt in ceptam de motu disputationem integram absoluamus, illis dūtaxat exceptis, quæ ad terminos motuum spectant, de quo. 5. lib. Physicorum dispu tabimus cum Aristotele.

Quid aduert. In præsenti ergo quæstione aduertendum est, quod sicut linea habet sua indiuisibilia, nempe puncta, quibus eius partes continuantur, & terminantur, ita motus habet sua continuatiua, & terminatiua, quæ indiuisibilia appellantur *Mutata esse*, Admodum, quo partes temporis continuantur instantibus, quę sunt durationes indiuisibiles, & ita mutata esse, sunt quædam mutationes indiuisibiles, & instantaneę continuatiuæ partium diuisibilium ipsius motus. Cuius ratio est apperta: quia motus succesiuus de quo loquimur necessario habet terminum diuisibilem, quem successiue producat: nā indiuisibile cum non habeat partes non potest successiuè produci: ergo sicut partes diuisibiles termini fiunt partibus diuisibilibus motus; ita indiuisibilia cōtinuatiua partium termini debent fieri mutationibus indiuisibilibus conti-

continuatiuis partium diuisibilium motus.

Secundo, quia indiuisibilia termini non possunt fieri mutatione diuisibili, quia non habent partes, quæ successiuè fiant: ergo indiuisibilia illius termini debent fieri quibusdam mutationibus indiuisibilibus: ergo mutata esse, quæ sunt continuatiua partium motus, sunt quædam mutationes instantaneæ, & indiuisibiles continuatiuæ partium diuisibiliũ ipsius motus.

Dub. Dubium ergo est, an in motu detur prima, & vltima mutatio indiuisibilis, seu primum, & vltimum mutatum esse, quo motus terminetur, ad modum quo in linea datur primũ, & vltimũ punctũ, quo ipsa linea terminatur.

His suppositis, si loquamus de partibus motus, omnes conueniunt non dari in motu primam, & vltimam partem motus, imò idem ostendam de omni quanto continuo sexto libro Physicorũ, quia cum habeat partes extra partes, quælibet assignabilis, eo ipso quod quanta, est diuisibilis in partem extrapartẽ & in partem priorem, & posteriorem: ergo nulla est dabilis pars prima, neque vltima, in quanto continuo, atque adeo, neque in motu: solum ergo est dubium an detur primum, & vltimum indiuisibile motus.

In qua re, prima sententia affirmat in omni motu dari primum & vltimum indiuisibile, quo terminetur, tenet Themistius. 6. lib. Physicorũ, textu. 48. & Valesius contrauersia. 48. & probari potest, primo, quia in quantis continuis permanẽtibus datur, primum & vltimum indiuisibile qualiter in linea datur, primũ & vltimum punctum: ergo etiam in quantis successiuis debet dari suo modo quib⁹ terminetur. *1. Sent.*

Rationis dub. Secundo, quia aliàs motus, neque haberet principium, neque finem, & ita neque inciperet, neq; finiretur. Probatur seque illa: quia motus nõ potest habere principium, neque finẽ in parte aliqua: quia non datur prima, neq; vltima pars eius: ergo debet habere principium & finẽ in aliquo indiuisibili: ergo datur in motu, primum & vltimum indiuisibile, quo terminetur.

Tertio quia mot⁹ proportionatur cũ termino, ita vt singulæ partes motus correspõdeãt singulis partibus termini, quæ paulatim, & successiuè fit: ergo indiuisibilia termini debẽt fieri per diuisibilia motus, quæ

ficiamus de motu locali supponẽdum est id, quod late demonstrat Arist. 6. lib. Physic. scilicet in quantitate cõtinua non dari duo indiuisibilia immediata, ita quod verbi gratia, in linea sint duo pũcta immediata, sed potius post punctum sequitur pars quantitatis, post partem sequitur punctum, & sic deinceps.

Suppositio. Secundo supponendum est, quod indiuisibilia motus sint mutationes indiuisibiles, quibus fiunt indiuisibilia termini, vt iam ostendimus.

2. Supp. Hoc supposito probatur, quod in motu locali non detur primũ indiuisibile motus: quia quando corpus aliquod est in loco, partes locati correspondent partibus loci, & indiuisibilia corporis locati etiam correspondent indiuisibilibus spacij, quod ocupat, & ita vltimum punctum corporis locati est in pũcto spacij. ergo quando ab illo loco incipit moueri ad alium, non transit immediate ad alium punctum spacij: quia nõ sunt duo indiuisibilia immediata, sed necessario primo transit ad partem diuisibilem spacij: sed illa pars diuisibilis acquiritur per motum diuisibilem, & successiuum: ergo nulla est prima mutatio indiuisibilis in motu, quia vltimum punctũ mobilis, primo per trãseat ad aliquod punctum spacij mutatione instantanea: sed indiuisibilia motus sunt mutationes instantaneæ, vt probatum est: ergo in motu locali, nullum datur primum indiuisibile quo innitietur.

Sed contra obijci solet, nam fingamus canem descendentem à turri in medio itineris mori: tunc cadauer canis incipit per primum sui esse, vt dicemus sexto Physicorum: ergo in illo instanti in quo incipit, est in loco aliquo ergo acquisiuit in instanti generationis illum locum, quẽ ocupat, & nõ per motum successiuum, & diuisibilem: quia iste non potest esse in instanti: quia in instanti non potest esse succesio: ergo acquisiuit illum locum aliqua mutatione instantanea: ergo illa mutatio est inceptiua motus sequentis, quo in tempore mouetur cadauer: ergo iam in motu illius cadaueris datur primum indiuisibile inceptiuum motus.

Ad hoc argumentum respondet Sotus hoc libro, quæstione tertia Ad secũdum concedit reuera in hoc casu dari primum indiuisibile initiatiuum motus, cum tamen 6. lib. Physicorum, quæstione. 3. neget dari primum in-

diuisibile initiatiuum motus, neque argumentum factum reuera aliquid conuincit: nam Authores qui asserunt accidentia subiectari in toto composito facile respondent motum quo cadauer mouetur diuersum esse, & discontinuum à motu, quo mouebatur antea canis viuus: quia est nouum subiectum in quo subiectetur, scilicet cadauer, & subiectum prioris motus, scilicet canis iam corruptum est; & ita accidentia, quæ subiectantur in illo, qualis est motus etiam debent corrumpi. Dicunt prçterea actionem illam, qua cadauer in instanti generationis acquirit locum non esse mutationem, quia eius subiectum, nempe cadauer non fuit prius tempore aliquo quàm acquireret præsentiã localem; de ratione autem mutationis, vt probatum est, est, quod eius subiectum prçexistat tempore aliquo, aut instanti temporis priuatum tali mutatione, & ita ad argumentum facile, respondent non dari immo ta cadaueris primam mutationem indiuisibilem, qua initietur, quia illa actio non est mutatio, & ita non est indiuisibile motus, cuius indiuisibilia debent esse mutationes indiuisibiles. Cuius ratio est: quia totus motus pro vt est vnum resultans ex partibus, & indiuisibilibus motus necessario debet esse mutatio: nam quanuis non omnis mutatio sit motus: tamen è contra omnis motus multo melius est mutatio: sed de ratione mutationis est quod præsupponatur subiectum eius prius existens in reali duratione temporis: ergo etiam indiuisibilia motus debent præsupponere illud subiectum præexistens in reali duratione temporis, atque adeò talia indiuisibilia debent esse, non quçcumque actiones indiuisibiles, & instantaneæ, sed debent esse mutationes instantaneæ, & indiuisibiles.

In nostra vero sententiã qua existimamus accidentia qualis est motus subiectari in materia prima, & ita eadẽ numero accidentia, quæ præfuerunt incorrupto manere posse in genito, dicendum est in cassu posito, quando canis moritur, & generatur cadauer, duplicem motum considerari posse, alterum quo materia prima, & eius quantitas cum reliquis accidentibus mouetur, & hunc motum esse eundem numero

lo, ac fuit in cane: neque discontinuari quando generatur cadauer: quia manet idẽ subiectum illius, nempe materia prima, & ita non est, vnde discontinuetur, & sit nouus motus diuersus à priori, & ita loquendo de hoc motu nihil probat argumentum quia nõ incipit de nouo quãdo generatur cadauer. Aliũ vero motum cõsiderare possumus, quo forma cadaueris de nouo genita, deinde mõuetur localiter, quanuis per accidens ad motum cadaueris, & hic motus non habet primam mutationem indiuisibilem, qua initietur: quia illa actio, qua forma cadaueris in instanti suæ generationis acquirit locum non est mutatio: quia non præsupponitur talis forma duratione aliqua existens cum priuatione loci acquisiti, & ita adhuc loquendo de motu formæ non potest dari, primum indiuisibile motus.

Etsi instes: nam ex dictis in hac solutione sequi videtur dari aliqua accidentia, quæ subiectentur in forma, & ita non omnia subiectari in materia. Probatur sequella: quia vt supradiximus ex Aristotele 5. libro motus subiectatur in mobili, idest, in eo quod mouetur: sed forma per nos mouetur motu diuerso ab illo, quo materia, & accidentia, quæ sunt in illa mouentur: ergo est subiectum talis motus.

Respondetur nos solum negasse accidentia corporea subiectari in forma tanquam in subiecto quod: quoniam subiectum, quod, debet habere subsistentiam, vt quod, qualem nulla forma corporea habet: sed solum materia prima, non tamen negamus formam esse subiectum, quo, aliquorum accidentium, admodum quo quantitas est subiectum, quo, reliquorum accidentium, ita vt tandem talia accidentia, & ipsa quantitas subiectentur in materia prima tanquam in subiecto, ita etiam quanuis forma substantialis sit subiectum, quo, aliquorum accidentium qualis est motus, & aliquarum relationum identitatis, vel diuersitatis, cum alia forma, vel creaturæ ad Creatorem: tamen tam forma ipsa, quàm accidentia, quę in illa subiectantur tandem subsistantur, vt quod in ipsa materia prima.

ra non potest extrahi, nisi per motum localem, qui cum debeat durare tempore aliquo iam in illo tempore continuabit suam actionem alterationis. Similiter si fingamus interponi corpus aliquod impediens actionem, cum interponatur per motum localem durantem in tempore aliquo, donec finiatur ille motus, durabit alteratio tempore aliquo, & ita nunquam dabitur per naturam illud primum indiuisibile separatum à partibus cõtinuis, vtrum vero de potentia absoluta posſit dari indiuiſibile separatum à continuo dicam sexto libro, Physicorum.

Assert. 2.

Dico secundo, in hac quæstione de potentia absoluta Dei, non repugnat dari in omni motu primã mutationẽ indiuisibilẽ qua initietur motus ratio est: quia si Deus produceret in instãti aliquã quãtitatẽ in materia prima præexistenti atque adeò permutationem, & deinde in tempore immediato post illud instans illam augeret, aut si in instanti produceret aliquam qualitatem, & in tempore immediato, illam intenderet, isti motus augmentationis, & alterationis, iam haberent illam primam mutationem instantaneam à qua initiarentur: idẽ est in motu locali, si intelligeremus Deum mouere corpus aliquod in instanti de loco ad locum, atque adeò permutationem instantaneã, & immediate, post illud instans illud corpus successiuè moueri, tunc motus localis successiuus præsupponeret illam primam mutationem indiuisibilem, imo idem esse potest in nutritione substantiali, si postquam viuens aliquod productum est in instanti per primum sui esse in tempore immediato post illud instans, illa substantia successiuè cresceret, tunc enim iam ante illum motum præcessisset prima mutatio indiuisibilis, & instantanea, quæ est generatio viuentis, hoc tamen naturaliter loquendo est impossibile: quia ante nutritionem, qua substantia crescit debet præcedere alteratio, qua alimentum paulatim, & successiuè disponitur, vt conuertatur in substantiam aliti, & ita non potest fieri in illo primo instanti. Denique ratio à priori huius conclusionis est: quia sicut linea

vt diximus de qualitate, quę postquam iam producta est intenditur, ideo non semper motus habet primum indiuisibile, bene tamen vltimum: quia vltimum indiuisibile termini non supponitur productum ante motū: quia terminus habet esse per motum, & ita vltimum indiuisibile termini habet esse per vltimum indiuisibile motus.

Ex dictis sequitur, quod tempus non semper habet primum instans, quo initietur, quanuis semper habeat vltimum. Ratio est: quia tempus, & motus proportionantur inter se, ita vt partibus temporis correspondeant partes motus, & indiuisibilibus temporis indiuisibilia motus: quia in instanti non potest esse aliqua pars motus: quia est successiua, & ita tunc tantum est indisibile motus: ergo tunc solum habet tempus primum instans, quando motus habet primum indiuisibile, secus, minimè.

Omitto in hac disputatione plures quæstiones de motu, quæ hoc loco tractari solét, quia supra à nobis iam disputatæ sunt: nam in primis, quęri solet, in quo prædicamento ponatur motus, quam per tractauimus capite de quantitate, vbi diximus motum successiuum poni in prędicamento quantitatis: quia habet proprias partes in quas sit diuisibilis, si vero loquamur de motu prout etiam comprehendit mutationes instantaneas ponitur in prædicamento sui termini reductiuè; quia est via ad illum.

Secundo quæri solet, vtrū motus distinguatur realiter à termino. In quo partem affirmatiuā docuimus, 2. lib. dispitatione de causa efficienti, vbi ostendimus omnem actionem prædicamentalem distingui ex natura rei à termino, constat autem ꝙ motus sit actio prędicamentalis super addita termino: quia transacto motu manet terminus, verbi gratia, transacto motu locali manet præsentia localis acquisita per illum, & ita si datur vnum sine alio distinguuntur ex natura rei. Denique rationes ibi adductæ hic insimili applicatæ, eandem habent vim.

Tertio solet disputari, vtrum actio sit in agente vel in passo, & ita, an motus sit in mouente, vel in mobili: de quo

de quo iam dixi loco allegato disputatione de causa efficienti: denique alia, quæ expectant ad terminos motus, vt ordinem Aristotelis sequamur, traddemus quinto libro Physicorum.

DISPVTATIO SECVNDA DE INFINITO.

SVPPONO in hac disputatione re vera ad Physicum expectare, de infinito, vt Aristoteles docuit hoc lib. text.24. nam cum agat de corporibus naturalibus, & de quantitate illorum, ad ipsum attinet considerare. Vtrum sit vel possit esse corpus aliquod infinitum, & an sit infinita multitudo corporum: agit etiam Phylosophus de prima causa omnium naturalium entium, de qua ad illum attinet disputare, Vtrum habeat virtutem infinitam, vel non: ergo ad Physicum expectat agere de infinito.

QVAESTIO.I.

Quid & cotriplex sit infinitum.

(1.)

ARistoteles Hoc lib. textu.62. reijcit diffinitionem infiniti adductam ab antiquis, scilicet, *Infinitum est cuius nihil est extra*: quia inquit etiam hęc definitio conuenit finito perfecto: quia cum finitum perfectum habeat omnes perfectiones sibi debitas, eius nihil est extra.

Quare ipse aliam adduxit definitionem, dicens, *Infinitum esse cuius semper restat aliquid accipiendum*. & ita vlna finita est, quia si sumas quatuor, vlnas nihil restat vltra accipiendum, & in idem coincidit definitio aliorum sumpta ab ethimologia nominis scilicet, infinitum est, quod caret omni fine: nam infinitum idem est, quod nullo modo finitum, & limitatú, vt docuit Arist. 11. Meth. cap. 9.

Secun-

Quid aduert. Secundo aduertendum est quod hoc infinitum est multiplex aliud enim est infinitum secundum essentiam: Qualiter solus Deus est infinitus quia habet essentiã infinitè perfectam. Aliud vero est infinitum non secundum essentiam, sed secundum extensionem, & diuisibilitatem partium, & est illud quod habet partes infinitas.

Quid aduert. Vbi aduertendum est partes alicuius quantitatis posse esse induplici differẽtia quædam enim sunt partes proportionales, & sunt illæ, quæ non sumuntur in certa & determinata quantitate: sed possunt sumi minores, & minores. Qualiter vlna est diuisibilis in duas medietates minores illa, & quælibet medietas in alias duas medietates minores, & sic in infinitum: nam de his partibus verificatur, quod quantum est diuisibile in semper diuisibilia. Aliæ vero sunt partes aliquotæ, & sunt illæ quæ habent certam & determinatam quantitatem, vt Palmus, de quo latius dicam 6. Physicorum: vt ergo corpus aliquod sit infinitum non satis est quod habeat infinitas partes proportionales, quia vt dicam 6. physic. in qualibet quantitate quantumuis finita dantur infinitæ partes proportionales: requiritur ergo quod habeat infinitas partes aliquotas, v. g. infinitos palmos. Et rursus hoc infinitum secundum quantitatem, & extẽsionem partium duplex est: aliud est infinitum secundum magnitudinem, & est infinitum secundum quantitatem continuam, vt si daretur corpus aliquod infinitũ. Aliud est infinitum secũdum multitudinem, & est infinita multitudo, vt si daretur numerus infinitus. Sed rursus tertio quodlibet infinitum ex his duplex est, aliud est infinitum in actu & est quod actu nullum habet limitem, neque finem, sed potius actu habet infinitatem, & hoc appellari solet infinitum cathegorematicè. Aliud vero est infinitum in potentia, & est illud quod potest esse maius & maius sine termino, tamen de facto sẽper finitũ est. Qualiter tẽpus potest magis & magis durare, tamen semper finitum est & hoc appellari solet infinitum sincathegorematice.

Dubiũ circa quæst. His suppositis dubitari potest in hac quæstione circa naturã infiniti, vtrum vnũ infinitũ possit esse maius alio, prima sententia affirmat nulla ratione vnum infinitum

posse esse maius alio: Primo, quia maius & minus sunt denominationes entis finiti, sicut æquale & inæquale.

Secundo, quia infinitum omnia cótinet: ergo si quodlibet infinitum omnia continet, nullum infinitum est maius alio.

Tertio, quia in infinito sunt infinities infinita. V. g. in qualibet quantitate sunt infinities infinitæ partes, quia quælibet quantitas continua continet infinitas partes, vel infinita puncta, & quælibet pars illius quantitatis continet infinitas partes, & quælibet pars continet infinita pũcta.

2. Sent. Secundo alij asserunt, vnũ infinitum posse esse maius alio, quando vnum infinitum est pars alterius, secus vero minimè. Sic videtur docere Sanctus Thomas 3. part. quęst. 10. art. 3. Tamen vt res hæc intelligatur aduertendum est duobus modis posse vnũ excedere alium primo excessu determinato & certo: qualiter vlna excedit quartam excessu certo assignabili nẽpe tribus quartis: Alius vero est excessus in certus & indeterminatus.

Assert. 1. Hoc supposito dico primo, vnum infinitum non potest intelligi maius alio excessu certo & determinato: ratio est apperta: quia infinitum nullum habet finem, neque terminum: ergo nullo excessu certo & determinato potest excedere alium infinitum.

Diço secundo vnum infinitũ potest intelligi maius alio excessu indeterminato. Hæc conclusio mihi adeò certa est, vt contrarium existimem omnino esse in intelligibile: & probatur primo, quia quarta quæ est inclusa in vlna habet infinita puncta & infinitas partes: sed tota vlna habet illa eadem puncta, & præterea omnia alia puncta, & partes quæ sunt in alijs tribus quartis: ergo habet maiorem multitudinem partium & pũctorum, quàm sint tantùm in illa quarta. Patet; quia vlna includit omnes quatuor quartas, sed tam in vlna quam in quarta est infinita multitudo punctorum: ergo bene potest vnum infinitum excedere aliud. *Vnũ infinitum est maius alio.*

Secundo, quia fingamus dari corpus aliquod infinitum, à quo deinde abscindamus partem aliquam. v. g. vnius palmi: tũc quantitas, quæ remanet adhuc est infini a: quia si est finita, iam solum fieret infinita per aduentum illius palmi, quod est falsum: quia palmus finit' est: ergo si alijs quanti-

quantitas præexistens esset finita, totum quod resultat finitum esset: ergo reuera quantitas quę remanet adhuc ablato illo palmo infinita est: sed illi quantitati potest iterum addi palmus, qui antea fuerat abscissus: nam si potest ille palmus d. trahi, quare postea nó poterit addi: ergo illa quantitas cum palmo maior est, quàm sine illo & semper est infinita: ergo vnú infinitum post esse maius alio.

Responderi solet huic argumento, quod quanuis illi quantitati infinitę super addamus alium palmum, non esse maior quantitas, sed profecto hoc est in intelligibile: nam illa quantitas est maior alia, quę habet aliquid præter illam: sed illa quantitas post additionem palmi habet aliquid pręter quantitatem pręexistentem, nempe palmum: ergo est maior præexistenti.

Addo tamen, quod tunc quanuis quantitas, quæ additur alteri sit finita & determinata, scilicet palmus, cum hoc tamen quantitas habens illum palmum excederet aliam præexistentem excessu indeterminato: quia quantitas præexstens absque illo palmo infinita est, & indeterminata, & ita quantunuis super addita, sit determinata, tamen excessus indeterminatus est: quia excessus etiam dicit relationem ad quantitatem, quæ exceditur, quæ cum infinita sit nó est mensurabilis, atque adeò nec determinatè commensurabilis alteri.

Tertio probatur cóclusio, quia si daretur infiniti homines, proculdubio maior esset multitudo capilorú, quá hominú: quia in quolibet homine essét, quá plurimi capili, & tamen vtraq; multitudo esset infinita: ergo reuera vnú infinitum potest excedere aliud.

Ad argumétá contrariæ sententiæ respondetur ad primú quod maius & minus excessu determinato & cóméfurabili sút passiones entis finiti, quia finitú mensurabile est: tamen maius & minus excessu indeterminato, & non cómensurabili bene possunt conuenire infinito. *Resp. ad artic. 1. sent. ad 1.*

Ad secundùm quod illa propositio infinitú omnia continet, vel est ęquiuoca, vel in rigore sermonis est falsa: quia multitudo punctorum, quæ sunt in quarta parte vnius vlnæ est infinita multitudo, & tamen non continet puncta, quæ sunt in alijs partibus: ergo infinitum non continet omnia. *Ad 2.*

Solum ergo illa propositio est vera in hoc sensu, quod si daretur corpus aliquod infinitum contineret omnia loca & omne spatium, tamen absolute loquendo neganda est propositio.

Ad tertium quod quamuis in infinito sint infinities infinita vnum infinitum potest esse maius alio, excessu indeterminato, quia hoc vt probatum est non repugnat ratione infinitatis.

Ex dictis sequitur, quod infinito potest fieri additio, sicut potest fieri detractio, verum est quod per illam additionem non fieret maius excessu determinato, & hoc fortasse intendunt, qui dicunt nullam additionem fieri posse infinito.

QVAESTIO II.

An detur, vel dari possit per naturam infinitum in actu.

1. *Certum.* CONVENIVNT omnes de facto dari infinitũ per essentiam, qualis est Deus, cuius essentia est infinita, & ita solum dubitatur, an extra Deum possit dari per naturam aliquod infinitum.

2. *Certum.* Secundo certum est dari infinitam multitudinem entium incomplectorum, qualiter dantur in quantitate infinita indiuisibilia, & infinitæ partes & infinitæ relationes diuersitatis vnius partis cum alia: solum ergo loquimur de entibus completis, an ex illis possit coalescere aliquod infinitum, qualiter ex infinitis partibus proportionalib' coalescit quantum finitum, & ita non mirum est dari infinita illa entia partialia.

3. *Certum.* Tertio conueniunt omnes quod loquendo de entibus completis datur de facto infinitum in potentia. Sic enim docuit Arist. hoc lib. textu. 56. qualiter tẽpus appellatur infinitũ in potẽtia in ordine ad partes futuras, quia potest magis ac magis crescere sine termino, & numer' appellatur infinitus in potẽtia, quia possunt illi super addi plures & plures vnitates: solum ergo est dubium an detur, vel dari possit per naturam aliquod infinitum in actu.

De qua re, quamuis apud antiquos phylosophos fuerit controuersia, vt refert Arist. hoc lib. à text. 24. per plures textus Millesius enim citra Deum

citra Deum posuit vnum ens infinitum & Anaximenes infinitum aerem, iam tamen est receptissima omnium phylosophorum sententia nullum dari, neq; dari posse per naturam infinitum in actu, sic docuit Aristot. hoc lib. à textu. 24. vsque ad 75. & 1. lib. de cœlo, à textu. 33. vsque ad 76. Cui omnes consentiut. Et in primis probatur, quod nõ detur numerus infinitorũ entium: quia, vel talia entia different specie, vel numero: non specie: quia cum vna species sit perfectior alia, si darentur infinitæ species, daretur species aliqua infinite perfecta, quod citra Deum non est possibile. Neque talia essent sola numero differentia, quia nullos potest fingi finis naturalis ad quem necessario sint indiuidua infinita in actu, ergo non sunt, neq; esse possunt per naturam, quia natura nihil facit frustra.

Secundo probatur, nullum corpus naturale posse esse infinitum. Primo, quia vel esset extra cœlum, vel intra; non intra cœlum: quia iam clauderetur termino: quia contineretur intra cœlum, atque adeò non esset infinitum, neque extra cœlum, quia ad nullum finem naturalem potest conducere fingere corpus aliquod extra cœlum, ergo non est ponendum per naturam.

Secundo, quia si loquamur de viuentibus natura sua habent terminum magnitudinis & paruitatis, vt 1. lib. ostẽdimus: si vero loquamur de non viuentibus, idem probat Aristot. 1. lib. de cœlo cap. 6. quia, vel illud corpus moueretur motu recto, vel motu circulari: sed nullo motu ex his moueri posset, ergo non est possibile: quia vnum quodq; est propter suam operationem. Probatur minor, quia in primis non posset moueri motu recto, quia per motum mobile deserit vnum locum & acquirit alium, sed corpus infinitum non potest deserere vnum locum & acquirere alium: ergo infinitum corpus omnia repleret, ergo non posset moueri motu recto.

De circulari vero probatur; quia sequeretur infinitum spacium posse per transiri, quod est impossibile: quia infinitum caret fine: sequella vero probatur: quia in corpore circulari, lineæ quæ protrahuntur à centro ad circunferenaiam, quanto magis protrahuntur magis distant, vt videre est in hac figu-



figura, & ita cum in corpore infinito pro traherentur in infinitum, distarent in infinitum: sed corpus, vt moueatur circulariter debet trãsire distantiam, quæ est ab A. in B. quæ distantia est infinita: quia illæ lineæ in infinitum protractæ, in infinitum distant inter se: ergo posset per transiri distantia infinita. Denique adhoc probandum plura alia argumenta adducit Aristot. 1. lib. de cœlo à cap. 5. vsque ad 7. quæ ibi latius prosequar, in re enim apud omnes certa, non oportet amplius immorari.

QVAESTIO IIII.

Vtrum, saltem de potentia Dei absoluta possit dari infinitum in actu.

QVAESTIO Hęc propter magnam sui difficultatem omnibus phylosophus Christianis vehementer negocium facessit, Arist. enim & reliqui antiqui phylosophi cum de super naturalibus nihil agnouerint, solum agnoscunt in Deo potentiam naturalem & ordinariam, qua operatur iuxta rerum naturam & exigentiam, & secundum hanc potentiam non esse possibile infinitum iam diximus, & ita solum superest quæstio de potentia Dei absoluta.

1. sent. Prima sententia affirmat possibile esse infinitum in actu, tàm secundum multitudinem, quàm secundum magnitudinem. Tenet Ocham in 2. quæstione 1. Gab. dist. 1. quæstione 3. Gregor. in 1. dist. 44. quæst. 4. Maior, & Almainus in 3. dist. 13. & pro babile reputat Duran. in 1. dist. 4. quæst. 2. & Pereir. lib. 10. cap. 11. ad quam sententiam probandam sunt non leuia argumento. Primo, quia 1. rationis quælibet potentia actiua potest producere obiectum sibi proportionatum: qualiter potentia calefactiua caloris potest producere calorem sibi proportionatum: sed potentia Dei est infinita: ergo habet proportionē cum infinito: ergo potest producere infinitum.

Secundo, quia in qualibet parte temporis, aut in quolibet instanti potest Deus producere vnicum Angelum, vel hominem: sed tempus habet infinitas partes & infinita instantia: ergo in fi-

ne illius temporis daretur infinita multitudo Angelorum producta.

Tertio, quia de facto datur infinita multitudo entium in completorum, nempe infinita multitudo partium & punctorum: ergo saltem de potentia absoluta Dei poterit dari infinita multitudo, entium perfectorum.

Quarto, quia Deus potest producere simul, ea, quę successiuè potest producere: sed Deus successiue potest producere infinitam multitudinem entium: quia quolibet assignato potest producere aliud & aliud: ergo omnia illa entia potest producere simul: ergo potest dari multitudo entiũ actum infinita.

Quinto, quia vel infinitum repugnat dari ratione entis, scilicet, quia est ens infinitum, & hoc non: quia de facto datur Deus in sua entitate infinitus, vel repugnat in ratione entis creati: & hoc etiam non: quia creatura, vt sic non dicit habere terminum, sed dependentiam à Creatore, quod non excludit infinitatē: nam reuera intellectus optime capit, quod si daretur corpus infinitum in actu, illud dependeret à Deo producente illud: ergo ex nullo capite repugnat.

Contraria tamen sententia longe verior est, etiam hoc tempore communis, scilicet nullum infinitum in actu esse possibile, tam secundum magnitudinem, quàm secundum multitudinem, & etiam secundum intensionem, adhuc de potentia Dei absoluta. *Nullũ infinitũ in actu est possibile*

Tenet Diu. Thom. 1. part. quæst. 7. artic. 3. ad 1. & ibidem. Caietan. Bonauen. in 1. d. 43. quæst. 3. Capreolus ibidem, quæst. 1. Iandunus 1. lib. de cœlo quæst. 21. Sotus in 2. dist. 1. quæst. 3. Ferr. 2. contra gentes, cap. 8. D. Vallas. controuersia. 22. & communiter auctores hoc li. Sotus quæst. 4. & alij, ad quã sententiam probandam plures rationes adduci solent, parum profecto efficaces: nam quod non possit multitudo infinita dari, quidam ex eo probant: Quia de ratione numeri est, quod sit numerabilis; sed infinita multitudo non est numerabilis: ergo non est possibilis. Quæ ratio est Aristot. hoc lib. textu. 61. Verumtamen hæc ratio potius ad disputandum, quam ad rem demonstrandam ponitur ab Arist. vt ipse fatetur, & reuera nihil probat. Quia quamuis de ratione nu-

numeri finiti sit, quod sit nũmerabilis, tamẽ quod hoc sit de ratione numeri infiniti nõ probatur, & eadem ratione reijcitur ratio, qua alij probant non esse possibile corpus infinitũ in actu, quia de ratione quantitatis est quod habeat figuram aliquam, sed infinitum nullam figuram habere posset: quia figura solum potest imaginari in quantitate terminis clausa: ergo, quę ratio eundem habet defectum: nam quamuis non possit dari quantitas finita, quin habeat figuram aliquã, tamen quod hoc sit etiam de ratione quantitatis infinitæ non probatur.

Secundo alij hoc probant, quia implicat contradictionem quod totum non sit maius sua parte: sed si daretur infinita multitudo non esset maior sua parte: ergo implicat dari. Probatur, quia ab illa multitudine infinita auferamus aliquas vnitates: tunc, quod remanet infinitum est: nam ex eo quod ab infinito auferamus quatuor vnitates non ideo desinit esse infinitum, cum habeat infinities infinita: si ergo quod remanet est infinitum: ergo non est minus infinito præexistenti, quod præter hoc habebat alias vnitates ablatas: ergo iam totum non esset maius sua parte.

Sed neque hæc ratio aliquid probat, cum iam supra ostenderimus vnum infinitum posse esse maius alio, quod includitur in illo, saltem excessu indeterminato, & si argumentum aliquam haberet vim, probaret in vlna non dari infinita puncta: quia cum in quarta sint etiam infinita puncta, multitudo punctorum quæ est in tota vlna, non esset maior, quàm multitudo punctorum quæ sunt in quarta, quę multitudo includitur in multitudine punctorum totius vlnæ: ergo sicut in hoc exemplo hæc ratio nihil conuincit, quia vnum infinitum bene potest esse maius alio, quod includatur in illo, sic dici posset si daretur multitudo infinita.

Tertio alij probant, quia impossibile est dari à parte rei indiuiduũ aliquod, quod nullam habeat speciem ad quam reducatur: sed si daretur infinitus numerus ad nullam speciem numeri posset reduci: ergo non est possibilis. Probant minorem, quia species numeri sumitur ab vltima vnitate: sed in numero infinito non est vltima vnitas à qua possit sumi

mi species illius: ergo nõ est possibilis. Tum etiam, quia addita, vel ablata vnitate variatur species numeri: sed etiã si à numero infinito auferas vnitatẽ, vel illi addas, adhuc manet infinitum; ergo non est possibilis numerus infinitus.

Sed neq; hæc ratio conuincit. Tũ: quia falsum est formã numeri sumi ab vltima vnitate, vt dixi in cap. de quantitate. Tum etiã, quia facile potest aliquis respõdere, quod ablata, vel addita qualibet vnitate mutaretur species numeri infiniti, quãuis semper maneret ratio numeri infiniti, quasi generica. Sicut de facto qualibet vnitate addita, variatur species numeri finiti, quãuis semper maneat ratio generica numeri finiti.

Quarto, alij probant, quia infinitas est proprium attributum Dei: ergo nulli creaturæ potest cõmunicari, sicut neque esse purum actum.

Sed neq; hæc ratio placet: quia attributum Dei non est infinitas quomodocunque, sed infinitas secundũ essentiam, & hæc infinitas nulli creaturæ posset cõmunicari, aliàs esset Deus, tamen infinitas, secundũ quid, nempe secundum magnitudinem, aut multitudinem, non est attributum Dei; imò aliqua attributa Dei cõmunicantur creaturis, quamuis non eo modo, quo sunt in Deo. Qualiter sapientia, quamuis sit attributum Dei cõmunicatur creaturis, licet non infinito modo, sicut est in Deo, & de attributo illo, quod est esse purum actũ, est dispar ratio: nã hoc attributum absolute, & simpliciter quomodocunque sumatur dicit infinitam perfectionem: nam si est purus actus, ita vt ad nullã perfectionem, nouam dicat potentiam, euidenter sequitur esse infinite perfectum, & ita hoc attributum, nullo modo potest communicari creaturis, quod secus est de sapiẽtia. v. g. Quia sapientia in communi, non dicit infinitam perfectionem, vt patet de sapientia creata, & ita quã uis sapientia infinita Dei, nõ possit communicari creaturis, non tamen sapientia absolute.

Quinta ratio, qua plurimi vtuntur est. Quia si daretur infinitũ in actu. v. g. infinitũ corpus, esset exausta potẽtia Dei, quod est impossibile, cũ sit potentia infinita, sequellã vero probant: quia infinito non potest fieri additio.

Sed hæc ratio, nihil probat, habet enim apertam in-

stantiam in potentia intellectiua Dei. Nã cũ Deus nihil cognoscibile ignorare possit de facto cognoscit omnia intelligibilia: ex quo tamen nõ licet inferre potentiã intellectiuã Dei exaustam esse: sed iam esse reductam ad suum actum, nõ tamẽ exaustã: quia cum nihil sit amplius intelligibile, non est mirum si illud nõ possit intelligere, sic, etiã si Deus produxisset infinitũ, & illi, nõ possit fieri additio, adhuc tamen non esset potentia exausta, quia posset illud anihilare, & iterũ reproducere, præsertim quod non est adeò certum, quod nulla prorsus additio possit fieri in finito, vt quæstione prima dixi, & ita non probatur potentiam Dei esse exaustam.

Sexto alij probant ex modo operandi Dei: quia quidquid Deus ad extra operatur, libere operatur, vt docent communiter Theologi, voluntas autem libera est, siquidem potest producere tãtum, & non amplius: sed in infinito, non possumus verificare hoc, quia in illo non est assignare tantum, & non amplius, quia est infinitum: ergo repugnat infinitum produci à Deo.

Sed neque hæc ratio placet: quia in ea, supposito quod Deus produceret infinitum, quamuis nulla posset esse libertas in hoc, quod est producere tantum, & non amplius, quia hoc repugnat infinito; tamen posset optime intelligi libertas contradictionis: quia posset Deus producere, & posset non producere illud, & ita optime intelligeremus, quod absolute produceret, illud libere.

Probatur nostra conclu-

Quare his, & pluribus aliis omissis, quæ longum esset recensere, aliter probanda est à nobis prædicta conclusio, nempe quod nullum infinitum in actu sit possibile. Et in primis probatur euidenter, de quantitate continua permanenti: nam si daretur corpus rotundum, infinitum, sequeretur, quod eadem distantia sit finita, & infinita: sed hæc est euidens implicatio, ergo & primum. Probatur sequella: quia in corpore circulari lineæ, quæ protrahuntur versus circumferentiã, quanto magis protrahuntur magis distant, vt videre est in illa figura: ergo si tale corpus esset infinitũ, protraheretur in infinitum: ergo distantia intercepta inter illas duas lineas est infinita. Quod vero sit finita, patet: Quia clauditur inter duas li-



neas

neas: ergo clauditur terminis: ergo etiã esset finita, quę euidens implicatio est. Et eadẽ implicatio manifeste probatur in quolibet corpore, etiã non sit rotundum: nam etiãsi in illo possunt protrahi lineę versus circumferenaiã, quæ quanto magis protrahũtur, magis distant, vt videre est in hac figura, & ita in corpore infinito, in infinitũ protraherentur, & ita sequitur idẽ inconueniens, quod distantia, in finita terminis claudatur: ergo est impossibile infinitum.



Et idem probatur de superficie eadem ratione: quia etiam in superficie protrahũtur lineæ versus circũferentiam, quæ quanto magis protrahuntur, mrgis distãt, sicut de corpore dictum est, & ita etiam probatur esse impossilem infinitã lineam: quia linea natura sua, postulat superficiem, & corpus quod terminet: si ergo est impossibilis infinita superficies, & infinitum corpus: ergo etiã est impossibilis infinita linea. Imo hinc fit etiam esse impossibilem substantiã infinitã, quia hæc extenditur ad extensionem quantitatis, & ita sicut quantitas est impossibilis, ita & substantia. Imò similis ratio fieri posset de substantia illa infinite extensa, ac de superficie, & corpore diximus.

Secundo probatur de quãtitate successiua, vt de tẽpore, & motu, quod non possit esse infinita. Ad quod supponendũ est, ꝙ in infinito sunt infinities infinita. v. g. in numero infinito hominũ sunt infiniti binarij, & infiniti ternarij, & infiniti quaternarij, & sic in infinitũ: ergo sunt infinities infinita. Probatur antecedẽs: quia si in numero infinito, hominũ essent binarij finiti, nõ efficerent numerũ infinitũ: quia iam finirentur illæ vnitates, & idem est de ternariis, & quaternariis, & sic de reliquis numeris in infinitum: ergo reuera in infinito sunt infinities infinita.

Hoc supposito argumentor sic. Si daretur tẽpus successiuum infinitũ in actu: ergo essent trãsacti infiniti dies, & in hac infinita multitudine dierũ sunt infinities, & infiniti dies, & cũ tẽpus sit essẽtialiter successiuũ, vnũ infinitum, ex illis infinitis, sequitur post aliud: ergo si vnum infinitum, ex his sequitur post aliud, non potest vnum infinitum, sequi, donec aliud finiatur: ergo illud infinitum esset finitum, & pertransactum, quod est contra essentiam infiniti: ergo implicat

plicat contradictionem dari infinitum tempus. Simile argumentum, potest fieri de motu successiuo: quia motus, & tempus proportionantur.

Dices non esse inconueniens dari infinitũ per transactum: quia de facto in quauis quantitate dantur infinita indiuisibilia, & illa necessario sunt pertransacta, quando talis quantitas pertransitur. Respondetur esse diuersam rationem: nam ex illa infinita multitudine indiuisibilium, & partium proportionalium fit vnica quãtitas finita: quia est infinita multitudo entium in completorum, quæ possunt coalescere in vnum totum finitum, & ita illud totum finitum: quia finitum est pertrãsiri potest, tamen infinitum completũ, quia nullo modo facit finitum, nullo modo pertransiri potest, quia caret fine.

Tertio probatur, quod nõ sit possibile infinitum, secũdum multitudinẽ. v.g. quod non sint possibiles infiniti lapides; quia sequeretur idẽ spacium, tam plene occupari à corpore paruo, sicut à corpore magno proportionato cum spacio, quod est implicatiuum. Probatur sequela: quia si darentur infiniti lapides, vnius palmi, illi infiniti lapides occuparent omne spacium imaginarium: sed si darentur infiniti lapides duplicis palmi, non possent ocupare maius spacium, quã omne spacium imaginarium. Sed idem spacium ocupabãt lapides parui: ergo idem spacium, ita plene occuparetur à corporibus magnis, sicut à corporibus paruis.

Quod argumentum etiam probat de multitudine substantiarum spiritualium: nam si possent à Deo creari infiniti Angeli, possent ita creari, vt singuli occuparent singulos palmos loci, & ita ocupantes omne spacium imaginabile: sed si darentur infiniti Angeli, quorum quilibet ocuparet duos palmos spacij, non possent ocupare maius spacium, quàm totum imaginarium: sed idem spacium alij ocupabant: ergo. Idem probatur de infinita multitudine Angelorum.

Quarto probatur, quod nõ sit possibile infinitum in actu secundum intensionem, vt in qualitatibus: quia si est possibilis qualitas infinita intensa, ergo erit possibile infinitũ lumẽ gloriæ, quod est quædam qualitas supernaturalis, qua Beati videt Diuinam essen-

essentiam: sed hoc implicat contradictionem: ergo & primũ. Probatur sequella: quia si esset possibile infinitum lumẽ gloriç, sequeretur creaturã, posse cõprehendere Deũ, & probatur: quia Beati tanto perfectius vident Deũ, quanto habent maius lumẽ gloriç manifestans illis attributa, & perfectiones Dei: ergo si aliquis Beatus haberet infinitũ lumen gloriæ, videret omnes perfectiones Dei, & quidquid in illo est visibile, & omni claritate, & perfectione, qua potest videri, sed hoc esset cõprehendere Deũ, nã cõprehẽsio est cognitio obiecti quantũ cognoscibile est: ergo tũc creatura cõprehenderet Deũ, hoc tamen esse omnino impossibile docent cõmuniter Theologi: neq; modo opus est id amplius disputare, sufficiat credere hãc esse communem Theologorũ sententiam: ergo impossibilis est qualitas infinita.

Secũdo probatur de omni qualitate, tã naturali, quã supernaturali: quia si esset possibilis qualitas habẽs infinitos gradus, cũ illi gradus habeãt inter se subordinationẽ, vt dicemus 1 lib. de generat. ita quod tertius grad⁹ supponit secundũ, & secundũ primũ, sequitur quod infinitum sit finitũ: & probo. Quia in infinito, vt probatũ est sunt infinities infinita: ergo infinita illa cũ sint subordinata, & vnũ supponat aliud, nõ sequetur vnũ infinitũ, donec aliud supponatur, quasi iã transactũ in productione illius, qualitatis & ita infinitum esset transactum, & finitum, quod esset implicatiuũ contradictionis. Concluditur ergo ex dictis efficaciter nullum infinitum in actu esse possibile.

Resp. ad rationes contra sent. Aristotel. Superest respondamus ad argumẽta cõtrariç sententiç, ad primum respõdetur, verũ esse q potẽtia Dei est infinita, & ad hoc satis est, q possit facere infinitum in potentia, vel syncathegorematicè: quia si potest efficere nõ tot, quin plura, & plura, euidẽter sequitur potentiã esse infinitã, non tamen potest facere infinitũ in actu, neq; habet proportionem cum illo: quia infinitum in actu inuoluit impossibilitatẽ, & implicationem, vt fiat, & ita potentia nullã habet proportionẽ cum illo: quia potentia factiua, solum potest habere proportionem cum re factibili, & hinc fit, quod ratio, quare Deus non possit producere infinitum in actu, non est desumenda ex impotentia Dei: quia Deus quicquid est pos-

sibile potest facere, ita vt ex parte Dei nihil repugnet. Ratio ergo est d. suméda ex impossibilitate, & implicatione ipsius rei.

Ocasione huius quæri potest hoc loco, an possit Deus quacumque specie data producere aliá essentialiter perfectiorem, & quacumque data imperfecta, possit producere aliam essentialiter imperfectiorem. Quidá negant vt Scotus in 3. dist. 53. quęst. 1. Durand. in 1. dist. 44. q. 2. Henrricus quodlibeto 5. quæst. 7. quibus fauere videtur D. Augustinus, in Inchiridi. 5. cap. 10. dicens vniuersum hoc non potuisse à Deo perfectius, aut elegantius condi.

Tamen proculdubio dicendum est, quacumq; specie data posse Deum aliá producere perfectiorem, & imperfectiorem: etiam docuit Diuus Thom. 1. par. q. 25. artic. 6. & 3. contra gentes, cap. 26. Bonauent. in 1. dist. 44. q. 1. Capreol. in 1. dist. 43. quæst. vltima. Sonc. 12. metaph. q. 5. & est ii cómunis sententia, quæ probatur hac ratione. Primo, quia quælibet species dabilis finita est, in sua perfectione essentiali: sed finitum eo modo, quo finitum est excedi potest: ergo possibilis est alia species perfectior, & imperfectior: etiá quia nulla species dabilis probari potest, quod habeat infimum gradú perfectionis possibilis, & ita quáuis materia prima habeat infimum gradum inter res substantiales; tamé reuera possibilis est alia e species substátię incóplete imperfectior illa.

Secúdo probatur, quia potétia Dei est infinita: ergo potest producere infinitum, nó in actu, vt probatú est: ergo infinitum syncathegorematice, idest, nó tátú quim maius: ergo quauis data specie, quantumuis perfecta, possibilis est alia perfectior, & imperfectior etiam.

Ad argumentú vero Augustini respódetur, quodquádo asserit vniuersum, nó potuisse condi perfectius, nó loquitur quantú ad species entis, sed quantú ad ordiné, & dispositioné corporú, & hoc nó absolute, quia reuera potuisset Deus creare alia corpora diuersę speciei & cúperfectiori ordine, sed loquitur ex suppositione, ꝙ creauit corpora grauia, & leuia: quia sic oportebat leuia esse sursum, grauia deorsum, & sic de reliquis. *Ad 1. rat. Augustini.*

Ad secundú argumentú cótrariæ sententię respondetur verú esse posse Deú creare vnicú Angelú in quocumque *Ad 2.*

instan-

instanti distributiuè, idest, in quolibet assignabili, potest creare vnicũ Angelũ, sed non in quocumq; collectiue, idest in omnibus instãtibus, simul sumptis, non potest creare vnicum Angelum: quia sic efficeret infinitam multitudinem Angelorum.

Ad tertiũ esse diuersam rationẽ, de multitudine entiũ in cõpletorum, qualia sunt indiuisibilia, aut partes proportionales, & de multitudine entiũ cõpletorum. Ratio differentię est: quia infinita multitudo punctorum, & partiũ proportionaliũ efficiunt vnũ totum finitum: nam sola illa quantitas est infinita in actu, quæ habet infinitas partes aliquotas in actu. v. g. infinitos palmos: at vero in quantitate vnius palmi dãtur partes proportionales infinitæ, & infinita indiuisibilia componentia, vnum quantum finitum: tamen infinita multitudo entium cõpletorũ efficeret numerum completum infinitũ in actu, & nullo modo possent coalescere in aliquod totum finitum.

Sed obiicies, Deus posset conseruare omnes partes cõtinui diuersas, quæ modo continuæ sunt: sed diuersæ iam essent entia totalia, & efficerent numerum entium completorum: ergo est dabilis numerus infinitus entium completorum. Respõdetur negando antecedẽs: quia ex illo sequeretur implicatio, scilicet, quod illæ partes essent quantæ, & non quãtæ. In primis essent quantę: quia quantũ est diuisibile in partes quantitatiuas, quia non potest componi ex indiuisibilibus, & etiã essent nõ quãtæ: quia nõ essent diuisibiles amplius, cũ iam sint omnino diuersæ: ergo implicat cõtradictionẽ, dari continuũ diuisum in omnẽ suam partem.

Ad quartum respondetur, verũ esse Deũ posse producere simul, quicquid successiuè potest producere, nisi sint essentialiter successiua, vt tẽpus, & mot⁹. Hæc enim, quia essentialiter sunt successiua non possunt tota simul produci: quia essentia nõ potest variari, inde tamen argumentum, nihil concludit: quia solum probat, quod sicut Deus potest producere successiuè infinitum syncathegorematice, scilicet, non tot quin plura, ita simul posset producere, non tot quin plura, nõ tamen probat posse producere infinitum in actu.

Vel secundo, & melius respondetur, quod nõ quicquid Deus põt producere succes-

si ue potest producere simul, si loquamur de tota collectione entium: nam ex eo quod illa entia producat successiuè, solum sequitur dari infinitum in potentia, tamẽ si totam collectionem, quam successiue potest producere, simul produceret, illa esset infinita in actu: quia ex vnitatibus quas actu haberet, nó possemus dare vltimam, hoc autem est infinitum in actu.

Ad quintum verum esse, quod infinitum non repugnat in ratione entis absolute: quia non repugnat dari ens infinitũ, vt patet de Deo, vnde solum repugnat in ratione entis creati, propter repugnantias, à nobis adductas.

QVÆSTIO VLtima.

Vtrum, Deus cognoscat infinitum in actu.

Certum ẽst Deum se ipsum perfectissime cognoscere, & comprehendere, qui tamen est infinitus secundum essentiam, solum ergo est dubium, an Deus cognoscat extra se aliquod infinitum in actu.

Est tamen aduertendum, quod in Deo est duplex sciẽtia, alia qua cognoscat impossibilia, quomodocumque id fiat, de quo late Theologi 1. par. quæst. 14. nam reuera Deus cognoscit veritatem, huius propositionis. *Infinitum est impossibile,* & ita necessario debet cognoscere illud prædicatum *impossibile*: quia cognitio connexionis prædicati cum subiecto, non potest haberi sine cognitione extremorũ. Quid aduertẽ.

Alia vero est scictia in Deo realis, qua cognoscit obiecta realia, quæ duplex est. Alia quæ dicitur scientia visionis, & est qua Deus cognoscit res, quæ habent aliquam temporis differentiam nempe, quæ sunt præsentia, præterita, vel futura. Alia vero est sciẽtia, quę dicitur simplicis intelligentiæ, qua Deus cognoscit obiecta possibilia, quæ numquam erunt, inter quas, an sit alia media, quæ dicitur scientia conditionalis, qua Deus cognoscit futura cõditionata, vt quod Ioãnes conuerteretur, si tali tempore vocaretur, nó est nostrũ disputare. Quærimus ergo, an Deus cognoscat infinitũ in actu scientia visionis, vel scientia simplicis intelligentiæ.

Secundo

Quid adu. Secundo aduertendũ est, quod quãuis obiecta futura & possibilia in sua existẽtia actuali, vel possibili habeãt successionẽ, quia non omnia producuntur simul, sed vnum post aliud, tamen in esse obiectiuo, quo obiectiue sunt in mente diuinã, sũt simul, quia simul à Deo cognoscuntur. Ratio est: quia cum Deus sit immutabilis si modo vnum cognosceret, & postea aliud, mutaretur per nouum actum intellectionis: ergo reuera quãuis obiecta quoad realem existen: iam successiue existãt; tamen ex parte cognitionis simul cognoscuntur.

Et si dicas, Deus cognoscit hæc obiecta prout in se sunt, & prout existunt à parte re: sed à parte rei existunt successiue: ergo cognoscũtur successiue.

Respondetur negando consequentiã, solum enim probatur, quod Deus ex par obiecti cognoscat res successiue existentes, ità quod cognoscat vnũ existere post aliud, tamen ex parte cognoscentis simul cognoscuntur, idest, simul & eadem indiuisibili cognitione cognoscit res successiue existere.

1. Sent. His suppositis prima sententia affirmat Deũ nõ cognoscere al ꝙ infinitũ in actu extra se, sed solum infinitum in potẽtia. Tenet Gabriel Almaynus, & alij in 3. dist. 34. & probari potest. Quia Deus non cognoscit aliter res, quam re ipsa existunt, vel existere possunt: quia cognoscit res prout sũt in se: sed res quæ re ipsa habebunt existentiam, vel possunt existere, solum sunt infinitæ in potentia, idest, nõ tot quin plura: quia infinitum in actu in re ipsa impossibile est: ergo tantum cognoscitur à Deo infinitum in potentia, non tamen infinitum in actu.

Secũdo, quia si Deus cognosceret infinitum in actu etiam posset illud Deus efficere, neque enim assignari potest ratio, quare Deus possit cognoscere infinitum in actu non tamen illud efficere, cum non sit minoris perfectionis omnipotentia Dei quam intellectus eius.

Verum tamen contraria sententia nobis tenenda est scilicet Deum tam scientia visionis, quam scientia simplicis intelligentiæ cognoscere multitudinem entium perfectorum, actu infinitam. Cui sententiæ non parum fauet D. Thom. 1. par. *Deus cognoscit infinitũ.*

quæst.14.art.12. vbi absolute, & sine distinctione cōcedit Deum cognoscere infinitum: fauet etiam August. 12.de ciuitat.Dei ca.18. vbi ait quanuis infinitorum numerorū nullus sit terminus, non tamen incomprehensibilis est. Cuius sententię nō est numerus, eandem sententiam tenet Ferr.1.contra gētes cap. 69. Capreolus in 1. dist.35.quæst.2.art. 1.& communiter Thomistæ.

Vnde dico primo, certū est apud omnes Deum cognoscere multitudinem entiū in complectorum actu infinitam. Patet: quia cognoscit omnes partes quantitatis, & omnia indiuisibilia eius, aliàs aliquid ignoraret: sed hæc sunt infinita in actu, ergo cognoscit multitudinē entium incomplectorum actu infinitam: solū ergo est dubium de entibus totalibus.

In quo dico secūdo Deus cognoscit multitudinē entium complectorum actu infinitam, tam scientia visionis, quam simplicis intelligentiæ. Probatur in primis de scientia simplicis intelligentiæ, quia per hanc scientiā cognoscit Deus res omnes posibiles; sed in rebus posibilibus non est dare vltimam: quia quacunq; data potest adeò fieri alia: ergo in illa multitudine entium possibilium, quæ actu sunt in mēte diuina nō possumus dare vltimum: ergo illa multitudo prout est obiectiue in mente diuina, est actu infinita. Patet consequentia: quia illa multitudo est infinita in actu, in qua ex vnitatibus quas actu habet non est assignare vltimam: ergo quanuis illa multitudo rerum non sit aparte rei, tamē considerando illam prout actu est obiectiuè in mente diuina reuera est infinita in actu: quia Deus actu, & simul cognoscit, quidquid successu temporis erit, vel potest esse. Et simile argumentum fieri potest de sciētia visionis: quia Deus per scientiam visionis cognoscit cogitationes cordis futuras, & cum anima rationalis sit immortalis, & per consequens in æternum duratura cogitationes eius in æternum multiplicabuntur sine fine, quæ multitudo ogitationum, quanuis quoad existentiam à parte rei successiua futura sit, ita vt modo sit vna cogitatio, & postea alia, tamen adeò simul cognoscuntur ex parte cognitionis: ergo in illam multitu-

titudine, cogitationũ, quę actus est in mēte diuina ob iectiue non possumus dare vltimam cogitationem. Sicut nulla est in re futura vltima: ergo illa multitudo quæ est actu in mente diuina est infinita in actu. Addo tamen, quod hæc multitudo in re, & quoad existentiam realem a parte rei solum est infinita in potentia, quia nũquam dabitur, nec potest dari tota simul quoad existentiam realem.

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur ad primum verum esse Deum cognoscere res prout sunt in se, a parte rei, si illa particula, *prout*, reduplicet modum habentem se ex parte obiecti cogniti, ita vt sensus sit, Deus cognoscit res successiue existere, ita q̃ modo sit vna, postea alia; si vero illa particula, *prout*, reduplicet modum habētem se ex parte cognoscentis, ita vt sensus sit, Deus successiua cognitione cognoscit res successiuas, falsa est propositio: quia Deus simul vnica indiuisibili cognitione omnia cognoscit, & ita multitudo entiũ prout simul à Deo sunt cognita est infinita in actu: quia in illa multitudine non est dare vltimã vnitatem.

Ad secundum quod nõ quidquid Deus cognoscit potest facere: nã Deus cognoscit peccatum, non tamē potest esse causa peccati. Similiter cognoscit multa impossibilia, quæ non possunt esse a parte rei. Vnde quanuis Deus cognoscat infinitũ in actu, non tamen potest illud producere. Cuius ratio differentiæ est, quia ad cognitionem, nihil cōfert, vtrũ res possit existere, vel non: ad productionem tamē multum confert, & ita illa multitudo, quę est in intellectu diuino est tot simul a parte rei, sed modo vna res, postea alia, quod est infinitum in potentia, & hæc de hac quæstione, & de hoc 3. lib. dixisse sufficiat.

LIBRO

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

POSTQVAM Aristoteles superiori lib. egit de motu, qui est vna ex precipuis affectionibus entis naturalis, iã in hoc lib. 4. agit de loco, & tempore, quæ sunt mensura corporum naturalium, locus quidem est mensura quantitatis, & extensionis eius, tempus vero est mensura, in qua durat.

SVMMA TEXTVS.

TRIA agit Arist. in hoc lib. in 1. part. disputat de loco, occasione cuius in secunda parte disputat de vacuo quod est locus nõ repletus: tandem in 3. parte disputat de tempore. Prima pars habetur á text. 1. vsque ad 49. Secunda habetur á text. 50. vsque ad 76. Tertia habetur á text. 77. vsque ad 1. 31. Ad primam partem accedentes, probat Aristotel. locum non esse materiam, neque formam, nec totum compositum, quod est ipsum locatum. Quod nõ sit materia, vel forma probat. Quia materia, & forma non possunt separari á re, cuius sunt partes: quia non potest dari substantia completa absque materia, & forma, sed locus potest separari á re locata, vt si locatum moueatur ab illo loco

loco ad alium: ergo locus neque est materia, neque forma. Quod non sit totum compositum probat, quia corrupto, remanet locus in quo erat: ergo neque est totum compositum.

Deinde disputat contra antiquos Philosophos asserētes locum esse spacium, seu interuallum, quod est inter latera continentis quod esse impossibile probat quia inter latera continentis, nihil est præter ipsum locatum: nam illo ablato, quod remanet est quoddam spacium imaginarium, & vacuitas apta repleri: sed locus aliquid est: ergo locus non est interuallum interceptum inter latera continentis. Quare cōcludit locū esse id, quod continet aliud, scilicet sū perficiem vltimam corporis continentis, docetque locum esse inmobilē, & æqualem locato, & illius mensuram.

In 2. part. lib. hinc sumpta ocasione disputat de vacuo, qui est locus vacuus: & reiectis antiquorum sententiis docet vacuum esse locum, non repletum, & per naturam impossibile esse vacuum, ac tādem rarefactionem & condensationem corporum posse fieri sine vacuo.

Tandem in 3. part. disputat de tempore dicens, tēpus esse numerum motus secundum prius, & posterius, & quod tempus dignoscimus per quoddam nunc, fluens continuo, ad modum, quo Mathematici lineam dignoscunt ex ductu puncti. Dicit præterea tempus esse mēsuram motus, & omnium rerum corruptibilium, & generabiliū; hæc in summa continet litera textus, quæ latius à nobis disputanda sunt.

DIS-

DISPVTATIO PRIMA DE LOCO CORPORVM NATVRALIVM.

IN hoc libro tres disputationes à nobis habendæ sunt, secundum quod Aristot. in eo tria disputat. Prima disputatio est de loco. Secunda de vacuo, tertia de tẽpore, & duratione entis naturalis.

Circa primam ergo disputationem, non est cur inquiramus, an sit locus, hoc enim notissimũ est apud omnes. Patet enim experientia corpora naturalia moueri ab vno loco ad alium, & ita de hoc nulla est dubitatio.

Nec disputamus de loco definitiuo, qualiter substantiæ spirituales sunt in loco, sed tantum de loco corporum naturalium, qui est locus circumscriptiuus.

QVAESTIO. I.

Quid sit locus.

1. Sent. DE hac re variæ extiterunt apud antiquos Philosophos opiniones, quas late connumerat Simplici⁹ in degressione de loco, Democritus enim & alij Philosophi, vt refert Arist. hoc lib. text. 6. asseruerunt locum esse spatiũ imaginariũ, quod est in rerum natura, etiam seclusis corporibus. Quam sententiã hoc tempore probabilem reputat, Tolet. hoc lib. q. 3. & videtur posse probari. Quia per motum localem, acquiritur & mutatur locus: sed in vacuo potest esse motus localis, saltem de potentia Dei absoluta: ergo ibi est locus, quem mobile acquirat, & deserat per motum: sed in vacuo tantum potest esse spatium imaginarium: quia vacuũ caret omni corpore: ergo locus est spatiũ imaginarium. Secũdo, quia locus est quod repletur corpore locato: sed quod repletur est spacium imaginariũ, quod est in tali, vel tali distantia: ergo tale spaciũ imaginarium est locus.

Secũda sententia fuit asse- 2. Sent.

ren-

rentiū locū esse situm, quā sententiā Simplicius loco allegato reffert tenuisse magistrum suum Damasum, & diuersimode explicatur ab eius sectatoribus. Quidam enim nomine situs intelligunt ordinem, & dispositionem partium in ordine ad spatium: alij vero intelligūt esse vbi, seu presentiam localem. Quorum fundamentum est: quia locus est terminus motus localis, ideo enim motus localis appellatur, quia locum tāquam terminum acquirat: sed terminus motus localis est vbi, seu præsentia localis, nā mobile per motū localē acquirit præsentiā localē: ergo locus est vbi, seu præsentia localis.

3. Sentent. Tertia sētētia fuit asserētiū locū esse spaciū, seu interuallū interceptū inter latera corporis cōtinētis. Pro qua sentētia referūtur Stoici, imo & plures ex Platonicis, refertur etiā Galenus, Syrianus, & Phyloponus in digressione de loco: sed adhuc sectatores huius sententiæ diuisi sunt, quibusdam asserentibus, hoc interuallū esse spaciū illud imaginariū quod est inter latera cōtinētis, quæ sententia hoc modo explicata, parum, aut nihil differt à primasententia iam relata. Alijs vero asserentibus hoc interuallū esse quoddā corpus diuisibile ad trinam dimensionē, non vero esse superficiē vltimā corporis continentis vt Arist. intendit, & quidē quod locus nō sit superficies vltima corporis continentis videtur posse probari. Primo, quia superficies vltima corporis continentis immediate tantū cōtinet superficiē corporis locati, quam immediate tāgit: sed corpus locatū nō solum est in loco per vltimā superficiē, sed etiā per profunditatē, quā habet, quia illa profunditas alicubi est, atque adeò in aliquo loco: ergo cū superficies corporis continentis, tantum contineat superficiem locatam, sequitur quod illa non sit locus.

Secundo, quia locus debet esse æqualis locato: sed locatū est corpus habēs trinā dimēsionē: ergo etiam locus debet habere trinā dimēsionem per quam adæquetur locato, & sit illi æqualis: sed superficies corporis locantis nō est indiuisibilis ad trinā dimēsionē: ergo nō est loc⁹.

Tertio, quia si terra manēte immota, Deus auferret ab illa vltimam superficiem illam ambientem, maneret in eodem loco, quia manet immota,

in mora, & tamen tunc non haberet in eodem loco superficiem ambientem: ergo locus non est vltima superficies corporis ambientis.

Quid sit locus. Quarta tandem, & vera sententia à nobis tenenda est locum esse superficiem vltimam corporis continentis, quam tenet Arist. hoc lib. text. 39. vbi locum appellat terminum corporis continentis immobilem 1. *id est locus est vltima superficies corporis continentis immobilis primo.*

Verumtamen, quia tanta varietas opinionum ex multiplici loci acceptione forsam ortum habuit, quot modis locus apud Philosophos vsurpetur, explicemus. Locus enim primo sumitur pro sede, in qua aliquis sedet, in quo sensu dici solet talē sedē esse alicuius locū. Secūdo nomē loc' vsurpari solet pro spacio aliquo occupato ab aliquo corpore. Tertio loc' significare sol tidé, q vbi: nā ab autoribus duplex vbi distingui solet: aliud passiuum, quod appellant circunscriptionem illam passiuam, seu vbicationem, quam locatum habet in loco. Aliud vero est vbi actiuum, & hoc dicunt esse superficiem ambienté: quia hæc actiuè continet corpus vbicatū: locus ergo in præsentia proprissime, & in rigore sumitur pro superficie ambiente, est enim in corpore ambiente duplex superficies. Quædam concaua, & est illa per quam continet, & ambit corpus locatum, alia vero conuexa per quam continetur ab alio corpore superiori: locus: ergo est superficies concaua continēs, & ita locus dicitur à locando, quia locat, & cōtinet locatum.

Vnde contra oppositas sententias dico primo, locus non est spacium imaginarium, seu vacuitas apta repleri, nisi loquamur de loco imaginario, tamen quod non sit locus realis qui realiter contineat: patet. Quia spacium illud imaginarium seu vacuitas nihil est: ergo non est locus realis. *Assert.*

Dico secundo contra secundam sententiam, locus non est situs Probatur, quia vel nomine situs, intelligimus ordinem, & dispositionem partium in ordine ad spacium, vt aliqui ex authoribus illius sententiæ explicant: & hoc non, quia locus debet continere, dicitur enim locus à locando: sed illa relatio, seu dispositio partium *Assert. 2.*

tlum in ordine ad locũ non continet: ergo nõ est locus. Vel intelligim'; vbi, seu præsentiam localem: & hoc nõ, quia vbi non est continere, sed cõtineri in loco, vel spatio aliquo: ergo locus non est præsentia localis. Confirmatur, quia hoc potius est præsentia in loco, quam locus ipse: ergo locus non est vbi, seu præsentia localis. Secundo, quia in vacuo esset præsentia realis, quia realiter corpus ibi existens esset vbi, tamen non est locus realis, sed imaginarius: ergo locus non est præsentia realis in loco, seu, vbi.

Assert. 3. Dico tertio contra tertiã sententiam, locus non est interuallum interceptum, inter latera continentis; probatur, quia vel nomine interualli intelligitur illud spatium imaginarium, seu vacuitas apta repleri, quæ est intra latera continentis, & hoc nõ, vt probatum est cõtra primam sententiã: vel intelligitur aliquod corpus diuisibile intrinam dimensionem, existens inter latera cõtinentis, & hoc non: quia cũ etiã locatum recipiatur inter latera continentis, iã duo corpora penetrarẽtur, ꝙ est impossibile per naturã: ergo locus non est tale interuallũ: restat ergo: quod locus sit superficies vltima corporis cõtinẽtis, illa enim est, quæ locat, & cõtinet locatum; & cui optime conueniũt omnes proprietates, quæ de loco adduci possunt vt quod sit mensura locati, & extrinseca illi, ac tandem illi æqualis, de quo infra.

Addo vltimo, locum formaliter pertinere ad prædicamentũ quantitatis, licet nõ sit diuersa species essentialiter à superficie, vt in capite de quantitate ostendimus. Ratio est, quia locus formaliter solũ dicit illã superficiẽ cõcauã, quæ ambit locatũ, ad quam deinde cõsequitur relatio cõtinẽtiæ, & ita solũ cõsequenter importat locus illã relationẽ. Quod vero non sit species quãtitatis essentialiter diuersa à superficie, sed tãtũ accidẽtaliter, late ostẽdimus loco allegato: quia ablata relatione cõtinẽtiæ, quæ est de prædicamẽto relationis nullã nouã diuisibilitatẽ, aut extẽsionẽ dicit locus diuersã à superficie, cũ vtraq; tantũ sit diuisibilis secundũ longitudinem, & latitudinẽ, quæ superficies, quod ambiat, vel non ambiat locatum nõ mutat speciem essentialem prædicamenti quantitatis.

ri per quod est in loco: alterũ extrinsecũ, & nõ necessariũ ad motum localẽ, & hic est locus, appellatur autẽ terminus extrinsecus: quia non est necessari' ad motũ localẽ, vt diximus de motu facto per vacuũ. Tũ etiã: quia est in alio subiecto distincto ab illo, in quo est motus, nẽpe in locante: neque opus est, ꝙ producatur locus per motũ localẽ de nouo: quia quãdo à qua per motũ localem mittitur in vas, non fit de noua ille locus, sed supponebatur factus, & repletus ab alio corpore: ergo locus non est terminus intrinsec' mot' localis. Quare ad argumẽtũ respondetur, ꝙ in vacuo tantũ mutaret mobile locũ imaginariũ, cum hoc tamẽ terminus intrinsecus motus localis, ibi, est præsentia localis realis, quã mobile per talẽ motum acquirit in singulis partib' spatij, & ita semper motus localis habet suũ terminũ intrinsecũ illi correspondentem.

Ad. I. Ad secundã, ꝙ locus non est illa vacuitas, seu distãtia quæ est inter latera tinẽtis, quæ repletur: sed est superficie ambiẽs, quę repletur corpore locato.

Ad. 2. Ad fund. 2. sent. Ad fundamẽtũ secũdæ sententię resp. locũ nõ esse terminũ intrinsecũ motus localis sed extrinsecũ: termin' vero intrinsec' est vbi, vt dictũ est.

Ad. I. 3. sent. Ad primũ arg. tertiæ sentẽtie respõd. ꝙ superficies ambiẽs, immediate cõtinet superficiẽ vltimã corporis locati, & ita mediate cõtinet profunditatẽ, intra illã cõtẽtã, & ita cõtinet totũ locatum. Addo præterea, ꝙ vt locatũ dicat immediate cõtineri à loco, satis est, ꝙ vltima superficies illi' immediate contineatur. Quẽadmodũ, vt duo corpora immediate se tãgãt, satis est, ꝙ se tãgãt per vltimã superficiẽ immediate, imo sine penetratione impossibile est alio modo se tãgere: quia si præter superficiẽ vltimã etiã se tãgerent per profunditatẽ daretur penetratio inter illa corpora: adeũdẽ ergo modũ, vt locatũ dicatur immediate cõtineri à loco satis est ꝙ vltima superficies illius immediate tãgatur à corpore locante.

Ad secundum argumentum patebit solutio, cũ disputemus, quo modo locus sit æqualis locato.

Ad. 3. Ad tertium respondetur, quod si terra manẽte immota, Deus aufferret superficiem vltimam aeris ambientis, illa solum diceretur manere in loco, idest in eadem præsentia locali, quæ potest esse sine loco reali,

 vt dixi-

vt dixi de præsentia reali, quam corpus haberet, in vacuo tamen proprie loquendo, non maneret in eodem loco, id est, in eadem superficie ambiente, quin potius tunc maneret sine loco, & inde non licet inferre, quod moueretur localiter ex vi huius: quia non mutat præsentiam localem in ordine ad quam sumitur motus localis.

QVAESTIO. II.

Vtrum locus sit immobilis, & quomodo.

EXplicauimus hactenus locũ esse vltimã superficiẽ corporis cõtinentis, restat explicemus particulã illã, *immobilis*. Primo videtur enim, quod locus non sit immobilis. Secũdo, quia accidentia mouentur ad motũ sui subiecti, iuxta illud principiũ: *Motis nobis mouentur ea quæ sunt in nobis*: Sed corpus locãs, in quo est loc' sæpe mouetur, vt patet in exẽplo illo de turri, quæ dũ quieta manet, circũscribitur à diuersis partibus aeris, quæ fluunt. & refluunt, & ita superficies ambientes illã, mouentur, & post vnam alteram, atque altera succedit: ergo locus mobilis est.

I. Rationes dubitandi.

Secundo, quia cęlũ est locus ignis: nã ignis circũscribitur ab vltima superficie orbis lunaris, ꝙ est primũ cœlũ: sed cęlũ illud mouetur: ergo locus mobilis est.

Tertio, quia vas est locus aquæ, tñ mouetur simul cũ ipsa aqua, quiã moueri potest ab vno ad aliud spaciũ: ergo loc' nõ est immobilis.

Verũ tamẽ locũ esse immobilẽ nõ solum docuit Arist. hoc libro, & omnes Peripatetici, qui eũ secuntur, sed etiã antiqui Philosophi, vt hoc loco referunt Themistius, & Phyloponus. Ratio est: quia mouere est locum mutare: ergo si locus posset moueri cum ipso mobili, iã moueretur localiter, & non mutaret locũ: oportet ergo dicere locum esse immobilẽ, vt mobile ab vno loco ad aliũ pertrãseat per motũ localẽ. Tamẽ in explicando, qualiter locus sit immolis Auctores valde inter se dissẽtiũt. Perei. lib. 2. Physi. c. 3. asserit, ꝙ quando Arist. dixit, locũ esse immobilẽ, solũ loquitur de loco naturali elementorũ, qui semper immobilis remanet. Qualiter locus ignis est concauũ Lunæ, & locus aeris, superficies concaua ignis, & sic de reli-

Locus immobilis est.

Variæ explicationes circa hoc.

quis:

quis: sed non placet, primo quia Arist. dum diffiniuit locum dicens esse, vltimam superficiē corporis cōtinētis immobilē primo, re vera diffinizit locū in cōmuni pro ut cōprehēdit omnē locū.

Secūdo quia adhuc restat in hac sententia difficultas tacta in secūda ratione dubitā di: nā locus ignis est concauum lunę, cū tamen cœlum lunę moueatur motu saltē circulari, imo etiā vrget prima ratio dubitādi: nā super ficies ambiēs, quę est locus naturalis, sæpe fluit, & reflu it, vt diximus de superficie bus aeris ambientib' turrim; ergo adhuc in hac sentētia explicare, qua ratione loc' naturalis sit immobilis.

Quare Iandunus hoc libro quęst. 6. Auerroes cōm. 4. & Phyloponus hoc loco, dicūt locū esse immobilē, nō quia nō possit moueri, sed quia necessario nō petit moueri: Sed neq; hoc placet: primo quia hoc modo etiā lapis, & fere omnia alia corpora dice rētur immobilia: quia necessario non petūt moueri, sed potius in suo loco naturali quieta manere.

Secundo, quia locus, debet esse inmouilis, vt sit terminus fixus acquisibilis per motū localem, ne res aliqua possit moueri localiter, & nō mutare locū, vt diximus, ad hoc autē requiritur, ꝙ omnino sit immobilis: nā si saltē per accidēs moueri posset sequitur incōueniēs illatū, nēpe ꝙ possit corp' moueri localiter, & nō mutare locū.

Tertio, quia illa particula *Immobilis*, negat omnē motū, sicut hæc vox *incorporeum* absolute loquendo negat omne corpus de re, quæ dicitur incorporea.

Tertius modus dicēdi est locū dici immobilē: nā cū locus sit vltima superficies corporis cōtinētis est accidēs illius, accidēcia autē nō possūt moueri per se, sed per accidēs ad motū sui subiecti. & ita locus per se est immobilis quāuis p accidēs, & ad motū subiecti possit esse mobilis.

Sed nec placet, quia locus aliquā peculiarē immobilitatē habet, quā nō habēt reliqua accidētia, cū in eius diffinitione ponatur illa particula *immobilis*, quæ non ponitur in diffinitione cuiuscūq; accidētis: ergo aliqua spetialis immobilitas tribuēda est loco præter illā, quę est non posse moueri per se, nisi ad motū sui subiecti, hoc enim generale est omni accidēti.

Quartus modus dicēdi est locū esse inmobilē secundū pro-

gamus Deum conseruare aliquod accidens absque omni subiecto, túc est ordo realis secundum dici ad subiectú, q non est à parte rei, ita relatio illa distantiæ potest terminari ad aliquod fixú imaginariú nó existés à parte rei.

Verùm tamen hoc nó placet: nam re vera relatio propinquitatis, & relatio distantiæ sunt relationes secundú esse, non minus quàm relatio æqualitatis & inæqualitatis: nam quemadmodum relatio æqualitatis fundatur in excessu quantitatiuo, ita relatio distátiæ fundatur in excessu, & disconuenientia locali: nam duo distare, est disconuenire in spatio, è cótrà verò relatio propinquitatis fundatur in conuenientia locali: quia talia corpora sunt in locis propinquis: ergo relatio distantiæ est relatio secundú esse pertinés ad relationes primi generis, sicut æquale: & inæquale sed relatio secúdú esse requirit terminú realé & existété à parte rei, vt est cómunis sététia in capite de relatione: ergo immobilitas realis loci formaliter, & primario non potest consistere in tali relatione, cú nó séper sit relatio realis.

Quod dicendum est. Quare nobis dicédum est locum dici immobilem, ratione præsentiæ localis, quam superficies locans dicit in tali spatio, quæ præsentia proculdubio est immobilis, cum essentialiter sumatur in ordine ad tale peculiare spatium, ita, vt in alio spatio impossibile sit manere eandem præsentiam realem: sed potius iam erit diuersa: quia præsentia localis hoc habet peculiare inter omnia accidentia, quod dicit essentialem habitudinem ad tale spatium ita quod impossibile sit variato spatio, non variari præsentiam realem, atque adeò hæc præsentia, vt eadem numero permaneat, immobilis debet esse, & ita locus ratione huius præsentiæ realis in spatio, quæ consequitur, debet immobilis esse.

Quid aduertendum. Vbi aduertédú est, q quáuis locus non debeat habere necessario præsétiá in alio loco, aliàs daretur processus in infinitú; támé necessariú est locú & quálibet aliá ré habere præsentiá realé in spatio aliquo vel reali, ael imaginario: ná vt supra dixi bene potest esse præsentia realis in spatio imaginario.

2. Aduertẽ. Secúdo aduertédú est, q immobilitas nulla ratione potest esse d essétia loci, sed solú est proprietas intime conse-

Ex dictis sequitur primò, quod cũ immobilitas non sit de essentia loci, sed passio intime consequens essentiã, vt dictum est prędicta difinitio loci, nõ est essentialis, & quidditatiua: sed potius descriptiua, explicat enim naturam loci, per proprietatem eius.

Sed contra hanc sententiã de loci immobilitate hoc modo explicatam, ad huc restat difficultas: nam præsentia realis, quam habet quælibet superficies ambiens, subiectatur in ipsa superficie, est enim, quoddam accidens, illi superadditum: ergo necesse est moueri mota superficie, atque adeò, locus adhuc ratione præsentiæ localis, quam habet in spatio, non potest esse immobilis. Sed respondetur verum esse variari, tam superficies ambientes, quàm præsentias, quas in tali specie habent. Nihilominus locus appellatur immobilis, secundum proportionem, non quidem primario, & per se propter aliquã relationem distantiæ ad puncta fixa vniuersi; hæc enim relatio, nõ semper est realis, vt supradiximus, sed ratione præsentiæ localis in eodem spatio: quia quamuis illę præsentiæ locales varientur, tamen semper censet eadẽ pręsentia localis, secundum proportionem, in quantũ succedunt in eodem prorsus spatio, sicut fluuius appellatur vnus, quantumuis fluant diuersæ aquæ: quia illæ omnes aquæ aduenientes, succedũt in eodem spatio, & ita habẽt eandem numero præsentiã realem, secundum proportionem. Et hoc est, quod alij dicunt variari superficies illas materialiter, formaliter tamen manere easdem, secundum proportionem, quia habent eandem præsentiã realem in eodem spatio, in qua præsentia fundatur relatio, distantiæ ad puncta fixa, & ita locus non est immobilis ratione relationis, primò, & per se, sed ratione præsentiæ realis in tali spatio.

Ad rationes dubitandi in principio quæstionis adductas respondetur. *Respõ ad rationes dub.* Ad primam, quod vt dictum est, quantumuis varientur superficies materialiter ambientes turrim, & præsentiæ reales, quæ sunt in illis, tamen turris manet in eodem loco, secundum proportionẽ, modo iam explicato.

Ad secundam, quod quamuis cœlum moueatur secundũ partes, quia pars, quæ modo est in Oriente, postea est in Occidente; tamen totum

cœlum non mutat locũ, sed intra eundem locum mouetur circulariter, & ita dicitur immobile: quia totum non mutat locum: quia vt totum cœlum moueatur, satis est, quod ratione suarum partium mutet locum.

Ad tertium sunt qui dicunt, locum artificialem, qualis est vas respectu aquæ, non esse immobilem, neque Aristotelem locutum fuisse de illi in sua diffinitione.

Sed non placet, quia, vt supra vidimus, eadem ratione, qua cogimur ad asserendum locum naturalem esse immobilem, scilicet, vt mobile per motum localem mutet locum, eadem, probat de loco artificiali: quia etiam aqua contenta intra vas, mouetur localiter, saltem per accidens ad motum vasis: ergo opus est quod mutet locum.

Quare dicendum est, quod quamuis illa aqua, dũ mouetur, maneat intra eundem locum, idest, intra eandẽ superficiem vasis, tamen absolute loquendo, non manet in eodẽ loco: quia quamuis superficies ambiens sit eadẽ, non tamen est eadem præsentia localis, & ita nó censetur manere, idẽ locus secundũ proportionẽ in ordine ad spatiũ

Posset tandẽ hoc loco dubitari; an quando duæ superficies discontinuæ ambiunt, idem numero locatũ, sit tantum vnus numero locus, vt quando virga habet alteram medietatem, intra aquam, alteram vero in aere, de quo iam diximus in cap. de quantitate, ibi non esse vnum numero locum continuum, sed potius duplicem locum partialem discontinuũ, quilibet tamen in se locus continuus est: neq; mirum est, idem locatum esse in duobus locis partialibus: nam per vnã medietatem est in aqua, per aliã vero in aere.

QVÆSTIO III.

Vtrum locus sit conseruatiuus locati, & illi æqualis.

CIrca primum nẽpe, vtrum locus sit conseruatiuus locati; nó potest esse sermo de loco violento, qualiter aqua violenter esset in loco ignis: nam in loco violento, potius corrumpitur locatum, quàm conserue tur: solum ergo est sermo de loco naturali, qualiter centrum est locus naturalis terræ, in quo terra naturaliter con-

conseruatur. Et ratio dubitandi est: quia inter elementa, quædam dicuntur symbola, quia vt ita dicam symbolizát in aliqua qualitate, qualiter terra, & aqua conueniút in frigiditate, terra enim est frigida, & sicca, aqua vero frigida, & humida. Alia vero dicuntur disymbola: quia in nulla qualitate conueniunt, vt aqua, & ignis; aqua enim est frigida, & humida, ignis vero calidus, & siccus: ergo sicut aqua, quæ est iuxta terram conuenit cum illa in frigiditate; ita est illi contraria in altera qualitate: nam aqua est humida, terra vero sicca; quare naturaliter conseruatur terra iuxta aquam? Respondetur tamé reuera inter elementa esse mutuá actionem, & reactioné, saltem per illam qualitatem, in qua contrariantur; cum hoc tamen conseruantur elementa multo melius, eo ordine, quo dispositæ sunt, quàm si alio modo essent ordinata; quia minus contrariatur terra cum aqua, quàm cum quouis alio elemento. *Ratio dub.*

Addi etiá solet, locú naturalem esse conseruatiuum locati ratione influentiæ cœlestis, à qua hæc inferiora maxime dependent, iuxta illud Arist. 1. lib. Metheororum, cap. 1. *Oportet mundum hunc contiguum esse lationibus superioribus vt inde eius virtus regatur, & gubernetur.* Quomodo vero hęc inferiora pendere possint ab influentia cęlesti, dicá latius 2. lib. de cęlo.

Circa secundú nempe, vtrú locus sit æqualis locato, certum est non esse sermoné de loco cómuni: quia locus cómunis, est longe maior singulis locatis intra illú contentis: qua ratione cęlum est maius, quolibet corpore horum inferiorum: solum ergo est quæstio de loco particulari, cuiuslibet corporis. *1. Certum.*

Secundo certú est, corpus locans nó esse æquale locato secundú superficié conuexá, & superioré: quia secundum hanc est maius locato. Qualiter superficies conuexa aeris occupat longe maius spatiú, quá terra, & aqua: quia continet intra se terram, & aquá, & præterea profunditatem ipsius aeris: ergo necessario corpus locans est maius locato, secundum superficiē conuexam: solum ergo est quæstio, an corpus locans sit æquale locato, secundum superficiem concauam, quę est locus, ita quod superficies concaua locantis, & superficies conuexa locati sint æquales. *2. Certum.*

Dico

Assert. 1. Dico primo, nõ est necessarium, quod superficies locans entitatiue, sit æqualis cum superficie conuexa cor corporis locati, sed potest esse maior illa entitatiue. Probatur; quia fieri potest, quod corpus continens sit nimis densum, corpus vero locatũ sit nimis rarum: sed corpus densum intra æquale spatiũ, habet plures partes, quàm corpus rarũ: quia habet partes magis vnitas, & quasi coagulatas: ergo superficies locans, tũc haberet plures partes latitudinis, quàm superficies locata, propter maiorem vnionem partium: ergo fieri potest, quod superficies locans entitatiuè, habeat plures, vel pautiores partes superficie locata. Et cõtra etiã contingere potest superficiem locantem esse minorem locata entitatiue, si fingamus corpus locans, esse dẽsius corpore locato, propter similem rationem.

Assert. 2. Dico tamen secundo, necessarium est locũ esse æqualem, cum superficie contura locati, quantum ad continentiam, aut in ordine ad spatium; ita quod si vtraque superficies daretur separata à suo corpore, & extẽderetur, vna non ocuparet maius spatium, quàm alia, & hoc modo intelligendus est Aristoteles, hic textu 3. & communiter interpretes, quando asserunt, locum debere esse æqualem locato. Et probatur: quia quando duo indiuisibilia se tangunt, necessario penetrantur: quia ea penetrantur, quæ se intime tangunt secundum se tota: sed indiuisibile eo modo, quò est indiuisibile, non habet partes, qua ratione superficies, quantum ad profunditatem est indiuisibilis: ergo quando superficies locans tangit superficiem locatam, necessario penetrantur, quia tangunt se secundum se tota, nulla enim est pars loci, quæ non tangat partem superficiei locatæ, & è contra: ergo tangunt se, & penetrantur inter se adæquate: ergo vna nõ est maior alia in continentia seu in ordine ad spatiũ, quod ocupant.

Secundo, quia si superficies locãs esset maior alia cõtenta, ita quod illam excederet; iam ergo in illa concauitate, in qua excedit locatum daretur vacuum: quia si datur intra illam locatum: ergo iam omnino adæquantur inter se locus, & locatum, atq; adeò locus est æqualis locato.

QVÆ-

QVÆSTIO IIII.

Quid, & cotuplex sit præsentia in loco.

IN prædicamentis, capite de vbi diximus, vbi esse quoddam accidens superadditum corpori, ratione cuius corpus dicitur vbicari, & contineri in loco, eius tamen exactã explicationem, vsque ad hunc locum distulimus, & ita hoc loco examinandum est, quid sit hæc præsentia localis, ratione cuius corpus dicitur esse præsens in aliquo loco, vel spacio.

1. Sentent. Circa primum, nẽpe, quid sit præsentia localis, prima sententia affirmat, præsentiã localẽ, quam corpus habet in loco aliquo, nihil reale esse, illi super additũ, sed solã extrinsecã denominationẽ sumptam à continentia actuali loci. Tenet Sonc, 5. Metaph. q. 4. & ita asserit terminum proprium motus localis esse locũ ipsum, & nihil aliud. Tenet etiã Sotus 3. physi. q. 2. & videtur sententia S. Thomæ 1. p. q. 11. art. 3. & de potẽtia, & de malo. q. 16. art. 10. vbi dicit: *Per alios motus mobile mutari in aliquo intrinsece, per motũ vero localẽ, solum acquirere locum extrinsecũ.* Et fundamentum esse potest, quia corpus esse præsens in aliquo loco, nihil aliud est, quàm contineri in illo loco: sed corpus esse cõtentũ in loco, est extrinseca denominatio à continentia actiua loci: sicut corpus esse visum est extrinseca denominatio à visione actiua oculi: ergo præsentia localis tantũ est extrinseca denominatio. Fundamen.

Secũdo quia si vt res aliqua sit præsens alicubi, opus est aliquo reali super addito: ergo cum illa præsentia sit ens existens in rerũ natura, atq; adeò alicubi, etiam esset præsens per aliã præsentiam realem superadditã, & illa per aliã, & sic in infinitum: ergo præsentia rei in aliquo spacio nihil reale superadditum est.

Secunda sentẽtia admittit præsentiã esse aliquid reale, nõ tamẽ diuersam ab extẽsione, quã habet quãtitas in ordine ad locũ, ita q; extensio quãtitatis in ordine ad locũ sit ipsa præsentia quantitatis in loco. Et fundamentũ esse potest: quia extẽsio in ordine ad locũ essentialissime dicit præsentiã in loco: ergo reuera talis præsentia, nihil est præter extensionem quantitatis in ordine ad locum. 2. Sentent. Eius fund.

Tertia sentẽtia asserit præsentiã localẽ formaliter cõsistere

ſtere in relatione quadá loca ti ad locũ, in quo dicitur eſſe. Tenet Capreolus in 2. diſ. 1. & fundamentũ eſſe poteſt quia præſens, vt præſens, dicit intime habitudiné ad id, in quo dicitur præſens, neq; poteſt intelligi ſine tali habitudine: quia ſicut pater eſt alicuius filij pater, ita præſens, in aliquo debet dici pręſens: ergo præſentia localis, ſcilicet vbi, quod idé eſt formaliter, debet conſiſtere in relatione.

3. Sententi.

Præſentia localis entitas eſt poſitiua.

Veruntamé dico primo pręſentia localis, ſeu vbi, quod idé eſt, formaliter, & primario, debet eſſe aliqua entitas poſitiua, & nó extrinſeca denominatio. Sic docuit Tolet. hic. q. 3. concluſ. 2. & Valleſ. controu. 20. & 23. Et ratione probatur primo: quia noua denominatio, non poteſt de nouo cóſurgere, niſi de nouo aliquid producatur in forma denominãte, vel in re denominata: ſed quando aliquod corpus adducitur ad locũ, iã præexiſtenté, nó eſt facta aliqua mutatio realis in tali loco: quia ex eo quod locatum ponatur in loco præexiſtéti, nihil imprimitur in tali loco: ergo ſignũ eſt factũ fuiſſe aliquam realem mutationé, in corpore locato, per quam aliquod reale illi de nouo adueniat, vt de nouo dicatur pręſens tali loco.

Et ſi reſpondeas eſſe aliquid reale de nouo in loco, ſcilicet relationé nouam continentiæ in ordine ad locatum. Contra eſt: quia, vt diximus capite de relatione, vt de nouo conſurgat in extremo, aliqua relatio realis debet præcedere aliqua realis mutatio in altero extremorum, aliàs tantum erit extrinſeca denominatio: ergo relatio illa realis cótinentiæ ſupponit aliquam præuiam mutationem; non in loco: ergo in locato, atque adeò in locato, aliquid reale de nouo eſt, à quo denominetur præſens in tali loco.

Secundo, quia per motũ localé, debet acquiri realis terminus poſsitiuus, cum ſit actio quædá poſitiua: ſed nullus terminus intrinſecus, motus localis aſsignari poteſt, pꝛæter vbi, vel præſentiam localem: ergo talis præſentia debet eſſe aliquid reale poſitiuum.

Tandem vltimo: quia in prædicamentis non ponuntur, niſi naturæ reales, & poſitiuæ: ergo vbi quod conſtituit peculiare prædicamentum, primario, & per ſe debet eſſe aliquid reale poſitiuum.

Ex

Ex his dico secundo, præsentiam localem primario, & per se non significare relationem, sed esse aliquid absolutum, ratio colligitur ex dictis. Quia nouæ relationes reales, non possunt consurgere, nisi ex mutatione aliqua, prius facta in aliquo extremorum: ergo ante relationes continentiæ actiuæ, & passiuæ, debet esse alia forma absoluta noua, quæ cum non sit in locante, sed in locato, vt probatum est, sequitur præsentiam localem esse entitatem absolutam, ex qua deinde consurgit relatio cótinentiæ, & aliæ relationes propinquitatis, & distantiæ ad alia corpora.

Secundo, quia terminus intrinsecus motus localis, vt supra vidimus nó est locus, sed præsentia localis: ergo si hæc formaliter consistit in relatione, sequitur quod ad relationem sit per se motus: ergo præsentia localis formaliter, & primario, est accidens absolutum.

Assert. 3. aduertend. Dico tertio, præsentiã localem, esse entitatem modalem, ex natura rei distinctam à re, quæ denominatur præsens: quod sit modus probatur. Quia, vt sępe dictum est: illa est entitas modalis, quæ ita per suam intrinsecam essentiam est affixa alicui subiecto, vt nec de potentia absoluta Dei, possit dari à parte rei sine subiecto, quod modificat, vt relatio sine fundamẽto: sed in intelligibile est dari à parte rei præsentiã localẽ sine re aliqua, quæ per illã dicatur præsens: ergo talis præsentia est modus superadditus rei, quę dicitur præsens.

Quod vero distinguatur ex natura rei à re, quæ denominatur pręsens, probatur ex regula generali, sæpe à nobis tradita. Nam quando duo à parte rei ita se habent, quod vnum potest dari sine alio, illa distinguuntur ex natura rei, etiam si talis separatio sit non mutua: sed corpus à parte rei, modo habet præsentiã in hoc spatio, modo aliã in alio: ergo separatur à parte rei, ab hac, & illa præsentia in particulari: ergo distinguitur à qualibet præsentia ex natura rei.

Secundo, quia motus localis includit realem mutationem: sed per realem mutationem, debet acquiri aliquid diuersum ex natura rei à præexistenti, aliàs nó esset realis mutatio; quia nihil aduenit realiter nouum, & diuersum: ergo cum pręsentia localis, sit terminus motus

localis

localis debet ex natura rei distingui à re, quæ dicitur præsens.

Quid aduertit. Est tamen aduertendum, quod quamuis corpus aliquod possit dari à parte rei, absque hac, & illa præsentia, determinate tamen non potest dari, absq; aliqua presentia reali, etiam de potentia Dei absoluta. Quia inuoluit implicationem, quod sit à parte rei, & non sit alicubi, idest, in aliquo spacio reali, vel imaginario, & ita supra 1. lib. Physic. disput. 5. diximus, adhuc de potentia absoluta, nō posse dari a parte rei materiam primam, absq; aliqua forma accidentali, quia non potest dari, absque præsentia reali in aliquo spacio, cum hoc tamen optime colligitur distinctio realis inter præsentiam, & rem præsentem: quia corpus separari potest, à quauis presentia in particulari, dum habet aliā præsentiam diuersam ab illa. Sicut quamuis non possit dari à parte rei quantitas, sine figura aliqua vage, recte tamē colligitur distinctio realis inter figuram, & quantitatem: quia quantitas dari potest a parte rei sine hac, & illa figura determinate.

2. Quid aduertit. Secundo aduertendū est modum istum, qui est præsentia localis, quamuis essentialiter pendeat à subiecto in quo est in genere causæ materialis, efficienter tamen causari à causante motum localem, & fieri per actionem prædicamentalem inter medium. Ratio est: quia præsentia localis, acquiritur per motum: ergo causatur efficienter à causante motum. Quod vero fiat per actionem prædicamētalem distinctam ex natura rei ab illo, probatur. Quia adhuc translacto motu locali, remanet presentia mobilis in loco: ergo datur talis præsentia à parte rei, transacta actione, atque adeò ex natura rei distinguitur ab illa, sicut de aliis actionibus prædicamentalibus diximus 2. Physic. disput. 4.

Secundo, quia sicut viuens acquirit hanc præsentiam localem, quando se mouet; ita posset eandē præsentiam acquirere, si moueretur violenter ab alio: ergo præsentia localis acquisita per motum localem indifferens est, vt dependeat ab agenti intrinseco, vel extrinseco: ergo non pendet essentialiter à subiecto, in quo est, efficienter, atque adeo postulat fieri actione superaddita.

Tertio, quia sicut viuens acquirit hanc præsentiam loca-

lem, quando se mouet, ita posset eandem acquirere si moueretur violēter ab alio, ergo præsentia localis acquisita per motū localem indifferens est, vt dependeat ab agēte intrinseco, seu extrinseco, ergo non pendet essentialiter à subiecto in quo est efficienter, atq; adeò postulat fieri actione super addita.

Dico quarto, præsentiam localē realiter differre ab extensione quantitatis in ordine ad locū. Ratio est; quia extēsio in ordene ad locum in quantitate est habere partes cum actuali distantia inter se, ita quod vna actu sit extra aliam in ordine ad spacium, qui modus habendi partes non variatur per motum: nam lapis quantunuis moueatur localiter, semper habet partes eodem modo interse distantes: sed præsentia localis variatur per motū localem: ergo præsentia localis realiter differt ab extēsione quantitatis in ordine ad locum, nam variatis præsentijs realiter, permanet eadem extensio in ordine ad locum.

Imo addo extensionem quantitatis in ordine ad locum ex natura rei differre ab extensione illius in ordine ad se. Ratio est, quia per miraculum, saltē datur vna sine alia à parte rei, qualiter in sacramento Eucharistiæ quantitas Christi Domini habet extensionem partium in ordine ad se, non tamen habet extensionem illam in ordine ad locum, ita quod habeat partes actu extra partes, cū actuali distantia, quia Christus est totus in tota hostia, & totus in qualibet parte eius, cum hoc tamen, vt diximus, in capite de quantitate, essentia quātitatis est habere partes extra parter, idest, partes, quæ ex natura rei penetrari non possint, sed petunt actualem distantiam interse, in quo distinguitur substantia corporea à quantitate, quia quanuis substantia corporea habeat proprias partes integrātes præcissa quantitate, non tamen habet ratione sui partes extra partes seclusa omni quātitate, idest, nō habet partes, quæ ex natura rei nō possint penetrari inter se, quia omnis impenetrabilitas oritur ex quātitate moli. Legātur dicta 1. lib. physicor. disput. 2.

Dico vltimo, præsentiam localem, qua corpus aliquod

Præsentia localis diuisibilis est secundum trinam dimensionem.

est in loco esse diuisibilem secundum se secundum trinam dimensionem, ita quod habeat longitudinem latitudinem & profunditatem ad extensionem ipsius quantitatis. Ratio est, quia in corpore omnes eius partes habent præsentiam realem in spatio: ergo cuilibet parti quantitatis correspódet sua præsentia partialis, distincta à præsentia partiali alterius partis, ergo præsentia est quoddam accidés continuũ diuisibile ad omnes dimésiones ad quas diuiditur quantitas: & ita sicut quantitas habet sua indiuisibilia cótinuatiua, & terminatiua partium quantitatis, scilicet puncta, lineas & superficies, ita proportionali modo in præsentia locali sunt sua indiuisibilia continuatiua & terminatiua talis præsentiæ, correspondentia punctis, lineis, & superficiebus quantitatis, & ita in puncto terminatiuo quãtitatis est præsentia indiuisibilis terminatiua præsentiæ diuisibilis, & idẽ contingit in quocunque accidenti quod extenditur per totum corpus, tam secundũ longitudinem, quàm secũdum latitudinem, & profunditatẽ. Qualiter albedo est extensa per omnes dimensiones quãtitatis, tũc enim talia accidẽtia habent suas partes diuisibiles, & indiuisibilia continuatiua talis extẽsionis: quia extenduntur ad extẽsionem subiecti.

Vbi addẽdũ est, quod quãuis talia accidentia extẽdantur ad extensionem quantitatis, tamen habent suas proprias partes, & indiuisibilia realiter diuersa à partibus, & indiuisibilibus quãtitatis, sicut alia accidentia. V.g. albedo realiter distiguitur à quãtitate: nam quęlibet pars extẽsionis albedinis distinguitur realiter à partibus quantitatis cui correspõdet, sicut tota albedo distinguitur realiter à quãtitate, imo posset Deus albedinem extensam cóseruare sine quantitate, vt diximus de substãtia ablata qãutitate. Est tamẽ maxima differentia inter partes quantitatis, & inter partes extẽsionis aliorũ accidẽtiũ: nã sicut quantitas est diuersæ rationis ab alijs accidentibus, ita partes extensionis quantitatis sunt diuersæ rationis à partibus extensionis reliquorum accidentium, & idẽ est suo modo de indiuisibilibus continuatiuis, & terminatiuis talium partium, de quibus.

quibus indiuisibilibus latius dicam. 6. lib. Physic. & quidem de præsentia locali diuisibili specialis differentia assignari potest. Nam essentia præsentiæ localis est habere partes extra partes in ordine ad locum, seu spatiũ, quia habet essentialem cõnexionem cum partibus spatij: at vero essentia quantitatis, tantum est habere partes in ordine ad se, & non cũ actuali distantia.

Nunc circa partes diuisibiles præsentiæ localis, illud in ipsa peculiare aduertendum est, quod quãuis in reliquis accidentibus vna pars possit penetrari cum alia in eodem spatio, saltem de potentia absoluta; qualiter quantitas & albedo quæ est in capite possũt penetrari cum quantitate, & albedine, quæ est in brachio eodem spatio: tamen præsentia localis, quam habet vna pars in vno spatio, neque per diuinam potentiam potest penetrari cum altera parte, quæ sit in alio spatio, V. g. præsentia illa, quam modo babet caput sursum, non potest trahi ad pedem deorsum, vt penetretur cum accidentibus, quæ sunt deorsum impede. Ratio est, quia vt supra vidimus præsentia localis inter omnia accidentia hoc habet peculiare, quod dicit essentialem cõnexionem cum tali determinato spatio, ita quod variato spatio, impossibile est nõ variari præsentiam localem, aliàs posset corpus aliquod moueri per spatium, & non mutare pręsentiam localem, qđ est in intelligibile: ergo implicat contradictionẽ pręsentiam partialem, quæ est in parte sursum penetrari cũ presentia, quæ est deorsum, & ita si partes quantitatis quæ modo sunt extensæ in ordine ad locum interse penetrarentur, amiterent priores præsentias locales, & alias de nouo acquirerent, quia mutarent spatium.

Addo tamen, duas præsentias locales correspondentes eidem spatio diuersorum corporum, bene possunt, quasi penetrari in eodem loco, nam si per miraculum duo corpora penetrarentur in eodem loco, quodlibet corpus haberet suam præsentiam localem, diuersam à præsentia alterius, & ita essent duæ illæ præsentiæ, quasi penetratæ in eodem spatio: tamen quod præsentia, quæ est in vno spatio trahatur ad aliud, impossibile est.

lem, hoc enim postulat immensitas Dei, vt nullo certo spatio terminetur, & hic modus existendi in loco, nulli creaturæ potest communicari: quia necessarium esset habere præsentiam localem infinitam, impossibile autem est dari infinitum in actu, vt vidimus 3. phys.

Modi exi stendi in loco.

2. Modus. Secundus modus existendi in loco est circunscriptiuè, & est quando locatum circunscribitur à loco, & partes locati correspondent singulis partibus loci, aut spatij. Quem modum essendi in loco habent substantiæ corporeæ, & omnia accidentia corporea, quæ in illis subiectantur: nam partes locati correspondent partibus loci, & hic modus existendi in loco non potest communicari rebus spiritualibus: quia cum sustantiæ spirituales non habeant partes, non possunt partes loci correspondere partibus locati.

3. Modus. Quare tertius modus essendi in loco est definitiuè, scilicet quando locatum est indefinito, & terminato loco, non tamen correspondēt partes locati partibus loci: quia locatū indiuisibile est. Qualiter Angelus cum indiuisibilis sit, totus est in toto loco, & totus inqualibet parte, cum hoc tamen in loco diffinitiuo Angeli optime distinguimus locum adæquatum eius, & locum inadæquatum. Nam cum Angelus sit aliquid creatum, & finitum, postulat ocupare finitum & determinatum spatium, & ita quando ocupat spatium totum, quam iuxta naturam suam petit ocupare, est in loco adæquato. Quando vero non ocupat totum hoc spatium, etiam si totus sit in illo spatio, & in quanuis parte eius, est in loco in adæquate, quia posset per naturam maius spatium ocupare, qui modi existēdi in loco naturales sunt.

4. Modus. Quartus tamen modus essendi in loco est supernaturalis, quem habet Christus in sacramento Eucharistię per presentiam sacramentalem, quia totus Christus est in tota hostia, & totus in qualibet parte, quātunuis Christus diuisibilis sit, & quantus & ita hęc prę́sentia sacramentalis, quodāmodo assimilatur pręsentiæ definitiuæ de qua præsentia sacramentali plura tradunt Theologi in materia de Eucharistia, neque nostri muneris est ea, in pręsenti disputare.

His supositis dicendū est has pręsentias cōnumeratas

esséntialiter interse distingui. Probatur, quia præsentia in mensa Dei essentialiter est infinita, imo est ipse Deus. Aliæ vero præsentiæ cónumeratæ sunt aliquid finitum & creatum. Quod vero præsentia circúscriptiua essentialiter distinguatur à præsentia diffinitiua. Probatur, quia præsentia diffinitiua essentialiter est præsentia indiuisibilis: nam per illam locatum, totum est in toto spatio & in quauis parte eius, hoc auté repugnat præsentiæ circúscriptiuæ, hęc enim indiuisibilis est, ita vt totú locatú correspódeat toti loco, & partes locati partibus loci: ergo essétialiter distinguitur. De presentia vero sacramentali probatur & in primis qđ differat à præsentia circunscriptiua; quia præsentia sacramétalis constituit totú in quauis parte spatij, secus vero circunscriptiua. Quod vero differat à definitiua patet, quia præsétia diffinitiua est spiritualis, sacramétalis vero est quid corporeú, sicut quãuis Christ⁹ sit in quáuis parte hostię, tñ quid corporeũ est.

Dubium. Dubitari tñ potest an præsentia localis in loco sursum distinguatur specie à præsentia in loco deorsum. Prima sententia affirmat distingui specie tenet Albert. text. 31. c. 2. Paul. Venet⁹ hoc li. text. 4. & probari potest ex Arist. hoc lib. text. 4. vbi dicit sursum, & deorsum esse species loci, ergo similiter præsentia sursum, & præsentia deorsũ erunt species præsentiæ.

Secúdo, quia alias mot⁹ sursum, & motus deorsum non specie distinguerẽtur: patet cõsequentia, quia motus distinguútur per terminos, sed termin⁹ motus localis est pręsentia localis: ergo si præsentia sursum & præsentia deorsum non distinguuntur specie, motus sursum & motus deorsum erút eiusdem speciei.

Dicendú tamen est præsentia sursum non differre essentialiter à præsentia deorsum & idé est de loco sursum, & de loco deorsum. Tenet Sotus hoc lib. q. 1. Iauelus. q. 3. & probatur primo, quia sursum & deorsum formaliter cósistunt in relationibus ad aliud, respectu cuius talia dicuntur, ergo in ratione præséntiæ localis, quæ quid absolutum est nó distinguuntur essentialiter præsentia sursum, & præsentia deorsum. Antecedens probatur, nam eadẽ præsentia respectu corporis inferioris est præsentia sursum, respectu vero corporis.

Præsentia sursum non differt essentialiter à pręsentia deorsum.

poris superioris est præsentia deorsum: ergo sursum & deorsum potius consistunt in relatione, quàm in aliquo absoluto.

Secundo probatur à simili, nam magnum & paruum nõ distinguuntur specie in prædicamento quantitatis, ergo neque præsentia sursum, & præsentia deorsum in prædicamento vbi, habent enim se proportionali modo.

Tertio, quia termini spetie diuersi nõ possunt acquiri per eundẽ numero motũ continuũ. V. g. frigiditas & humiditas non possunt produci per eandem numero alterationẽ: sed præsentia sursum, & præsentia deorsum acquiruntur per eundem numero motum continuum: ergo non distinguuntur essentialiter. Probatur minor, nã corpus continuum, quod cõtinuè mouetur sursum, in principio motus acquisiuit præsentias deorsum, & tandem in fine motus acquirit præsentiam sursum: ergo nõ distinguuntur essentialiter: & idẽ est dicendum de præsentia, quæ est adextris, & a sinistris: nam per eundem numero motum potest vtraq; acquiri, si fingamus corpus moueri a dextris ad sinistrã: solum ergo distinguuntur huiusmodi præsentiæ locales per relationes diuersas, quas dicunt, sicut quantitas magna, & parua in ratione quantitatis non distinguuntur essentialiter, sed accidentaliter per diuersas relationes magni & parui. Idem etiam est de loco sursum & loco deorsum, nã superficies locans non distinguitur specie, ex eo quod ponatur in loco sursũ, vel in loco deorsum.

Vnde ad argumenta, aut loca Arist. Respondetur, quod cum dicit locum sursum & locum deorsum esse species loci, non significat sursum, & deorsum essentialiter distingui in ratione loci per differentias essentiales loci, sed tantũ distingui spetie in ratione naturalis, in quãtum locus sursum est locus naturalis corporum leuium, locus vero deorsum est locus naturalis corporum graviũ. *Ad loca argum. respõ.*

Propter secundum argumentum non desunt, qui existiment motum sursum, & deorsum nõ distingui essentialiter, nec caret sua probabilitate, verumtamen motus istos essentialiter distingui per differentias essentiales multomagis est ad mentem Aristot. 1. lib. de cœlo, capite. 2. & sæpe alibi

bi, vbi docet motus istos specie differre, & esse motus contrarios.

Vnde ad argumentum respondetur, quod quanuis pręsentia sursum, & præsentia deorsum, quæ sunt termini horum motuum non distinguantur essentialiter, tamen motus sursum & deorsum essentialiter distinguuntur: quia motus distinguatur per terminos, taliter, vel taliter ordinatos: vnde, quia motus deorsum ęssentialiter dicit incipere à pręsentia sursum, & terminari ad præsentiam deorsum, ideo distinguũtur essentialiter: E cõtra vero motus sursum essentialiter dicit incipere à præsentia deorsum, & terminari ad pręsentiam sursum, ideo distinguuntur specie: de præsentia autem est dspar ratio: nam eadem pręsentia potest esse sursum & deorsum respectu diuersorũ, vt supra dixi, repugnat autẽ eundẽ motũ esse sursũ & deorsum, & ita distinguuntur essentialiter.

Respõd. ad rat.

Vltimo dubitari potest in hac quęstione: vtrũ illa omnia, quę habent entitates realiter diuersas, habeãt etiã pręsẽtias realiter diuersas, itaqđ si in codẽ subiecto reperiantur accidentia realiter diuersa, vt in homine quantitas, & albedo, talia accidentia habeant præsentias realiter diuersas. Et respõdetur affirmatiuè. Ratio est primo, quia quando de nouo producitur albedo in aliquo subiecto quanto, vel eadẽ pręsentia quę erat antea in quãtitate, subiectatur de nouo in albedine, & hoc nõ: quia idẽ accidens non potest transire de subiecto in subiectum: ergo est alia diuersa.

Secundo, quia pręsentia est modus consequens ad entitatẽ productã à parte rei, quę necessario erat alicubi: ergo entitates realiter diuersę habẽt pręsentias realiter diuersas.

Tertio, quia potest dari à parte rei pręsentia quãtitatis sine pręsentia albedinis: nã corrupta albedine, etiã corrũpitur presentia subiectata in illa, & tamẽ manet pręsentia quãtitatis: ergo distinguũtur realiter: vnde etiã fit qđ quãdo aliquod corpus mouetur localiter, accidentia realiter diuersa à subiecto, etiã inter se mouẽtur motibus diuersis: ita qđ entitates realiter diuersę necessario debeãt habere motus realiter diuersos: quia habent præsentias locales realiter diuersas: ergo debent acquiri per actiones realiter diuersas, & ita

ita quod communiter dici solet, *Accidentia moueri ad motum subiecti*, non significat accidentia moueri eodem motu prorsus, quo mouetur subiectum: sed quod habeāt motum realiter diuersum ab illo, tamen quia dum mouentur sunt inhæsiue in subiecto, & quasi illi affixa, ideo dicuntur moueri ad motum illius: sicut etiam dici solet orbes cœlestes inferiores moueri admodum primi mobilis, tamen diuersum motũ habent à motu illius.

Quid not. Illud tamen hac in re maxime notandum est accidentia omnia, quæ fundatur in præsentia locali esse in loco, non quidem per aliam prẹsentiam, sed per se ipsa. Ratio est: quia cum intime vniantur cum præsentia locali; quam modificant sicut præsentia localis est essentialiter immobilis in tali determinato spatio, ita accidentia illius habent essentialem connexionem cum tali spatio determinato: nam variato spatio cum corrumpatur prẹsentia localis, quæ erat antea etiam corrumpuntur accidentia illius, cum habeant essentialem connexionem cum tali determinato spatio, non minus quàm ipsa prẹsentia localis, non est in spatio per aliã præsentiã, & ita sicut præsentia localis non est in spatio per aliã prẹsentiã, ita neq; accidẽtia subiecta in illa, qualis est relatio propinquitatis, vel distantiæ, reliqua tamen accidẽtia, quæ non fundãtur in præsentia locali, habent præsentias realiter diuersas, vt probatum est.

Est tamẽ aduertẽdum, ꝙ accidentia specie diuersa nõ habẽt motus, aut præsentias locales specie diuersas v. g. præsentia albedinis, & prẹsentia coloris non distinguũtur specie, sicut albedo in homine, & in equo nõ differũt specie: quia distinctio specifica accidẽtium non sumitur per subiecta. Præterea quia quanuis Angeli differant specie, tñ non habent præsentias diffinitiuas specie diuersas: nam modus essendi in loco idẽ est secundũm speciẽ in omnibus Angelis: ergo similiter accidẽtia diuersæ rationis non habẽt præsentias locales realiter diuersæ rationis. *Quid aliud notan.*

Et hinc vlterius respõdetur, quod præsentia localis non sit genus, habens varias species, sed poti' est species infima ad omnes præsentias locales: quia sũnt eiusdẽ rationis. Et similiter præsentia defini-

QVAESTIO. V.

Vtrum vltima sphera sit in loco.

CErtum est hac in re, corpora omnia cótenta sub vltima sphera esse in loco actu, quia nullum est corpus, quod non circundetur à corpore sibi contiguo: solum ergo est dubium de vltima sphera. Quam dubitationem Aristoteles, & antiqui Phylosophi de primo motore pertractauerunt, existimantes vltimum cœlum, seu vltimam spheram mobilem esse, imò ad eius motum moueri orbes cælestes inferiores illi, & ita illam appellarunt primum mobile: vnde cum per motú localem mutetur locus: hinc sumpta ocasione ad inuestigandú locú vltimæ spheræ peruenerunt. Verumtamen vltimum cœlum in mobile esse, vt sit sedes quieta Beatorum, omnes Phylos. Christiani docent, ita certum est vltimam spheram esse cœlú empyreum, quod est, sedes Beatorum, de quo inquiritur, an sit in loco, & loquimur dè loco reali: nam habere locum imaginariú, idest, spatium vacuum circundans illud, nullus dubitat: solum ergo est dubium de loco reali.

De qua re variæ apud Phylosophos exciterunt sententiæ: nam Auerroes hoc libro cómento. 43. & Iandunus. q. 9. Albertus tract. 1. c. 3. asseruerunt locum vltimæ spheræ esse centrum mundi quæ sententia fortasse sumpsit fundamentum, ex quibusdam verbis Arist. 1. lib. de cęlo cap. 2. vbi dicit, *Motum rectum, esse ad locum, motum vero circularem, qualis est motus cœli esse circa locum*: Sed cœlum mouetur circa centrum mundi: quia per suum motum illum circúdat: ergo sensit locum cœli esse centrum mundi. 1. Sent.

Hæc tamen sententia merito ab omnibus communiter reijcitur: quia de ratione loci, est, quod locatum sit in illo, & quod contineat, & ambiat locatum: sed cœlú neque est in centro mundi, neq; ab illo circundatur: ergo non potest esse locus illi. Arist. autem loco allegato, quando asserit motum circularem esse circa locum nó intelligit circa locú cœli, sed circa spatiú aliquod, quasi dicat, hoc differre inter motú circularem, & motum rectú, quod motus rectus acquirit nouum spatium, motus vero

vero circularis necessario nõ mutat spatiũ: quia mobile intra idẽ spatiũ perseuerans potest agitari in circulum.

2. Sent. Secunda sententia asserit locum vltimę sphere esse vltimam superficiem cõuexam illius, intra quam cõtinetur. Sed neq; hoc placet: quia locus, vt Arist. docet sæpe sæpius hoc libro debet esse aliquid extrinsecum locato, in quo locatũ cõtineatur, quærimus enim locum corporis secundum totum, quod in se dicit, atque adeò inquirimus locum cœli, prout includit vltimam superficiem cõuexam, aliàs si superficies cõuexa corporis esset locus, illius, quantumuis corpus illud poneretur in vacuo, semper haberet locũ realẽ, quia semper haberet vltimam superficiem conuexam.

3. Sent. Tertia sententia, quam plures hoc tempore sequuntur, asserit, vltimam spheram esse in loco secundum partes, quia vna pars cœli continetur intra alias. Addit tamẽ hæc sententia, partes cœli non esse in loco actu: quia actu vna pars non est discontinua, & diuisa ab alia. Qualiter locus debet esse diuisus à locato, & illi extrinsecus: sed solum est in loco in potentia: quia pars coatenta intra alias potest diuidi ab alijs. Tenet Sotus hoc lib. q. 2 Tolet. q. 7. & plures alij. Sed neq; hæc sententia placet: quia si partes alicuius corporis possent esse locus alterius partis, multo melius dicendum esset superficiem vltimam conuexam talis corporis esse locum eius: quia intra illam continetur, quod tamen falsum est, & non admittunt auctores huius sententiæ.

Quod dicẽdum est. Dicendum ergo est nobis vltimam spherã actu non esse in loco, sed solum in potẽtia, in quãtum posset Deus creare aliud corpus superius illam circundans. Sic tenet Alexander, & Simplicius in digressione de loco, & reuera, ita aperte sentit Arist. hoc lib. nam text. 28. ne cõcederet dari processum in infinitum in locis: dicit primum locũ nõ esse in alio, tãquã in loco, sed tãquã in subiecto, admodum, quo, sanitas dicitur esse in alio subiectiue: ergo sentit vltimam spheram, nõ esse in loco aliquo, & textu 44. dicit supremũ cœlũ non esse in loco, sed ipsum esse locum aliorum.

Et quidẽ ꝙ nulla sit necessitas cõstituẽdi vltimũ cœlum in loco euidẽter patet: quia tota ratio, quare antiqui

Phylosophi inuestigauerūt locum vltimum sphera esse, quia illud quod mouetur mutat locum, atque adeò dicebant debere esse in loco aliquo, & ita cum ipsi existimarēt vltimam spheram mobilem esse, ideo ad illius locum inquirendum peruenerunt. Quæ ratio profecto friuola est: nam etiam si consideremus vltimam spheram moueri localiter; non esset opus, illam in loco constituere: nam ad motum localem satis est mutare præsentiam localem, quæ mutari potest variato spatio, etiam si non sit locus realis. Qua ratione si corpus moueretur per vacuum, aut extra cœlum mutaret præsentias reales, non tamen esset in loco reali: nā vt supra dixi in loco imaginario potest esse realis præsentia realis corporis, & ita motus localis dicitur, quia per illum mutarentur præsentiæ locales reales: ergo nulla est ratio, qua cogamur constituere vltimam spherā in loco reali.

Secundo probatur conclusio. Quia locus, vt docuit Aristoteles est vltima superficies corporis continentis: sed nullum datur corpus cōtinens vltimam spheram: ergo non est in loco.

QVAESTIO. VI.

Vtrum plura corpora possint esse in eodem loco.

NON Est quæstio de loco communi, qualiter corpora plura cōtinentur sub cœlo tanquam sub loco communi, sed loquimur de loco immediato, & proximo, & æquali locato. Vtrum scilicet plura corpora possint esse penetrata in eodē prorsus loco. Quæstio autem, tam esse potest de potentia naturali, & ordinaria, quam de potentia absoluta Dei, & quidem loquendo de potentia naturali, aduertendum est, quātitatem duobus modis cōsiderari posse. Primo secundum suum naturalem modum existendi in loco circumscriptiuè. Qua ratione ita est commensuratiuè in loco, quod totum corpus correspondeat toti loco, & pars parti. *Quid aduerte.*

Secundo considerari potest quantitas cum modo super naturali essendi in loco per præsentiam sacramentalem, iam supra explicatam, qua ratione quantitas indiuisibiliter tota est in toto spatio.

tio, & tota in quauis parte spacij.

Asseri. 1. Quo supposito dicendū est primo, corpora habentia præsentias naturales sibi debitas, videlicet, conmensuratiue in ordine ad locum, non posse per naturam interse penetrari, atque adeò non possunt esse in eodem prorsus loco. Ratio est: quia quantitas ex natura rei postulat habere partes extra partes: ergo ex natura rei postulat nō penetrari cum alia quantitate, quod etiam experientia manifeste comprobat: nam experimur, vnum corpus naturaliter expellere alud ab eodem loco: ergo petit non penetrari cum illo.

Etsi obijcias. Nam experimur, vas plenum cinere, tantam aquam recipere, quantā recipere potest, si cinere careret: ergo videtur, quod plura corpora ibi penetrarētur.

Respondetur causam esse, quia cinis est corpus maxime rarum inter cuius partes sunt quædam paruæ cauitates, & pori, intra quos aqua recipitur ex pulso aere intra illos contento, & ita non datur penetratio corporum.

Asseri. 2. Dico secundo, quātitatem existentē modo sacramētali, ex natura rei penetrari posse cum alia quantitate, siue sacramentaliter etiam existente, siue naturaliter, & conmēsuratiue in ordine ad locum ita quod supposito priori miraculo, quo quantitas ponitur sacramentaliter tota in toto spacio, & tota in qualibet parte, deinde non sit miraculosum penetrari cum alia quātitate, tenet Pater Suarez. 3. parte, tomo, 3. disputatione 43. sectione. 1. ratio est primo, quia quātitas Christi Domini in sacramēto Eucharistiæ ex vi præsentiæ sacramentalis habet talem modum essendi, quia nō solum est tota in tota Hostia, sed tota inquauis minima parte Hostiæ, ita quod omnes eius partes ibi penetrentur in ordine ad idem spatium: ergo supposito illo modo essendi non est miraculosum penetrari cum quantitate Hostiæ quia ex vi præsentię sacramentalis priuatur suo modo naturali existendi in loco, expellendo aliam quantitatem ab illa, tñ, quia quātitatē habere illā præsentiam sacramentalem miraculosum est, ita vnam quantitatem penetrari, cum alia, absolute loquendo miraculosum est, de quo latius Theologi.

Difficultas ergo quæ proprie ad nos pertinet ea est, nempe, an duo corpora *Difficultas.* habentia

Rat. dub. habentia suum naturalem modum essendi in loco commensuratiue, saltem de potentia absoluta Dei posint penetrari in eodem loco. Est autem ratio dubitandi: quia partes quantitatis successiue, vt partes temporis, etiam neque per diuinam potentiam possunt inter se penetrari in coexistentia, ita vt omnes partes temporis simul existant: quia cum tempus sit essentialiter successiuum, essentialiter postulat habere vnam partem post aliam, atque adeò non coexistentes: ergo eodem modo implicabit contradictionem partes quantitatis permanentes penetrari interse, aut cum partibus alterius corporis: ergo implicat duo corpora penetrari interse.

Secundo quia, si omnes partes hominis possunt penetrari in eodem spatio, in quo est caput, sequitur, quod totum non est maius sua parte, siquidem tantum spatium ocuparet caput, ac totus homo.

Communis sent. Verumtamen communis, & receptissima omnium sententia est, saltem de potentia absoluta, duo corpora posse penetrari in eodem prorsus loco. Tenét communiter scolastici in 4. distintione. 4. & 3. parte, quęstione. 57. & ita docent Beatam Virginem manentem incorruptam peperisse Iesum Christum Dominum, quia corpus Christi Domini penetratum fuit cum claustro virginali, & Christum Dominum resurrexisse ante quam Angelus lapidem reuolueret, & in gressum fuisse ad Dispulos ianuis clausis. Et denique super cœlos ascendisse, absque eo quod cœli diuiderentur intercedēte penetratione vnius corporis cum alio, quæ ita contigisse, præter Scolasticos docuerunt antiqui patres Ambrosius lib. 10. in Lucam capite. 24 Cirilus Cathechi. 18. Damascenus lib. 8. de fide cap. 28. Anselmus libro de similitudinibus capite. 53. Et ratione probatur. Quia vnum corpus expellit aliud ab eodem spacio, non quidem in genere causæ formalis, sed in genere causę efficientis, vt probatum est, secūdo libro Physicorum: sed actio causæ efficientis impediri potest à Deo ergo duo corpora poni possunt in eodem loco, absque eo quod vnum expellat aliud, atque adeò poterūt penetrari.

Secundo

cum ligno. Ratio est, quia ex eo quod duo corpora penetrentur, adhuc habent suum naturalem modũ essendi, in loco intrinsecum cõmensuratiuè, ita quod singulæ partes locati correspõdeant singulis partibus loci; solũ impeditur actio, qua vnum corpus naturaliter expellit aliud ab eodẽ loco: ergo non ideo impediretur à suis actionibus. Secus esset si corpus aliquod haberet præsentiam Sacramentalem in loco, vt Christus Dominus in Sacramento, tunc enim amittit suum naturalẽ modũ essendi; quia indiuisibiliter ponitur totus in tota hostia, & totus in quauis parte: & quia operari sequitur esse, ideo, vt nos supra adnotauimus lib. 2. phys. dis put. 5. merito asserunt Theologi, Christũ Dominũ prout est in Sacramento Eucharistiæ absque nouo miraculo naturaliter nihil posse agere, aut pati.

Tertio dubitari posset hoc loco. Qua ratione illa duo corpora penetrata possent videri, aut alio sensu percipi. De quo dicam secundo lib. de anima, vbi res hæc propriam habet sedem.

Ad rationes dubitandi supra adductas respondetur, ad primam esse diuersam rationem de partibus temporis, aut alterius quantitatis successiuę, & de partibus corporis: nam tempus cum essentialiter sit successiuum, implicat eius partes penetrari, quia sic iam simul coexisterent, & ita repugnat penetratio partium cum essentia temporis: nam penetratio partium, non repugnat cum essentia quantitatis permanentis, cum de illius essentia, tantum sit habere partes in ordine ad se, non tamen expellere aliam ab eodem loco.

Nec placet sententia Scoti, in 4. distinct. 49. quæst. 16. asserentis, quod si duo corpora penetrarentur in eodem loco, vnum dumtaxat eorum repleret, & occuparet locum, non tamen vtrumque simul, quod quidem capi non potest: nam inintelligibile est duo corpora habentia suas extẽsiones in ordine ad locum inter se penetrari, & vtrumque non occupare illum locum.

Secundo, quia si fingamus, Deum creare duo corpora penetrata in eodem loco, quæ tamen sint omnino eiusdẽ perfectionis, nulla est maior ratio, quare vnum occupet talem locum, potius quàm aliud: ergo vel

vtrumque debet occupare illum, vel neutrum (vt obiter hoc dicam.) Minus placet, quod eodem loco asserit Scotus, scilicet, quod occupare locum est quædam actio: nã quamuis ante præsentiam localem præcedat motus localis, quo talis præsentia acquiritur, tamen formaliter replere locum, non est actio aliqua cum transacto omni motu, adhuc locatum, manet in loco replendo illum. Solum ergo replere locum consistit, in quodam modo superaddito ipsi corpori, qui modus est præsentia localis, de prædicamento vbi, & ita merito Basiolus Scoti discipulus, illum, hac in re deseruit in 4. dist. 49. quæst. 4. & Auerroes hoc lib. comment. 84. idem docet, quod præsertim impugnari potest in opinione asserentium, quantitatem nullam prorsus habere actiuitatem; quia quantitas locum replet: ergo talis repletio, non poterit consistere in actione.

Verumtamen, quantitatem nullam prorsus actionem habere posse, non est ita certum, vt ostendimus capite de relatione, vbi omnes relationes fundatas in quantitate, probauimus esse actiue ab illa oriri.

Ad secundum respondetur, quod in eo casu, quod omnes partes hominis penetrarētur in eo spatio, in quo est caput, non probatur, quod totum non sit maius sua parte, in ordine ad se; quia in se plures partes haberet, quam caput, solum probatur, quod in ordine ad locum, non occupet totum maiorem locum, quam vna pars eius, quod nullum est inconueniens, de potentia absoluta, cum possint partes totius penetrari inter se, & retrahi ad spatium vnius partis, cuius rei aliquale exemplum, ad hoc in naturalibus reddere possumus: nam quando corpus aliquod nimis condensatur, ocupat minorem locum, quàm antea ocupabat, & ita quasi trahitur ad locum, in quo antea non erat totum corpus, sed pars aliqua illius.

QVAESTIO VII.

Vtrum vnum corpus possit esse in duobus locis adæquatis, & totalibus.

IN hac re de fide est, idem corpus posse esse in duobus locis adæquatis

quatis præsentia Sacramentali: nam de fide est Christum Dominum habere realem præsentiam Sacramentalem in quam plurimis hostiis, etiam maxime distantibus.

Secundo, de fide est idem corpus in vno loco, posse per Diuinam potentiam habere præsentiam Sacramentalem, & in alio præsentiam circunscriptiuam, sibi connaturalem, qua ratione fide credimus. Christum Dominum nostrũ præter præsentiam Sacramentalem, quam habet in Hostia esse præsentem in cœlo præsentia sibi connaturali, cum extensione quantitatiua in ordine ad locum.

Quæstio ergo solum est, apud authores de præsentia naturali, seu circunscriptiua, vtrum scilicet idem corpus, secundum præsentiam circunscriptiuam, & naturalem, possit esse in duobus locis, sibi adæquatis, & totalibus; nam de partialibus de facto, id habet, cum diuersis partibus locati correspondeant diuersæ partes loci.

Quid certũ. Secundo certum est id naturaliter esse impossibile: quia naturaliter vnum corpus, vnum tantum occupat locum, & ita experimur illud corpus, dum est in alio loco amittere præsentiam in priori loco.

Solum ergo est quæstio, de potentia Dei absoluta, in quo nihil adducere possumus ex Aristotele, vt enim supradixi Aristot. tantũ cognouit in Deo potentiam naturalem, non vero supernaturalem, & absolutam, & ita in similibus quæstionibus nullum habet locum.

In hac re, tam pars affirmatiua, quàm negatiua plurimos habet authores; partem enim negatiuam, sequitur D. Thomas, quodlibeto 9. artic. 2. & in 4. dist. 10. artic. 1. & 3. par. quæst. 75. artic. 1. ad tertiũ. Bonauẽtur. in 4. artic. de dopt. subtilitatis quæst. 1. Capreol. dist. 10. quæst. 1. art. 3. Paludan. quæst. 1. Duran. ibidem n. 30. & 31. Enrichus, quodlibeto 9. q. 32. Ferrar. 4 contra gentes capit. 78. tamen hæretici huius temporis negantes præsentiã Sacramentalẽm Christi Domini, in Sacramento Eucharistiæ, hoc præcipue nituntur fundamento, quod cum Christus sit in cœlo, impossibile omnino existiment, simul alibi esse, & obiiciunt illud Matthæi 28. vbi mulieribus, quæ- *Quidã sen.*

 rent

simul sit in duplici mensura durationis, scilicet in duplici tempore. Qualiter implicat eandem rem simul esse, hodie, & cras, aliàs dies crastinus esset hodiernus, atque adeò esset crastinus, & non crastinus: ergo eadem ratione repugnabit idē corpus esse in duabus mensuris localibus, qualia sunt duo loca.

Octauo, quia sequeretur idem corpus esse æquale, & inæquale, respectu eiusdem. Et probatur: quia locus debet esse æqualis locato: ergo si idem locatū est in duobus locis, erit æquale vtriq; loco: ergo non est æquale alteri tantum, & ex alia parte est æquale: quia locus est æqualis locato, & ita locatū est æquale loco: ergo idem respectu eiusdem est æquale & inæquale.

Hæ sunt huius sententiæ fundamenta, quæ omnia adducere placuit, tum quia diuersam continent difficultatem, tum etiam, quia ad ostēdendam non repugnantiam, plurimum confert, omnes repugnantias, quas isti auctores adducunt euidenter soluere: neque isti auctores tantū rationibus intendunt contrariam sententiam labefactare, plures enim alias adducunt, vt quod illud corpus possit simul moueri in vno loco, & in alio quiescere, in vno mori, in alio viuere, quæ quia specialem continent difficultatem specialiter etiam tractabuntur quæstione sequenti.

Contraria tamen sententia verissima est, & mihi prorsus certa, scilicet, de potentia Dei absoluta, idē corpus simul esse posse in duobus locis circūscriptiuis totalibus, & adæquatis; quam etiam sequuntur Auctores grauissimi, Alexander Alensis 4. p. quæst. 11. artic. 1. Scotus, in 4. dist. 10. quæst. 2. Ricardus artic. 2. quæst. 2. Maior. quęst. 2. Gabriel. quæst. 1. articul. 2. Marsilius quæst. 7. articul. 1. dubi. 2. Ocam. quæst. 4. Aureolus super Capreolū dist. 10. quæst. 1. Ricardus art. 15. quam docte quidem suadet Pater Xuarez 3. par. tomo. 3. disput. 8. sectio. 4. vbi dicit sententiam hanc esse principiis fidei multo magis conformem, cum fateamur Christum Dominum, simul secundum naturalem præsentiam esse in cęlo, & in hostia per pręsentiam sacramētalem, & probatur hæc sententia efficaciter ex principiis fidei, nam de fide est Christum Dominum haben- *Idem corp⁹ simul potest in duobus locis circumscriptiuo totalibus, & adæquatis.*

 tem

tem naturalem præsentiam in cœlo, habere alibi, nempe in Hostia præsentiam Sacramentalem: ergo multo melius posset habere præsentiam connaturalem circunscriptiuam, patet consequentia: quia præsentia Sacramentalis Christi in Hostia, vera, & realis præsentia est: nã de fide, est Christum non ficte, sed vere, & realiter esse præsentem Sacramentaliter, sub accidentibus panis, & aliàs præsentia Sacramentalis est præsentia supernaturalis: ergo multo melius posset ibi habere præsentiam naturalem: ergo nõ implicat contradictionem, idẽ corpus simul esse in duobus locis per præsentias naturales illi.

Secundo probatur, quia de potentia absoluta, possunt duo corpora, esse in eodem loco, vt probatum est: ergo etiam de potentia absoluta, poterit vnum corpus esse in duobus locis. Probo consequentiam: quia sicut naturaliter vnum locatum, tantum petit, simul vnum locum; ita naturaliter vnus locus, tantum petit simul continere vnum locatum: ergo sicut supernaturaliter, potest vnus locus continere plura locata, ita supernaturaliter: poterit vnum locatum esse in pluribus locis.

Respondent Autores contrarij esse diuersam rationem: nam ex eo, quod duo corpora contineantur in eodem loco, non sequitur, quod sint vnum: quia adhuc penetrata in illo loco, retinent suam distinctioné. Qualiter Christus quantumuis penetratus fuerit cum aliis corporibus, adhuc erat maxime diuersus ab illis: tamen ex eo, quod vnum corpus sit in pluribus locis discontinuis, vt Compluti & Romæ, euidenter probatur esse discontinuum: atque adeò plura corpora: ergo non vnum. Sed hæc solutio nulla est: nam contra illam à contrario est argumentum euidens: nam vnitas loci non sufficit ad causandam vnitatem corporum, quæ ibi penetrantur: nam adhuc manent diuersa, quamuis penetrata: ergo similiter diuersitas loci non debet esse suficiens causa diuersitatis corporis locati: quia nõ est maior ratio vnius quam alterius.

Secundo, quia idem argumentum, posset fieri de Christo Domino, si aliquam haberet vim: nam Christus Domi-

Dominus per viuam, & realẽ præsentiã est in cœlo, & in Hostia, quæ sunt nimis discõtinua, & distantia inter se, & nihilominus est vnũ corpus cõtinuum: ergo idem esset, si vtrobiq; haberet pręsentiam sibi connaturalem.

Tertio probatur conclusio: Quia quamuis quantitas sit ratio radicalis occupandi locum circunscriptiuè: tamẽ ratio proxima essendi in loco circunscriptiuè, est præsentia localis: sed si vnũ corpus esset in pluribus locis haberet plures præsentias locales: quia variato loco, variatur præsentia localis, vt suppono: ergo iam multiplicaretur in illo corpore ratio essendi in loco: ergo nihil mirum, quod sit in pluribus locis, quantumuis distantibus, vt Compluti, & Romæ.

Quarto probatur: Quia, quod vnum corpus, habeat simul plures præsentias locales, non repugnat cum essentia quantitatis: ergo salua illius essentia, potest poni in diuersis locis. Antecedens probatur: quia essentia quantitatis, tãtum est habere partes, & extensionem in ordine ad se: sed intellectus optime capit, quod corpus existens in duobus locis, vtrobique haberet extensionẽ in ordine ad se, imò & in ordine ad locum: ergo hoc non repugnat cum essentia quantitatis, atq; adeò est possibile. Et eadem ratione dicendum est Angelum, simul posse esse in duobus locis adæquatis deffinitiuè, est enim proportionalis ratio, & vtrobique nulla apparet implicatio, vt magis constabit ex solutione argumentorum. Quod autẽ sit locus adæquatus Angeli, & locus inadęquatus, etiã si totus Angelus sit in quauis minima parte spatij diximus quæst. 4. huius disputationis.

Ad loca contraria sent. respond. Superest respõdemus ad argumẽta cõtrariæ sententiæ. Ad locũ Matthę. 28. respondetur Angelum optime dixisse, *Non est hic surrexit enim*: quia verbũ illud *surrexit*, significat egressum fuisse Christum Dominũ ab illo loco, quasi diceret nõ est hic, quia egressus est ab hoc loco & ita non reddit rationẽ, quia alibi est, sed quia egressus est ab hoc loco: pręsertim, quod cũ vnũ corpus occuparet duo loca, nõ fiat, nisi de potentia Dei absoluta, de potẽtia vero ordinaria loquẽdo, bene valet. Corpus non est hic, quia est alibi.

Ad primum rationem res-

 pon-

pondetur locum aliquẽ non appellari adæquatum,& totalem, quia solus ille ambiat locatum: sed quia ambit totum locatum, quamuis etiam illud totum locatum, possit cõtineri in alio loco, in quo maxime falluntur auctores contrarij. Quod ita esse probatur plane: quia quamuis Christus habeat præsentiam totalem sacramentalem, in hac hostia, in quantum totus continetur in illa, non ideo excluditur, quod simul possit habere præsentiam Sacramentalẽ in alia Hostia, quĩm potius de facto est totus, in quàm plurimis hostiis: ergo similiter corpus esse in aliquo loco naturali adequato, non erit quod non sit alibi, sed quod totum locatum à loco ambiatur, siue tale locatum, etiam alibi possit esse, siue non.

Secundo hoc idẽ constat à simili de causa efficiẽti: nam causa efficiens, non ideo appellatur totalis, ex eo quod illa sola producat effectum, cum per Diuinã potẽtiã idẽ effectus possit simul produci à pluribus causis totalibus nõ subordinatis: vt vidimus lib. 2. Physic. sed appellatur causa efficiens totalis, illas quæ totum effectum producit, siue idem effectus producatur ab alia, siue non: ergo similiter locus totalis, solum dicit continere totum locatum, siue idem locatũ simul sit in alio loco, siue non.

Ad secundum respondetur, quod si aliquam haberet vim, etiam probaret contra præsentiam Sacramentalem Christi Domini: nam etiam Christus Dominus habet præsentiam Sacramentalẽ in locis distãtibus: vnde sicut hic solum probatur, quod Christus secundũ quod vnã præsentiam Sacramentalem, qua est in vna Hostia distat à se ipso, prout est in alia hostia per aliam presentiã Sacramentalem: ita tamẽ, quod sit idem numero Christus. Ita solum probatur corpus habens præsentiam circunscriptiuã Compluti distare à se ipso, prout habet aliam præsentiam Romæ; tamen est idem numero & in se indiuisum.

Ad tertiũ non sequi, quod illud corpus sit diuisum, & discõtinuũ à se ipso, vt aperte ostendimus in secũda ratione adducta ad probandã nostram sententiã. Nam quẽadmodum, quando duo corpora penetrantur in eodem loco, vnitas loci non est sufficiens, vt illa corpora sint vnum, & continuentur: quia adhuc distinguũtur per suas intrin-

intrinsecas entitates, & non per locum, quia quid extrinsecum est; ita corpus existẽs in diuersis locis discõtinuis non est discontinuum, sed vnum, & idem ratione suæ intrinsecæ entitatis, vtrobique existentis; & re vera si argumenta aliquam haberet vim, etiam probaret, Christum Dominum existẽntem per præsentiam Sacramentalem in pluribus locis distantibus esse diuersum, & discõtinuum, à se ipso, quod est impossibile.

Ad quartum respondetur solum probare, quod illum locatum possit esse in pluribus, & pluribus locis, non tamen ininfinitis in actu, sicut Deus. Quia cum infinitum sit impossibile, repugnat dari infinitam multitudinem præsentiarum localium, quibus occuparet loca diuersa infinita, aut dari vnã præsentiã infinitam, quæ occupet locum infinitũ continuũ, sicut de facto potest Christus Dominus per præsentias sacramentales esse in pluribus & pluribus hostiis, nõ tamẽ ininfinitis; quia infinita multitudo præsentiarium sacramentalium est impossibilis.

Ad secundum, quod quãuis quantitas sit ratio radicalis occupandi locum circumscriptiuè; tamen ratio formalis proxima, est præsentia localis, & ita non multiplicata quãtitate per plures præsentias locales posset illud corpus occupare plura loca; sicut de facto non multiplicata quantitate Christi Domini per plures præsentias sacramentales est in pluribus hostiis sacramentaliter.

Ad sextum re vera idẽ corpus posse simul habere duas præsentias simul in eodem loco, ita quasi bis simul ponatur in eodẽ loco, ratio est quia sicut idem corpus naturaliter potest habere ineodẽ loco duas præsentias successiue, modo, vnam postea, aliam; ita per diuinã potentiã poterit habere easdem præsentias simul, nam quod causa naturalis successiue facit, Deus potest simul facere; quia in operando non pendet à tali, vel tali tẽpore, & hoc duobus modis adhuc est possibile: primo si fingamus illas præsentias locales esse secundum diuersas positiones eiusdem corporis ita vt per vnam præsentiam localem, habeat caput sursum, & pedes deorsum & per aliam sit in eodem loco.

Secundo ita, quod illę positiones sint eiusdem rationis, vt si habeat duplicẽ præsen-

sentiam localem, habẽdo caput & pedes, eodẽ modo dispositos, in hoc enim nulla ostendi potest repugnantia, & Implicatio contradictionis, atque adeò non est denegandum diuinæ omni potentiæ. Quod vero difficile apparere non est sufficiens ratio, vt sit impossibile. Probatur: nã intellectus difficille profecto capit idem corpus Christi Domini simul esse in cœlo, & interra, & interra moueri ad motum hostiæ, & simul in cęlo quiescere, quod tamen possibile esse, fides docet.

Ad septimum respõdetur In primis non repugnare eãdem rẽ simul esse in duobus motibus tẽporis, simul durãtibus: nã cũ in quolibet motu sit sua intrinseca duratio, quando fiunt duo motus simul, res quæ illo tẽpore durat coexistit duplici tẽpore, cõsumpto in illo duplici motu, & ita nõ rẽpugnat eãdẽ rẽ mẽsurari duplici tẽpore intrinseco: nã quãdo eadẽ res simul mouetur motu alterationis, & motu locali, simul mensuratur vtraq; duratione illorũ motuũ; si autem argumentum intendat dicere, eandem rẽ non posse simul coexistere in pluribus partibus eiusdem temporis, vt hodie, & cras, uerũ est: quia cum tempus sit essentialiter successiuum, necessario habet vnam partem post aliam & ita implicat, rem aliquam simul existere in vtraque parte temporis, sicut repugnat vtranque partem temporis simul existere. Est tamẽ dispar ratio de locis: nam in eodem instanti temporis sunt plura loca, vnus hic, & alter alibi, & ita non repugnat simul tempore vterque locus occupari ab eodẽn corpore.

Ad 8. Ad octauum respondetur illud locatũ esse æquale vtrique loco, & etiam est æquale cuilibet: quia habent talia loca æqualem quantitatem, & ita non probatur quod sit minus altero loco, sed æquale vtrique, & æquale alteri quod in oppinione omnium fatendum est: nã de fide est duo corpora penetrari posse in eodem loco: fingamus: ergo duo corpora locantia penetrari interse: tunc vnũ numero locatum contentũ intra illa, esset ęquale vtriq; illi locō penetrato, & æquale cum quolibet: nam si respondeas, quod illa duo loca se habent per modum vnius quia sunt penetrata, etiam dicam ego, quod si vnũ corpus esset in duobus locis, haberet

beret se permodum duplicis corporis; ergo re vera nõ repugnat idem, corpus esse æquale alteri, & æquale vtrique, admodum quo si ponamus tria corpora æqualia, quodlibet corpus est æquale alteri, & æquale vtrique.

QVÆSTIO. VIII.

Vtrum corpus existens simul in duobus locis, eadem accidentia vtrobique haberet.

PRæter argumenta hactenus adducta, quibus plures contendunt implicare, quod idem corpus simul sit in pluribus locis, quæ iam à nobis soluta sunt, obiiciũtur plura alia desumpta ex accidentibus illius corporis. Nam si vnum corpus potest esse in duobus locis, poterit inquiunt in vno loco moueri, in alio vero quiescere, & in vno calefieri, in alio vero frigefieri, imo in vno mori ex violenta percussione, in alio viuere, quę omnia apertam videntur in voluere implicationem, & ita in præsenti quæstione examinare opportet, an eadem accidentia vtrobique conuenerint illi corpori, & qua ratione.

Pro cuius intelligentia ad uertendum est, quod talia accidentia in duplici differentia possunt intelligi, quædam enim non consistunt in actione, sed in facto esse; vt calor; quædam vero consistunt in actione, & de vtroque, suo ordine dicendum est. *Quid aduert.*

Et quidem circa primum notandum est, quod accidentia, quæ non consistunt in actione, sed in facto esse, quædam sunt, quę essentialiter pendent à tali determinato loco, vt præsentia localis, & relatio talis, vel talis distantiæ: & de his certum esse debet, quod corpus existens in duobus locis, non haberet eadem accidentia: quia variato spatio vt supra dixi, necessarium est variari præsentiam localem, & relationem distantiæ à tali vel tali puncto fixo, ita vt neque per diuinam potentiam possit in vtroque loco esse eadem præsentia localis, aut eadem distantia vtrobique, sed potius diuersa: alia vero sunt accidentia, quibus non repugnat dimoueri ab vno loco in aliũ, vt calor, vel albedo & tur-

dictoriæ, vt tales sint, debét esse pro eodem tépore; quia non cótradicit, quod in hoc tempore, quis sit albus, & in alio tempore, non sit albus, ita non contradicit, quod in hoc loco sit album, & alio loco non sit album.

Assert. 3. Dico tertio, si corpus existens in vno loco, postea per miraculum poneretur in alio, ita quod vtrunque locú simul occuparet tunc secum defferret ad secundum locú eadem accidentia numero, quę in alio loco habebat, & hoc loquendo ex natura rei absque nouo miraculo, & loquor de accidentibus, quæ sunt loco mobilia: nam præsentia localis, & accidentia quę in illa fundantur sunt essentialiter immobilia à tali spatio. Probatur conclusio hoc modo intellecta: quia accidétia habent physicá vnionem cum suo subiecto: ergo ex vi talis vnionis naturale est illis ferri, vbicunque subiectum feratur, atque adeò naturale esset illis poni in alio loco.

Difficultas. Maiorem habet difficultatem Secundum quod inquirit quæstio, scilicet vtrú omnes actiones, & mutationes quas corpus illud habet in vno loco, necessario haberet in alio, vt si in vno loco calefieret, an necessario in alio deberet calefieri: & si in vno loco corrumperetur, an etiam in alio deberet corrumpi.

1. Sent. Prima sententia affirmat, mutationem in vno loco factam, necessario debere fieri in alio loco, quia est idem & vnum subiectum, tenet Scotus in 4. dist. 11. quæst. 2. & 4. Ægidius Theoremate. 46 de Eucharistia Petrus Soto lectione 6. de Eucharistia.

Dicendum tamé est, quod si vnum corpus esset in pluribus locis, de inde ex natura rei, & absque nouo miraculo mutatio facta in vno non posset fieri in alio, ita ꝙ si in hoc loco calefieret, non deberet calefieri in alio loco absque nouo miraculo tenet Alexander Alensis 4. parte quęst. 44. membro. 7. maior in 4. distinctione 10. quæst. 5. Ricardus ibidem artic. 15. & optime Pater Xuarez 3. parte tomo 3. disp. 75. sectione 6.

Assert. 1. Vnde dico primo mutatio facta in illo corpore ab agéte naturali in vno loco ex natura rei, & absque nouo miraculo, nó posset fieri in alio loco. Probatur: quia impossibile est ex natura rei agens naturale operari extra sphæram suæ actiuitatis: ergo si illud

illud corpus sit Compluti & Romæ, impoſsibile eſt ignẽ calefacientem illud corpus Compluti transmittere ſuã actionem vſque ad Romam, cum ſit extra ſpheram ſuę actiuitatis.

Et ſi reſpondeas, quod quã uis agens naturale per ſe cõſideratum non habeat tantã virtutem; tamen quia eſt idẽ prorſus ſubiectum, quod eſt Compluti, & Romæ, ratione iddẽtitatis ſubiecti ignis calefaciens Compluti, etiam calefaceret Romæ.

Nam cõtra eſt, quod ſola iddẽtitas ſubiecti nõ eſt ſufficiens vt actio, quæ fit in vno loco neceſſario fieret in alio, vt patet de motu locali: nam Chriſtus Dominus quã uis in hoſtia moueatur, in cęlo tamen quieſcit, imò implicat eundem numero motum localem, quem corpus habet in vno loco habere in alio diſtanti: quia motus localis non minus quam præſentia localis eſſentialiter eſt immobilis à tali ſpatio, ita quod ſicut variato ſpatio, impoſsibile ſit non variari præſentiam: ita etiam impoſſibile ſit variari motum localem; quia non minus pendet à determinato ſpacio, quàm præſentia localis ad quam ordinatur: ergo ſola iddẽtitas ſubiecti: nõ eſt ſufficiens, vt actio in vno loco facta ab agente naturali, fiat etiam in loco nimis diſtanti abſque nouo miraculo: & cũ aliàs virtus agentis naturalis non poſsit ex natura rei trãſmittere ſuam actionem in locum diſtantem, maxime ſit, quod mutatio facta in vno loco, neceſſario non debet fieri in alio.

Secundo, quia incredibile eſt, quod ſi corpus quod Compluti calefit; quia apponitur iuxta ignem, ſi Romæ apponatur iuxta agens frigidiſsimum, etiam calefiat Romæ.

Et ſi inquiras, an corpus exiſtens in duobus locis poſſit recipere qualitates cõtrarias in gradibus intenſis, v.g. calorem vt octo, & frigus, vt octo, nã in gradibus remiſsis certum eſt, quod ſi in vno, & eodem loco poteſt recipere ſimul calorem, & frigus, in gradibus remiſsis, etiam id poterit in diuerſis locis.

Reſpondetur, quod ſi loquamur ex natura rei, & nõ addendo nouum miraculum illud corpus non poſſet recipere, qualitates contrarias in gradibus intenſis, quantũ uis illi applicarentur agẽtia contraria maxime actiua. Ratio

tio est: quia subiectum non habet capacitatem naturalẽ ad recipiendas qualitates cõtrarias in gradibus intensis sed ex eo, quòd ponatur in duplici loco non crescit capacitas intrinseca subiecti: ergo ex natura rei nõ potest recipere qualitates contrarias in gradibus intensis, sed agens fortius vinceret. Sicut quando de facto applicatur duo agentia contraria passo existenti in vno loco, non producunt qualitates cõtrarias in gradibus intensis, sed fortius tandem vincit.

Addo secundo, quod si loquamur de potentia Dei absoluta, & addẽdo nouum miraculum, illud corpus posset recipere qualitates contrarias in gradibus intensis, ita quod posset idem lapis Compluti habere frigus vt octo, & Romæ calorem, vt octo, imò in vno, & eodem loco potest idem corpus ista habere de potentia Dei absoluta: quia potest Deus existente vltima dispositione ad formam ignis, impedire actionem productiuam ignis cũ adhuc illa actio egeat concursu Dei, & ita tunc conseruaretur subiectum cũ calore nimis intenso: nam vt diximus 1. lib. Physicorum eadem materia potest recipere simul formas incõpossibiles, tam substantiales, quã accidentales.

Dico secundo in hac quęstione, si loquamur de actionibus immanentibus illius corporis, si tales actiones pẽdeant ab aliquo extrinseco obiecto actu applicato ex natura rei, actio quæ est in vno loco posset non fieri in alio. *Assert. 2.* Patet: quia si aliquis homo Compluti videat colorem album, si simul sit Romæ, & illi non applicaretur actualiter color albus, vt illum intueri possit Romæ, non videbit colorem illum albũ: quia vt ille actus eliciatur à potentia visiua, ex natura rei requiritur debita aproximatio obiecti, si tamen illæ actiones immanẽtes non pẽdeant ab aliquo extrinseco obiecto actualiter applicato quales sunt actus interiores imaginationis, & actus intellectus, & voluntatis, qui non requirunt actualem applicationem obiecti: tunc omnes actus, quos haberet in vno loco, ex natura rei, haberet in alio.

Ratio est: quia isti actus fiunt effectiue ab illa re, quam ponimus in duobus locis: nam actiones immanentes fiunt effectiue à re illa in qua subiectantur: ergo

ergo cum virtus actiua sit vtrobique, & agat in se ipsam, a.q; adeò sit sibi applicata vtrobique essent eædẽ actiones.

Ex quibus fit impossibile esse adhuc per diuinam potentiam, quod homo existẽs in duobus locis, in vno habeat actum sciẽtiæ, & in alio actum erroris: quia vnum obiectum ex his, destruit, & tollit aliud: nam ex vi augmentationis scientificæ euidenter redditur falsum obiectum herroris, & ita redditur intellectus impotens ad assentiẽdum illi in alio: quia non potest assentiri nisi saltem vero apparenti, & per contrariam argumẽtationem. Patet esse euidenter falsum tale obiectum. Vtrum autem in actionibus voluntatis, possit talis homo, in vno loco habere amorem, in alio odium eiusdem rei, pendet ex quæstione Theologica, vtrum saltem de potentia absoluta possint dari actus contrarij simul respectu eiusdem, atq; adeò non est huius loci.

Ex dictis hactenus, colligi potest solutio ad difficultates, quæ hac in re soluẽdas restabat, fatemur enim illud corpus in duobus locis existens, posse in vno loco moueri, in alio quiescere. Qualiter Christus Dominus in cœlo, nõ mouetur, in hostia vero mouetur, idem enim multo melius esse posset si ibi haberet præsentiam naturalẽ. Similiter posset in vno loco calefieri, & in alio loco frigefieri, adhuc in gradibus intensis: imò in vno & eodem loco id fieri potest per diuinam potentiam: & quid simile dicendum est de similibus actionibus contrariis, vt loqui in vno loco, & tacere in alio: comedere in vno loco, in alio vero minime: nam hæc omnia saltem prodiuersis locis non sunt opposita.

Difficultas. Solũ superest explicemus an tale corpus possit in vno loco mori, in alio viuere. Quibusdam enim hoc durum, & incredibile videtur. Primo, quia rem corrumpi, dicit totaliter non esse, quia est corruptio simpliciter: sicut generatio, est generatio simpliciter: ergo si alicubi manet, proprie non est corrupta.

Idem corpus in vno loco potest viuere; in alio vero mori. Secundo quia esse, & non esse, sunt contradictoria: ergo impossibile est eandem rem simul viuere, & corrumpi, & quidem hoc probabile est. Quod si dixerimus audientium aures offendi, tamẽ vt libere dicã, quod sentio in re vera possibile iudico, quod

quod talis homo, in vno loco sit mortuus, in alio vero viuus, ita quod simul sit, & non sit pro diuersis locis: tenet expresse Pater Suarez loco supra allegato, & maior in 4. dist. 10. quæst. 5. Alexander Alensis 4. part. quæst. 44. memb. 7. dum generaliter asserunt mutationes factas in illo corpore in vno loco ex natura rei, in alio fieri nō posse, & ratio est, quia corruptio prouenit ex vi alterationis præuiæ factæ ab agenti naturali, agentia autē naturalia, ex natura rei operantur intra determinatam spheram actiuitatis: ergo nō causaretur alteratio corruptiua, aut corruptio ipsa extra talem spheram actiuitatis in corpore ibi existenti.

Secundo, quod hoc nō sit ita difficile intellectu, vt pluribus apparet ex eo constat, quia tam contradictoria sunt, moueri, & non moueri, quàm esse & non esse: quia sicut mors dicit negationem vitæ, ita non moueri dicit negationem motus: sed cū hoc de facto Christus Dominus mouetur in hostia ad motū illius, & simul in cęlo nō mouetur: ergo similiter intelligi potest ꝙ illud corpus in vno loco sit in alio vero nō.

Tertio, quia de potentia absoluta posset fieri, ꝙ Christus in cęlo existens haberet aliquam diminutionem substantialem; ita quod aliquā partem substantiæ deperderet, absq; eo tamen, quod in Sacramento aliquid deperderet: ergo tunc eadem pars substantiæ, quæ in Sacramēto durat, in cęlo corrupta esset: ergo eodem modo intelligi potest de substantia totali, quod eadē in vno loco maneat, in alio vero corrupta sit.

Quarto, quia eadē indiuisibilis anima rationalis in capite informat caput, & in pede non informat caput: ergo similiter è cōtra intelligi posset eandem materiam in vno loco esse informatam anima rationali, in alio vero non esse informatā illa forma, sed forma cadaueris.

Quinto, quia fingamus panē consecratū à Christo Domino die Iouis in cęna facta cum discipulis permansisse consecratū, vsq; ad totū diē venturum, in quo Christus mortuus fuit: tunc agens naturale quod Christo mortē intulit in Cruce ex vi diuisionis continui factę per vulnera illata nō posset agere in Christū Sacramētaliter existētē in pane cōsecrato, cum ex cōmuni Theologorum

Nn opi-

opinione Christus Sacramētaliter existens in Eucharistia, nihil pati posśit per naturam ab agente naturali: ergo tunc contingeret, ꝙ mortuo Christo in Cruce, viuerit in Sacramento.

Deniq; fundamēta adducta pro priori sententia facile soluuntur. Ad primū respōdetur, ꝙ corruptio substantialis dicitur corruptio simpliciter, non quidē, quia corrumpat substātiā, vbicunq; illa sit, sed quia corrumpit substantiā, quæ est ens simpliciter, tamen fieri potest, quod corrumpat talem substantiam in hoc loco, non vero alibi. Ad secūdū respōdetur, vt supra dixi in simili, quod istę propositiones Petrus est. Petrus non est, possunt sumi duob' modis. Primo, ita vt, illa negatio, *non* sumatur quasi distributiue, ita quod distribuat pro omni loco, & tunc hæc propositio Petrus non est, est falsa: quia facit tunc sensum. Petrus nullibi est: & hoc est falsū, cū in alio loco sit. Alio modo possunt proferri determinādo locū, vt si dicamus. Petrus in hoc loco est. Petr' in alio loco non est, & istę non sunt cōtradictoriæ: quia nō sūt eiusdē de eodē: nāq; ꝗd modū ad cōtradictorias requiritur, ꝙ sint pro eodē tēpore, ita etiā requiritur, ꝙ sint pro eodē loco, aliàs darētur de facto duæ cōtradictoriæ simul verę cum Christus Dn̄s in cœlo nō moueatur, in hostia vero cōsecrata moueatur ad motū illius: ergo dicēdū est contradictorias, etiā debere esse pro eodē loco. Cuius ratio est à priori: nam si vnum corpus esset in duobus locis, haberet se quasi essent duo corpora, & ita non sunt eiusdem de eodē: & hæc de hac disputatione.

DISPVTATIO SECVNDA, DE VACVO.

Egimus hactenus de loco absolute sumpto: nunc vero de loco, vacuo agendū restat de qua re disputat Arist hoc lib. tex. 5. vsq; ad 86. quę res nō multo dificilē disputationē cōtinet.

QVÆSTIO. I.

Vtrùm detur, vel dari possit vacuum.

Diffinitur vacuū hoc modo ab Arist. text. 57. *Vacuū est locus nō repletus* *Definitio vacui.*

pletus aptus tñ repleri, & ita nomé vacuũ nomé cõcretũ est, q duo significat alterum de materiali, alterũ de formali; nã de materiali significat locum, de formali vero significat priuationem, quæ est nõ repletio: sicut hoc nomen *cecus*, & si pro materiali significat aliquod reale, nempe subiectum, pro formali vero significat priuationem visus.

Quid notãdum. Secundo notandum est, quod vacuum dupliciter accipi potest. Primo pro spatio vacuo, qua ratione, si daretur aliquis locus vacuus, spatium contentum intra latera continentis vacuum appellatur, & hoc vacuum adhuc pro materiali nihil reale dici potest, cum tale spaciũ, nihil reale sit, & ita à quibusdam appellatur vacuum negatiuum, quia nullum reale subiectum conotat: qualiter priuatio conotat subiectum reale, in quo sit.

Secundo, sumitur vacuũ propriè pro superficie continente vacua, & hoc modo vsurpatur ab Aristotele, cũ definitur, quod sit locus nõ repletus, &c. & ita appellari solet vacuum priuatiue: quia dicit subiectũ aliquòd reale priuatiuum.

His suppositis plures ex antiquis Philosophis, vt refert Aristotel. hoc lib. in ea fuerunt sententia, vt assererent per naturam possibile esse vacuum: & videtur his rationibus probari. Primo, quia extra vltimam spheram nihil est: ergo tale spatium de facto vacuum est.

Secũdo quia corpora naturalia mouentur ab vno loco in alium. Vel ergo mouẽtur ad locum vacuum, & sic habetur intentum: vel mouentur ad locum plenum, & hoc non: quia si ille locus erat aliàs plen⁹ aliquo corpore: ergo iam post aduentum mobilis darentur duo corpora penetrata in eodẽ loco, q per naturã impossibile est.

Etsi respondeas, quod ingrediente vno corpore in tali loco, egreditur aliud. Contra est: nã sequitur in quodlibet motu locali cuiuscunque rei, moueri totum mundum: nam vnum corpus deberet expellere aliud suo loco: & rursus hoc de nouo expulsum, si non mouetur ad locum vacuum, deberet expellere aliud corpus, quo alter locus est plenus, & sic in finitũ. Tertio, quia si sumamus folles, quorũ orifitiũ copuletur, cum orifitio vasis, optime vndique conclusi, ita vt per latera aer ingredi non possit: tunc si latera

follium eleuētur egredietur aer à vase, & alias null' aer ingredi potest, cū orificiū vasis vndique oclusum sit, cū orificio follium: ergo tūc tale vas vacuum erit.

Assert. 1. Tamen dico primo in hac re. De facto in rerum natura nullum datur vacuū. Tenet communis Philosophorum consensus cum Arist. hoc loco, & 1. lib. Metaph. c. 1. vbi dicit: *Oportere mundum hunc cōtiguum esse lationibus superioribus, idest cum corporibus cœlestibus, vt inde eius virtus regatur, & gubernetur*. Ergo oportet q̃ omnia corpora inter se contigua sint ad recipiendā cęlestē influentiā. Et hinc sumitur ratio. Quia si daretur vacuum aliquod, non posset cōmunicari influentia cęlestis corporibus inferiorib': nam nulla virtus naturaliter potest transire ad extremū, nisi qer transeat per mediū: ergo cū in vacuo nullum sit subiectū, in quo recipi possit influentia cęli, vt deinde in alia corpora deriuetur, fit quod non posit communicari influentia cęli omnibus corporibus: cū tamen experiamur omnia corpora inferiora, maxime dependere ab influētia cęli: signū ergo est in vninerso nullum spatium dari vacuum.

Secundo; quia cum natura nihil agat frustra, id omne q̃ frustra est nō fit per naturā: sed dari spatiū aliquod vacuū omnino frustra necessarium est, neq; ad finem aliquē naturalem cōducere potest: ergo non datur per naturā vacuū. Dico secūdo saltē de potētia absoluta Dei nō repugnat dari vacuū, in quo etiam omnes cōueniunt: quia hoc nullā inuoluit implicationē cū posit Deus res, quas naturaliter contingunt conseruat medijs secūdis causis, se solo, absq; cōtiguitate conseruare, & ita intercedente vacuo inter vnā & alteram, posset vacuū in eo casu nō esse frustra, sed ad ostēdēdā omnipotētiam, sicut alia mirabilia propter eundē finem sæpe fiunt à Deo. Assert. 2.

Dico tertio, per naturā nō est possibile vacuum, ita q̃ natura illud maximè abhorret. Rem hanc probant, quā plures, & mirabiles experiētiæ: nā experimur aliquādo, vasa rūpi, quia cū corpora intra illa cōtēta aliquādo cōtingat cōdēsari, & ita minorē ocupare locūrumpuntur, vt locum aperiant aeri ad replendum illud vacuum. Assert. 3.

Secūdo, experimur in clipsiada vulgo regadera nō flue re aquam intra illā contētā

pen

per foram ina inferiora, si foramen superius, digito cooperiatur: quia cum per nullã partem aer ingredi possit ad replendum vacuum relinquendum ab aqua ideo intra talia foramina cótinetur nec fluit, nec refluit, ne detur vacuum.

Tertio, experimur minimo instrumento magna corpora illi cótigua eleuari ne detur vacuum, vt videre est in ludo, quem pueri appellant, la çapatilla, ex eo enim quod cum illud corpus saliua adiungatur lapidi, magnus lapis eleuatur, ne detur vacuũ intra latera illius corporis adiũcti lapidi.

Quarto experimur, aquã moueri seorsum per fistulã extracto aere per orificium, ne detur vacuum: quæ omnia non parum indicant naturam maxime abhorrere vacuum.

Difficultas

Sed non leuis hinc insurgit difficultas, quæ in quã sit causa efficiens mouens corpora illa, quæ contra propriam inclinationem mouẽtur ad replendum vacuum: vt quando aqua per fistulam sursum mouetur.

Prima sententia, quam plures hoc tempore sequuntur est: illum motum fieri à causa vniuersali. Quæ sententia adhuc duobus modis exponi potest. Primo, ita quod nomine causæ vniuersalis intelligatur Deus: ita quod talis motus fiat à solo Deo.

Secundo, ita quod nomine causæ vniuersalis intelligatur cęlum, & vtroque modo hęc sententia falsa est. Et in primis probatur plane, quod ille motus effectiue non fiat à solo Deo: nam in primis experimur, quod quando aliquis extracto aere per fistulam eleuat aquam, reuera aqua ponderat, ita vt in tali eleuatione difficultatem sentiat, quã in sola extractatione aeris minime sentiret: ergo signum est extrahentẽm talem aerem, & ita eleuantẽ aquam illam concurrere ad illam actionem: nam si ad illam non concurreret, neq; difficultatem sentiret in tali actione, neque in ea defatigaretur, quod est contra manifestam experientiam: ergo non tantum Deus est causa illius motus.

Secundo, quia quando aliquis portat clepsidam aqua plenam idem pondus sentit apertis foraminibus inferioribus, vbi aqua detinetur, ne detur vacuum, ac si talia foramina essent conclusa: sed cũ portaret clepsidam aqua plenã oclusis foraminibus infe-

inferioribus proculdubio talis aqua efficienter eleuatetur ab homine portante elepsidam: ergo idẽ est, quando illa portatur apertis foraminibus inferioribus: quia idẽ põdus vtrobiq; sentitur: ergo talis motus nõ fit à solo Deo. Tertio, quia reducere particulares effectus ad primã causam, præsertim quando alia particularis assignari potest, videtur quod sit ad sacra cõfugere. Quod vero cęlũ nõ sit causa illius effect⁹ probatur facile. Quia agens naturale melius, & facilius operatur in propinquũ, quã indistans; sed motus corporũ ad replẽdum vacuum, eadẽ facilitate, & celeritatẽ fit in spatio propinquo cęlo, & in nimis distanti: nã semper corpus naturale ascendit tãta celeritate quanta extrahitur corpus præexistens à tali loco: & hoc eodẽ modo fit in spatio propinquo cęlo & in spatio distãti: ergo signũ est talẽ effectũ nõ causari à cęlo, nã quæ à cęlo causantur, perfectius fiũt iuxta cęlũ, quã in spatio nimis distãti: qualiter intẽsior, & perfectior illuminatio fit à cęlo iuxta ipsum, quã in spatio distãti. Deniq; 2. lib. Physi. d. 5. q. 3. late ostẽdi, nullã actiõ nẽ horũ inferiorũ pendere ab actuali concursu cęli: ergo hæc operatio non potest fieri ab alio efficienter.

Quare secunda sententia asserit huiusmodi motus ad replendum vacuũ prouenire effectiue ab ipsis corporib⁹, quæ mouentur ad replendũ tale vacuũ. Quæ sentẽtia etiã falsa est, vt prima, & secũda, ratio facta cõtra primã sentẽtiã aperte ostendit: quia eleuans aquã perfistulã difficultatẽ sentit, & pondus, quod nõ cõtingeret, si aqua se moueret actiue. Idẽ etiã patet, quando eleuatur lapis ab altero, ne detur vacuũ, in casu supra posito, vbi sentitur maior, vel minor difficultas iuxta pondus lapidis: ergo tunc lapis non se mouet. *2. Sentent.*

Dicendũ ergo est, quodlibet corpus habere virtutẽ, vt trahat post se corpus, quod facilius moueri possit ad replendũ vacuũ ratione contiguitatis requisitæ ad naturalẽ suã cõseruationẽ, ita quod si corpus se ipsum efficiẽter mouet, causat per cõsequẽs effectiue tractionem illã: si autẽ mouetur effectiuè ab alio, tale agens causat effectiue tractionẽ illius corporis ad replendũ vacuum, ad modum, quo intelligimus magnetẽ habere ocultã quandã virtutem attractiuam ferri, *Quod dicendum est.*

& ita

& ita experimur, cum qui extrahit aerem à fistula, dum aquam attrahit ad replendũ vacuum sentire pondus, & difficultatem in tali actione, quod plane demonstrat talem motum effectiue causari ab extrahentia aerem, quã virtutem oportuit insitam esse omnibus corporibus, vt debitam contiguitatem obseruent: sic docuit Toletus hoc lib. quæst. 1.

Dubium. Dubitari etiam solet hoc loco, an ille motus, quo mouetur aqua sursum ad replédum vacuum, sit naturalis. In qua re plurium sententia est, talem motum absolute loquendo esse naturalẽ: quia dicunt, cũ talia corpora, quę mouentur sursum sint partes vniuersi, naturale est illis inclinari in bonum sui totius, nempe vniuersi, euitando vacuum. Quemadmodum manus exponit se periculo ob defensionem capitis, a quo pendet conseruatio totius hominis.

Tamen hac in re distinguendum videtur: nam si aqua consideretur præcise in quantum mouetur ad vitandum vacuum, quod natura tantummodo abhorret, vt sic, motus aquæ sursum naturalis dici potest, in quantum est ad euitandum vacuum. Cum hoc tamen. Dico secundo motum istum non esse simpliciter naturalem; nam considerata particulari, & propria inclinatione ipsius aquæ, potius est motus violentus, & contra naturã. Ratio est, quia ad motũ simpliciter naturalem mobile non resistit, sed potius inclinat in talem motum: qualiter terra nullomodo resistit ad motum deorsum, sed causa efficiẽs illius motus, quo aqua mouetur sursum ad replendũ vacuum sentit difficultatem in tali eleuatione aquæ per fistulã: quod aperte indicat aquam ponderare, & resistere ad illum motum, non minus, quod quando aliud pondus eleuatur a terra: ergo talis motus nõest simpliciter loquendo naturalis, nec violentus.

R. ad rat. dub. in principio q. Ad rationes dubitandi in principio quæstionis adductas respondetur ad primam extra cęlum dari vacuum negatiue; quia datur spatium imaginarium infinitum non repletum corpore aliquo; tamen non datur in rerum natura vacuum quod appellant vacuum positiue, idest, locus realis, qui sit vacuus, de quo est sermo in præsenti quæstione.

Ad secundum verum esse corpora naturalia nó moueri ad locú vacuum, sed plenum, & ita ne detur penetratio dimensionum corpus antea replens illum locum, debet exire, vt aliud de nouo ingrediatur, inde tamen nó sequitur fieri mutationé in toto vniuerso, ita vt necessarium sit corpora se inuicem propellere, sed potius corpus quod egreditur ab illo loco, occupat locum derelictum à corpore propinquo in loco alterius. Qualiter, quando pisces mouentur in aqua, in loco derelicto à pisce succedunt partes aquæ, quæ erant proximç illi loco, & tandem in loco derelicto ab illis partibus succedunt partes expulsæ à loco, qué de nouo occupat piscis per suum motum.

Ad tertiú respondetur, quod in cassu, quod nullo modo possit per orificium vasis ingredi aer ad replendum vacuum, non possunt follesseleuari, vt extrahatur aer in vase contétus, ne detur vacuú quod si magna vis imprimatur ad eleuandos folles, proculdubio rumperetur, sicut multa alia mirabilia experimur, ne detur vacuum in natura.

(?.)

QVAESTIO II.

An si detur vacuum per illud corpus moueri possit, & quomodo moueretur.

Quæstio hæc duobus modis intelligi potest. Primo si fingamus totú vniuersum corrumpi, ita vt solus lapis relinquatur an tunc lapis posset moueri per tale vacuú negatiuum.

Secundo, potest quæstio intelligi de vacuo positiuè, scilicet, an corpus possit moueri per locú realem vacuú.

Circa primum certum est de potentia absoluta Dei nó repugnare, quòd lapis moueatur in tali vacuo negatiuo, sicut modo potest moueri lapis extra cęlum, vbi tátum est vacuum negatiuè.

Dico tamen secúdo, quod ex natura rei nó possit lapis moueri per tale vacuú. Ratio est, quia cú motus naturalis necessario debeat esse finitus; grauitas solú inclinat ad centrú in tanta distantia à cęlo, qui est locus deorsum: sed in illo cassu, neq; esset sursum, neque deorsum, neq; esset ratio aliqua, quare ille lapis potius in hoc spatio quá in illo quiesceret: ergo secun-

secundum suam naturam nó moueretur.

Et si obiicias; nam si fingamus, Deum corrumpere modo totam terram, si graue tunc descenderet à loco sursum, non esset aliquis certus locus ad quem moueretur: ergo tunc nó moueretur per naturam.

Respondetur negando antecedens: quia tunc daretur certus locus imaginarius, ad quem possemus intelligere, grauia moueri propter distátiam, quam tale spatium haberet à corporib⁹ leuibus: at vero in priori casu, nó est respectu cuius sumatur sursum, vel deorsum: sed quodlibet spatiũ esset sursum, respectu alterius inferioris, & quodlibet deorsum respectu alterius superioris, & ita non daretur certum spatiũ, ad quod corpora naturalia mouerẽtur

Maior difficul. Maiorem habet difficultá tem secunda pars quæstionis scilicet, an corpus moueri *Quid certũ* posśit, per locũ vacuum. Et certum est de potentia absoluta Dei, optime posse corpus aliquod moueri per tale vacuum, sicut potest moueri in vacuo negatiuo, quod est extra cœlum: ergo multo melius posśit moueri per locum vacuum.

Dubium. Solum est dubium, an naturaliter, posset moueri per locum vacuum. Partem negatiuã, vt amplectitur D. Tho. *Pars nega.* 1.2.quæst.109.artic.1.& par. 1.quæst.115.art.3. Pereir. lib. 2. Physic.cap.12. Valles controuer.26.& certe Arist. hoc *1. Ratio.* lib. à text.71. vsque ad 75. & 8. Physic. text.52. & 12. Meta. textu 38. vbi docet motus horum inferiorũ, non posse fieri sublato motu cœlorum per quod indicare videtur, medio motu cœlo cõmunicari, his inferioribus influentiam aliquã, requisitã ad suos motus: sed corpori existenti in vacuo, talis influentia cõmunicari non posset, cũ ibi nó sit corp⁹ mediũ per quod cõmunicet: ergo per naturã nó posset tale corpus moueri

Secundo, quia corpora naturalia, ideo mouentur secundum naturã, ad sua loca naturalia, quia talis locus est conseruatiuus locati: sed vacuum nullas habet qualitates cõseruatiuas, cum in tra vacuũ nullũ corpus sit, in quo huiusmodi qualitates subiectẽtur: ergo per vacuum nullus motus naturalis fieret.

Tertio, quia motus horũ inferiorũ maxime pẽdent ab influxu cęli, & ita cessante motu cęli cessarẽt generationes, & corruptiones: vt docet Aristot. 2. li. de cęlo c.3. ergo sig

num est cœlum influere medio motu, in actiones horum inferiorũ; hæc autem influentia per vacuum cõmunicari non potest: ergo nõ esset ibi aliquis motus naturalis.

Procedimus distinctione Veruntamẽ hac in re distinctione opus est: nã corpus aliquod duobus modis, potest cõstitui in vacuo: primo si ponatur contiguũ ipsi loco vacuo, aut alicui parti illius. Secũdo, si ponatur nõ quidẽ cõtiguũ alicui parti loci vacui, sed in medio ipsi' loci vacui: *Assert. 1.* vnde dico primo, corpus cõtiguũ, positũ in aliqua parte loci vacui naturaliter, nõ posse moueri per illud. Ratio est, quia si moueretur, ita vt relinqueret priorẽ locũ, iã produceretur de nouo vacuũ vbi nõ erat: nã per separationem illorũ corporũ, quæ erant antea contingua, causaretur vacuũ in illa parte loci, cui antea erat contiguũ corpus, ꝙ fingimus moueri: sed corpora naturalia fugiũt vacuũ: ergo tunc illud corpus nõ moueretur, ne nouũ vacuũ consurgeret in illa parte: ꝙ si fingam', corpus vacuũ cui aliud corpus cõtiguũ imaginamur fluidũ esse, qualis est aer, tũc moueretur quidẽ naturaliter per vacuũ: tñ post se traheret aerẽ, ne inter ipsũ, & tale corpus aliud vacuũ daretur, tamẽ si tale corpus nõ sit fluidũ sed durũ, & maximi põderis, facilius detineret alterũ corpus, ita vt nõ moueret: quia tantam mollem post se nõ traheret, & ita non moueretur, ne daretur vacuum.

Dico tñ secũdo, si corpus illud nõ ponatur cõtinguũ tali loco, sed in medio vacui põt naturaliter moueret per illud deorsum quidẽ si esset graue, sursum vero si esset leue. *Corpus naturaliter moueri per vacuum.* Ratio est, quia corpora grauia natura sua petũt tẽdere ad cẽtrũ mũdi, leuia vero iuxta cęlũ, & aliàs nõ requiritur concursus cœli ad illũ motũ, vt ostensum est 2. lib. Physic. ergo natura sua mouerẽtur per tale vacuum, grauia quidem deorsum, & leuia sursum.

Resp. arg. Quare ad argumẽta cõtrarię sentẽtię respõdetur. Et quidẽ D. Tho. nũquã tenuit cõtrariã sentẽtiã, quin potius hoc lib. super tex. 74. soluit loca Arist. adducta pro contraria sentẽtia, ex hoc lib. tex. 71. & deinceps dicẽs, Aristot. non demõstrare absolute, ꝙ corpus nõ possit moueri per vacuũ, sed arguit cõtra Philosophos antiquos, ponẽtes totã causam, & successionẽ mot' localis esse resistentiã medij, per ꝙ mobile moueret, quia suppositione facta probat, corpus nõ posse moueri per vacuum,

cuũ, quia inquit, cũ in vacuo nulla sit resistẽtia medij, quia caret medio mot⁹ fieret in instãti: repugnat autẽ ab agẽte naturali, corpus moueri in instãti: tñ non probat absolute ꝙ motus nõ posset fieri per vacuũ, sic D. Tho. loco allegato. Quãdo autẽ Aristot. 8. Physi. & 2. de cęlo. c. 3. dixit motus horũ inferiorũ maxime depẽdere à motu cęli, nõ est, quia cęlũ actu influat in motus horũ inferiorũ, quãdo fiunt, sed quia imprimendo qualitates aliquas in corporibus inferioribus, est causa diuersarũ operationũ, quæ inde secũtur, quasi dispositiuè, nõ tamẽ, quia necessarius sit concursus cęli, ad quamlibet actionẽ horum inferiorum.

Ad ration. Ad primã rationẽ responde tur, corpora naturalia moueri ad sua loca naturalia, nõ solũ propter qualitates cõseruatiuas, quas habet; nã etiã si tota terra corrũperetur, ita ꝙ spatiũ, quod modo occupat terra esset vacuũ, adhuc lapis moueretur ad cẽtrũ mũdi ratione distantiæ, quã petit in cœlo, scilicet, quia petit plus distare à cœlo, quam aer, & alia elemẽta, & ita adhuc moueretur ad tale vacuum, vt illam distantiam optineret.

Ad secundã iam dixi, nõ requiri necessario aliquã influentiã cęli, vel virtutem aliquã deriuatã à cęlo ad motus inferiores, neq; etiã actualẽ concursum cęli, cum corpora grauia, & leuia habeant in se principiũ sufficiẽs ad suũ motũ, quo possint moueri.

Circa secũdũ, ꝙ inquit quæstio, scilicet, quomodo corp⁹ moueretur per vacuũ. Prima sẽtẽtia affirmat, ꝙ tale corpus moueretur in instãti, quã plures Arist. interpretes hoc loco secũtur, Alexand. Themistius, Simplic. Auerr. Albertus tract. 2. c. 7. Pereir. lib. 2. Physic. c 11. & 12. Cui sentẽtiæ nõ parum videtur fauere Arist. hoc lib tex. 71. & deinceps, vbi ex eo probat vacuũ nõ esse possibile per naturã, quia per illũ moueretur corpus in instanti, ꝙ est per naturaam impossibile. Et ratio ne probant suam sententiam: quia tota ratio, quare motus localis fiat successiuè, atque adeò in tẽpore, est propter resistentiã, quã mobile inuenit in medio: nã cũ debeat scindere partes medij, vt per illud moueatur, iã inuenit aliquã resistentiã, & ita successiuè mouetur: sed in vacuo, nulla est resistentia, quia ibi nullum est corpus, quod scindi oporteat, vt per transeat mobile: ergo talis motus fieret, absque aliqua resistentia

2. Dubitat. *1. Sentent.*

stentia, atq; adeo in instanti.

Secundo, quia si talis motus necessario deberet fieri in tempore, sequitur, quod eadē virtus motiua moueret idē mobile per plenū æquali velocitate, atq; per vacuū, quod videtur impossibile, cum in pleno sit aliqua resistentia, quę nō est in vacuo. Probatur sequella: quia ponamus casū quod virtus motiua moueat aliquod mobile per plenū in vna hora, & eadē virtus moueat idē mobile per vacuum in dimidia hora: tūc sic detur aliud corpus, medium duplo subtilius illo; tūc si illud mobile moueatur per illud plenum in vna hora, moueretur per hoc plenum duplo subtilius, in duplo minori tēpore, scilicet in dimidia hora: sed in eodē tempore mouebatur illud mobile per vacuū: ergo idem immobile mouetur æquali tempore per vacuum, & per plenum.

Corpus in vacuo non mouetur in instanti.

Vera tamē sentētia nobis tenēda est, quod corpus in vacuo nō moueretur in instanti, sed in tēpore, licet multū breui tenet S. Thō. hoc lib. tex. 74. Scotus in 4. dist. 2. q. 10. Ferr. & Tolet. hoc lib. loquimur autē de motu facto ab agēte naturali creato: nam Deus per suā infinitā virtutē potest mouere corp' aliquod in instanti, de loco ad locū, non quidem per motū localem, proprie dictū, hic enim cum successiuus esse debeat non potest esse in instāti, sed per quandā mutationē indiuisibilem. Probatur ergo cōclusio: quia si tale mobile in instāti, posset moueri per vacuum, ab agente naturali: ergo in instanti trāsiret omnes presentias locales, atq; adeò simul cōstitui posset corpus in pluribus locis ab agēte naturali, quod est impossibile.

Secunda ratio à priori huius est: quia quāuis in vacuo deficiat resistētia extrinseca medij, quæ causat motū localē successiuè fieri, eo quod mobile debet scindere partes medij, tamen præter hāc est alia resistentia intrinseca in ipso mobili: nā cū habeat partes inter se distantes, non possūt simul plura loca occupare: ergo tale mobile nō moueret in instāti, sed in tēpore

Resp. ad autorit. argu.

Ad fundamenta cōtrariæ sententiæ, respōdetur ad Aristot. iam vidimus ex D. Tho. supra tex. 74. huius lib. Aris. nō probare absolute loquēdo, quod tale corpus moueretur in instāti, sed ex suppositione sentētię antiquorū, asserētiū successionē mot' tantū causari à resistentia extrinseca medij, per quod mobile moue-

mouetur, contra quos optime probat, quod tale mobile moueretur in instanti, quia in vacuo, nulla est resistentia extrinseca medij: ergo nō moueretur successiue; sed in instanti.

Ad 1. arg. Ad primam rationem iam vidimus præter resistētiam extrinsecam medij esse aliā intrinsecam immobili ratione partium distantium sufficientem, ad causandam successionem motus.

Ad 2. arg. Ad secundum respondetur, quod quanuis daretur medium duplo subtilius alio, non moueretur mobile duplo maiori velocitate, sed aliqua maiori velocitate: nā velocitas motus non crescit ad proportionem subtilitatis medij. Sicut non valet actus creati sumunt perfectionem ex obiectis: ergo actus habens infinitum obiectum, qualis est Deus habet infinitam perfectionem, consequentia est nulla: quia perfectio in actu non crescit determinate ad proportionem obiecti.

QVAESTIO III.

Vtrum rarefactio, & condensatio, possint fieri sine vacuo, & quomodo fiant.

Quid sit rarefactio. *Quid condēsatio.* Supponendū est hac in re, rarefactionem esse actionem quandam, quam corpus aliquod absque acquisitione nouæ substantiæ, magis extenditur in ordine ad locum: condensationem vero esse actionem, qua absque deperditione alicuius substantiæ, magis comprimitur in ordine ad locum, de quarum actionum natura, plura infra dicam.

Circa 1. opinio. Quo supposito circa primum, quod inquirit quæst. fuit sententia Democriti, & plurium antiquorum Philosophorum, quos refert Arist. in hoc libro textu 76. & deinceps asserentium in corporibus esse quosdam poros vacuos, seu quasdam vacuitates magis dilatatas, & ita corpus aliquod rarefieri, quando tales vacuitates magis dilatantur, tūc vero condensari, quando tales vacuitates cōprimuntur, & minorantur, atque adeò dicebant rarefactionem, & condensationē, non fieri sine vacuo.

Quod dicendum est. Dicendum tamen est, quod quamuis in corporibus dentur pori, non tamen sunt vacui, sed pleni aere, vel alio corpore subtili, & ita hoc modo rarefactionem, & condensationem

sationem, posse fieri sine vacuo. Et quidem præter argumenta, quibus supra probatum est, non dari vacuum in rerum natura, per consequẽs probatur condensationem, & rarefactionem, quæ in rerum natura dantur fieri sine vacuo. Specialiter probari potest: quia vas plenum aqua, & bene conclusum condensata ipsa aqua, frangitur nedetur vacuum in spatio derelicto ab aqua, quæ antea cum erat rara maiorem locum occupabat: ergo signum est naturam adhuc in condensatione, & rarefactione abhorrere vacuum.

Et si dicas, nam quando aliquod corpus condensatur accupat minorẽ locum, quã antea: ergo iam relinquitur aliquis locus vacuus. Respondetur illud spatium repleri à partibus corporis circũstantibus. Et si inquiras de loco illarum partium. Respondetur rarefieri partes aliquas medij, & occupare etiã illum locum, quod totũ non est mirum per naturam fieri ad euitandum vacuum.

Circa 2. Difficilius est secundum quod inquirit quæstio, scilicet, quomodo fiãt rarefactiones, & condensationes.

1. Sentent. Prima sententia affirmat rarefactionem, & condensationem fieri per receptionem, & expulsionem corporis subtilioris, ita quod tunc corpus aliquod rarefiet, quãdo recipit intra suos poros, corpus subtilius, tunc vero condensatur, quando huiusmodi pori, ita comprimuntur, quod expellant corpus subtillius contentum impororis: tenet Valles 4. Physicor. text. 84. & controuers. 77.

2. Sentent. Secunda sententia asserit, tam per cõdensationem, quã per rarefactionem corrumpi totaliter, quantitatem præexistentem, & alteram de nouo generari. Per rarefactionem quidem maiorem, quam antea fuerit: per condensationem vero minorem. Tenet Gotfredus apud Scotum in 4. dist. 12. quæst. 4. sicut etiam asserit in intensione, & remissione qualitatis corrũpi totaliter qualitatem præexistentem, & aliam nouam generari.

3. Sentent. Tertia sententia asserit in rarefactione saltem produci aliquam quantitatem nouã, & in condensatione deperdi aliquam partem quantitatis. Tenet Scot. loco citato Marsilius hoc lib. quæst. 25. Toletus quæst. 11. Cuius sententiæ funpamentũ est: quia si in cõdensatione nõ deperditur aliqua pars quantitatis: ergo vnæ

Vnæ partes constringũtur ad locũ aliarum: ergo iam darẽtur duæ partes quãtitatis penetratæ in eodem prorsus loco, quod est impossibile per naturam.

Secundo, quia ratio, & essentia quantitatis est extensio: sed idquod rarefit est magis extensum, quàm antea: ergo habet maiorem quantitatem quam antea.

Quid adu. Tamen pro intelligẽtia huius quæstionis aduertendum est, rarefactionẽ duplicẽ esse aliam impropriam, & est quã do corpus magis extenditur propter receptionẽ alicuius corporis, qualiter spongia in aqua immersa magis dilatatus, ex eo quod intra cauitates suas, magna pars aquę recipitur, quæ magis est repletio quam rarefactio: alia vero est propria, & est quando absque receptione alicuius corporis, magis dilatatur subiectũ, & extenditur: qualiter aque calida, absque eo quod intra se recipiat aliquod corpus rarefit, & aqua frigida cõdensatur, absq; eo quod corpus aliquod eiiciat extra se.

Quomodo fit rarefactio & condensatio. Hæc supposito, dico primo rarefactionem propriam fieri, absque introductione alicuius corporis, & condensationem, absque eiectione illius. Probatur plane, quia contingit, si aqua congeletur in vasse aliquo bene occluso, vas ipsum frangi ne detur vacuum: ergo signum est etiam per talẽ condensationem aquæ, nullũ corpus expelli: quia iã illud corpus posset replere illud vacuum relictũ ab aqua congelata, & ita non esset cur vas corrũperetur ad euitandum vacuum.

Secundo, quia contingit partem aliquam aeris inferioris rarefieri: sed tunc nullum corpus subtilius aere, potest recipi intra illum; nã si aliquod maxime ignis, quod ridiculum est dicere descendere à sua sphæra, vsque ad inferiorem regionẽ aeris, vt intra illum recipiatur: imò ignis, nullo modo posset rarefieri; quia nullum est corpus subtili' illo, quod intra ipsũ recipi possit: ergo ad rarefactionẽ propriesumptã impertinẽs est illa repletio facta corpore subtilliore.

Assert. 2. Dico secũdo contra Godfredũ. In rarefactione nõ corrumpitur tota quãtitas illius corporis, & alia de nouo producitur. Ratio est quia sicut in rarefactione quãtitas magis extẽditur in ordine ad locũ, ita etiã substãtia quę simul cũ illa coextẽditur, & magis dilatatur: ergo si propter hãc rationẽ corrũpitur tota quãtitas,

titas, & alia de nouo maior acquiritur, etiam corrũperetur substantia, & ita non maneret idẽ corpus rarũ, quod antea erat densum. Idẽ argumentũ fieri potest, de condẽsatione. Deniq; hæc sententia, prepter quam quod singularis est nullo fundamento, nec probabili nititur.

Dico tertio rarefactionẽ, & condensationẽ, etiam nõ fieri, ex eo, ꝙ, aliqua pars quantitatis acquiratur, vel corrũpatur, vt tertia sentẽtia asserebat. Et probatur primo: quia si fingamus omnes partes alicuius corporis simul, & æque condẽsari: tunc nõ est maior ratio, quare corrũpatur vna pars, quã alia, cũ omnes sint eiusdẽ rationis, & pari passu paulatim condensentur, vt suppono: ergo tũc, vel debẽt corrũpi omnes partes quãtitatis, & sic totũ subiectũ periret, vel nulla debet corrũpi atq; adeò in cõdẽsatione nulla pars quãtitatis corrũpitur.

Secundo, quia si in condensatione corrumpitur aliqua pars quãtitatis: ergo vel pars substantiæ, quæ correspõdebat illi, etiam corrumpitur, & sic iam interueniet aliqua corruptio substantialis in cõdensatione, quod est contra omnes: vel talis pars manet, & tunc vel manet sine quantitate, & hoc non; quia non potest dari substantia aliqua naturaliter sine quãtitate. Si vero manet cũ illa: ergo vel fit aliqua pars quantitatis de nouo, quæ recipiatur in illa, & hoc non: quia iam in condensatione produceretur aliqua quantitas de nouo, quod etiam negant (& meritò) autores oppositi; vel alia pars quæ est in alia parte subantiæ transit ad informandam istã partem substantiæ, & sic accidens illud migraret de subiecto in subiectum: ergo condensatio non fit per deperditionem alicuius partialis quantitatis.

Tertio probatur, quod in rarefactione non producatur noua quantitas: quia, vel cum illa noua parte quantitatis producta aduenit noua pars substantiæ, & hoc non; quia omnes fatentur absque additione alicuius nouæ substantiæ, posse corpus aliquod rarefieri, & reuera incredibile est, quod ex eo quod, aer rarefiat habeat nouã aliquam substantiã, quã antea non haberet; si autem cũ noua parte quantitatis producta, non producitur noua pars substantiæ: ergo vel talis pars quantitatis est sine subiecto, ꝙ p[e]r naturã est impossibile, vel subiectatur in eadẽ parte sub-

substātiæ in qua subiectatur aliqua pars quātitatis ex prę-existentibus: tunc sequitur duas partes quātitatis penetrari in eodē subiecto, népe in eadem parte substantiæ, quod etiam est impossibile per naturā, ergo per rarefactionem non producitur maior quantitas, nec per condēsationem deperditur.

Etsi obijcias, nam nullum est inconueniens quod plures partes quantitatis sint in eadem parte substantię, qualiter plures partes graduales caloris sunt in eadem parte ignis. Respondetur negādo paritatē rationis: quia partes qualitatis graduales non sunt partes quantitatiuę, sed partes intēsionis, quæ ex natura rei non sunt impenetrabiles: nam sicut duæ qualitates possunt (vt ita dicā) penetrari in eadē parte subiecti, qualiter albedo, & dulcedo, quasi penetrātur in qualibet parte lactis, ita duæ partes graduales eiusdē qualitatis possunt penetrari in eadē parte subiecti, atvero partes quātitatis sunt quātitatiuæ, quæ ex natura rei sunt impenetrabiles, nō minus quā duę quātitates totales ex natura rei sunt impenetrabiles.

Assertio 4 Dico quarto in hac quęstione rarefactio nō terminatur ad præsentiā localē, ita quod corpus aliquod rarefieri sit acquirere maiorē præsentiā localē, quā antea habebat, cōdensari vero acquire præsentiā localem minorem. Ratio est, quia si rarefactio, & condensatio terminarentur ad præsentiā localem essent motus locales, quod ex se patet esse falsum. Verū est ad rarefactionem & cōdensationem consequi motū localem, quo res illa, quæ rare fit, vel condensatur dilatatur magis in præsentia locali, aut in eadē cōprimitur, eo modo quo in se magis dilatatur, vel cōprimitur. Patet etiā ex dictis rarefactionē, & condensationē esse actiones maxime diuersas ab augmētatione, & diminutione: nā per augmētationem subiectū habet nouam quantitatem, in diminutione vero minorem, sed per rarefactionē, & cōdensationē nulla quātitas acquiritur, neq; deperditur: ergo rarefactio & condensatio maxime differt ab augmentatione, & diminutione, de quo latius dicā. 1. lib. de generatione. c. 5.

Ex his dico quinto rarefactionē esse actionem quandā terminatā ad raritatem, condensationem vero esse actionem terminatā ad densitatē, vt ipsa nomina indicant. Assert. 5.

Quid sit raritas, quid dẽsitas, quid rarefactio, quid cõdensatio.

Sed statim nõ parua oritur difficultas, quid sit raritas, & densitas. Communis enim sententia asserit raritatẽ, & densitatem esse qualitates quasdam quibus corpus aliquod magis dilatatur, vel cõprimitur, quod sane probabile est. Et iuxta hanc sententiam dicendũ est, rarefactionem, & condensationem esse alterationes quasdam, alteratio enim ad qualitatem terminatur.

Veruntamen, quod raritas, & densitas non sint qualitates (vt alij opinantur) mihi videtur verissimum & in primis videtur sententia aperta Aristot. cap. de qualitate, vt eodem capite ad notaui, qui inquirens: vtrum rarum & densum, asperum & lene sint qualitates, respondet negatiuè (sed potius inquit) dicunt positionẽ partium: vbi nomine positionis non debet intelligi præsẽtia localis, quia corpus eodem modo rarum, vel densum, si cõtinuò moueatur, mutat præsentias locales, semper tamen optinet eandem numero raritatem, vel densitatem, sed debet intelligi nomine positionis, talis, vel talis extensio in ordine ad locum, ita quod rarum sit quod magis habet partes extensas in ordine ad locum: densum vero quod habet illas nimis in loco conglutinatas. Et quod hoc ita sit dicendum probatur: quia per solam maiorem extensionem quantitatis in ordine ad locum sufficienter intelligimus corpus aliquod esse rarũ, & per minorem extensionem partium in ordine ad locum sufficienter intelligimus illud densum, ergo frustra raritas, & densitas ponuntur qualitates super additæ, tali vel tali extensioni quantitatis in ordine ad locum, & hinc fit, quod cum raritas & densitas nõ sint qualitates, rarefactio & condensatio, quæ terminãtur ad illas nõ sunt alterationes: quia alteratio terminatur ad qualitatem, sed potius sunt actiones quędã terminatæ ad talẽ vel talẽ extẽsionẽ quãtitatis in ordine ad locũ: quæ distinguitur realiter ab extensione eiusdẽ in ordine ad se, vt dixi disput. 1. huius lib. q. 4. & ideo nõ mirũ est, quod fiat actione realiter noua, scilicet rarefactione & cõdensatione.

Etsi obijcias, nam Christus Dominus in Sacramento Eucharistiæ non habet extensionem in ordine ad locum, & tamẽ eius partes habent raritatem & desitatem, nam ossa

ossa sunt densa, caro vero rara est, ergo raritas & densitas maxime distinguūtur ab extensione quantitatis in ordine ad locum. Respondetur partes Christi Domini prout est in Sacramento Eucharistiæ non esse actu raras, neque densas formaliter, sed tantum radicaliter, in quantum habent radicem, vt si suæ naturæ relinquatur os sit densum, caro vero rara: tamen actu & formaliter non habent raritatem, neque densitatem: quia non habēt extensionem in ordine ad locum.

Tandem respondetur ad argumenta, asserentium in rarefactione, & condensatione produci, aut deperdi aliquam partem quantitatis.

Ad primum respondetur, quod etiam si in condensatione nulla pars quantitatis deperdatur nō sequitur duas partes penetrari in eodem loco. Ratio est, quia quādo partes cōstriguuntur ad locum aliarum, aliȩ non permanent in eodem loco, quia etiam per condeusationem comprimuntur, & ita quando aliquod condensatur, omnes illius partes mutant locum, & constriguntur, & ita nunquam dantur duæ partes penetrateæ in eodē loco, quia nulla manet in loco, in quo erat antea, vbi non assero in aliquo toto nō posse condēsari vnam, quia omnes partes totius illius cōdensentur, cū certum sit in aere aliquando cōdensari vnam partem, non vero alias.

Dico tamē, quod in illa parte, quæ condensatur, omnes partes illius mutant locum, nā cum omnes partes illius constringantur, nulla manet in loco, in quo erat antea.

Ad secundum respondetur essentiam quantitatis non esse habere extensionem in ordine ad locum, vt sepe dictū est, sed in ordine ad se, & ita permanente eadem extensione partiū in ordine ad se potest augeri, & minui extensio in ordine ad locum præsertim cum sint extensiones ex natura rei diuersæ, vt hoc lib. disp. 1. q. 4. diximus.

Et si dicas, quod extensio partium in ordine ad locum oritur ex extensione in ordine ad se, ergo non crescente extensione in ordine ad se, non potest crescere extensio in ordine ad locum. Respondetur negādo consequentiā, quia eadē quantitas inuariata in se habet sufficiētē virtutem, vt magis vel minus extēdatur localiter, sicuti absq; additione substātiæ,

substantia magis extenditur in ordine ad locum in opinione fere omnium, & ita similiter idem intelligi poterit de quantitate, & hæc de vacuo.

DISPVTATIO TERTIA

DE TEMPORE ET DVRATIONE rerum naturalium.

CELEBRE Est in hac materia dictum illud Augustini lib. 11. confessionum cap. 14. *Nihil scilicet esse notius quàm tempus esse, nihil quam seguum difficilius, quã quod sit.* De qua re Aristot. disputat hoc lib. vltima eius parte.

QVAESTIO I.

Quid sit tempus.

HAC In re non desunt, qui existiment tempus formaliter nõ esse ens reale, sed quid pendens ab intellectu. Sic sentit Auerroes hoc lib. cõmento 88. & 107. Iãdunus, quęst. 27. Iauelus quæst. 24. idem etiam videtur sentire Ferr. 1. contra gentes cap. 15. & videtur probari posse ex Arist. *1. Sent.*

Rationes. hoc lib. textu. 131. vbi dicit, quod si esse impossibilis intellectus numerans tempus, esset impossibile tempus ipsum, ergo tempus habet pendentem essentiam ab intellectu, atque adeò non est vere ens reale.

Secundo, quia totum habet esse à suis partibus: sed partes temporis sunt præsens, præteritum, & futurum ex quibus præteritum, & futurum actu nihil sunt, præsens autem tantum datur vnicum instans, quod non est tempus, sed indiuisibile temporis, ergo tempus non est ens reale.

Nihilominus dico primo, *Tempus est ens reale.* tẽpus vere & propriè est ens reale in sua essentia independens ab intellectu. Tenet communis sententia phylosophorũ S. Tho. opus 44. c. 1. Albert. hoc lib. c. 10. & Tolet. q. 15. & in 1. est aperta sententia

tentia Arist. capite de quantitate, vbi tempus ponit esse speciem quantitatis: sed in prędicamentis tantum ponuntur naturæ reales: ergo tempus ens reale est.

Secundo, quia tempus est mensura motus secundum prius & posterius, sed secluso omni opere intellectus, motus habet partes priores & posteriores in re ipsa, cum sit successiuus: ergo datur tẽpus mẽsurans partes priores & posteriores motus, atq; adeò erit ens reale.

Etsi respondeas cũ auctoribus cõtrarię sentẽtię, tẽpus quidem esse ens reale, tamen habere complementum ab intellectu, quod est esse e u merabile ab intellectu, & distribui in horas, menses, &c. Quia, vel hoc complementum, quod habet ab intellectu est illi essentiale, & sic, iam tempus erit simpliciter ens rationis: quia vnaquæq; res simpliciter habet esse ab vltimo complemento suo essentiali: si autem tale complementum accidentale est, vt quod distribuatur ab intellectu in horas, menses, & annos, hoc nõ tollit, quo minus, tẽpus in suo esse sit ens reale, sicut vlna in se, quid reale est: quamuis distributio illa partium vlnæ, nempe, quod tanta pars appelletur quarta alia vero dicatur tertia sit quid rationis, & hoc modo est intelligẽdus Arist. supra citatus, cum asserit tẽpus pendere ab intellectu, scilicet quantum ad hãc distributionem per dies, menses, & annos.

Dico secundo tempus definiri optime ab Arist. hoc lib. textu 101. scilicet, *Tempus est numerus motus secundum prius & posterius*: explicat autem Arist. se non loqui de numero discreto: qui dicitur numerus numerabilis: nam partes temporis continuæ sunt cum copulentur instãtibus, sed loqui de numero numerato, quod ego credo intelligendum esse de numero numerato ab intellectu numerante partes temporis: nam secundum hanc explicationem quadrant optime verba Arist. citata textu 131. quod si non esset possibilis intellectus numerans, non esset possibile tempus, cum hoc tamen dicendum est, quod si comparemus tempus ad ipsum motum, sit mensura actiua, & ita sit quasi numerus numerãs, quia partes motus mensurantur tempore, & respectu illius dicuntur priores & posteriores in duratione. Assert. 2.

Dico tertio, tēpus formaliter pertinere ad prædicamentum quantitatis, vt docuit Arist. eodem capite, & ibi à nobis disputatum est: nam tempus habet propriam extensionem durationis in diuersas partes, & habet propria indiuisibilia continuatiua: nam eius partes copulantur instantibus, non secus, quàm partes lineæ copulantur punctis, ergo est quantitas continua.

Respond. ad arg. ad primum. Denique ad argumēnta cōtrariæ sententiæ respōdetur ad primū, iam vidimus qualiter sit intelligendus Arist.

Ad secūdū respōdetur successiua, & permanētia nō habere eūdem modū existendi à parte rei: nā permanētia habēt omnes suas partes simul: qualiter in quolibet instanti existunt omnes partes hominis: successiua vero sicut habēt essentiā successiuā, ita ꝙ modo sit vna pars, & postea alia ita ad existētiā realē successiuā tēporis nō requirit, quod omnes eius partes simul existant, sed quod vna sit modo, & alia sit futura, & ita appellatur ens reale: quia eius partes habent existentiam realem non simul, sed successiue, qua autem ratione detur tempus præsens, dicam quæstione sequenti.

QVAESTIO II.

Qua ratione tempus sit præsens à parte rei.

QVANVIS Inter auctores, qui admittunt temp' esse ens reale, certum sit tēpus habere existētiam, & præsentiam à parte rei, in modo quo tempus detur præsens, valde inter se dissident: quidam enim asserunt in tempore præter instans, quod in opinione omnium dicitur præsens subsequi quandam breuissimā partem temporis omnino præsentem, ita vt omnes eius partes habeat simul: quod tamē proculdubio falsū est. *1. opinio.* Quia quælibet pars temporis quātunuis minima participat essentiam tēporis: nam quantitas continua hebet partes homogeneas, & eiusdem rationis: qualiter quælibet pars lineæ est linea, & quælibet pars corporis est corpus: sed tempus essentialiter est successiuum: ergo quælibet pars tēporis est essentialiter successiua, atque adeò necessarium est habere vnam partem post aliam: ergo impos-

sibile

sibile est dare partem aliquam temporis, quantumuis breuem, in qua omnes eius partes simul existant.

2. opin. Quare secundo alij dicunt successiua, quale est tempus, non habere existentiam ratione sui, sed ratione alicuius indiuisibilis, quod detur præsens, & ita asserunt in tempore nullam dari partem præsentem ratione sui, sed ratione instantis, ita quod quia datur aliquod instans illius præsens, dicatur talis pars presens: tenet Sotus hic quæst. 4. Toletus quæst. 11. & quod hoc ita sit dicendum probatur, quia totũ habet esse à suis partibus: ergo tunc aliquod totum est præsens, quãdo eius partes sunt etiam præsentes, & coexistentes: sed partes temporis non coexistunt inter se, quia quando vna aduenit, alia iam præterijt: ergo illud totum integratum ex illis partibus nunquam est præsens.

Secundo, quia si tempus est præsens ratione sui quãuis vna pars adueniat post aliam; ergo totum tempus, quod fuit ab initio mundi, vsq; modo, etiã dicetur præsens. Probo consequentiam, quia sicut hora, aut quælibet alia pars temporis præsentis, nunquam est tota simul, sed habet vnam partem post aliã; ita sumẽdo totam collectionẽ temporis, quæ fuit abinitio mũdi, vsque modo, quædam partes illius trãsierunt, quæ præteritæ sunt, aliæ vero fluũt modo, ergo talis collectio tẽporis, quæ fuit abinitio mundi dicetur præsens, quod est falsum, aliàs Adamus esset præsens, quia est in tali tempore præsenti: dicẽdum ergo est, tantum dari tẽporis præsens instans, quod est copulatiuum partiũ temporis.

Quod tenendum est. Dicendũ tamẽ est, in tẽpore non solũ dari præsens instans, sed etiã partes ipsius tẽporis esse ratione sui præsentes. Ita docet aperte S. Tho. opus 44. de tẽpore, c. 1. Simplic. hoc lib. 131. & probatur primo, quia in quantitate nõ sunt duo indiuisibilia immediata, vt ex communi omniũ sententia ostendam. 6. lib. physicor. ergo post hoc nũc præsens quod est indiuisibile temporis, immediate sequitur pars temporis à parte rei, ergo talis pars habet existentiam, & præsentiam à parte rei, sed non ratione instantis præteriti, quia illud iam non est, ergo ratione sui habet existentiam, & præsentiam à parte rei.

Et si respondeas, nullam dari temporis partem in qua non sint aliqua instantia copulatiua partium illius: nam cum talis pars sit continua debet habere indiuisiuilia continuatiua, & ita pars tẽporis semper est præsens ratione instantis. Hoc reuera nihil valet: nam quãuis, quęlibet pars intra se contineat sua continuatiua, nũnquam tamen talia cótinuatiua sunt immediata, & ita post, hoc nunc, non sequitur immediate aliud nunc, sed pars temporis habens partes copulatas instantibus: ergo tale tempus, quod sequitur a parte rei, reuera habet à parte rei presentiam, & non ratione instantis.

Secundo probatur conclusio, quia quando est instans, non est tempus: nam cum tempus includat successionem partium, non potest esse in instanti: ergo tempus non est præsens ratione instantis.

Et si respondeas, quod quãuis tempus non sit præsens in instanti, tamen est præsens ratione instantis: quia cum instans sit aliquid temporis, est dræsens tẽpus per aliquid sui. Contra est: nam instans quod est modo, est medium inter partes temporis præteritam, & futuram, quia est continuatiuũ vtriusque partis, & ita est aliquid vtriusq; ergo si tempus hoc modo est præsens, pars futura erit modo præsens, quia modo est aliquid illius, nempe est instans continuatiuũ illius cum parte præterita: ergo reuera tempus habet præsentiam diuisibilem ratione sui.

Tertio probatur conclusio, quia illud, quod est præteritum, aliquãdo fuit præsens: sed non solum datur instans præteritum, sed tempus pręteritum: ergo præter pręsentiam, quam habet instans datur etiam tempus præsens.

Est tamen aduertendum, hanc præsentiam temporis non esse permanentem, ita vt eius partes inter se coexistãt, quin potius vna est post aliam, sed potius est pręsentia successiua, ita ut post vnã partem præsentem subsequatur alia, & in qualibet præsenti, adhuc, est pręsentia successiua, ita vt talis pars prius habeat vnã partẽ pręsentẽ, quã aliã. Cuius ratio est, quia res omnes qualem habent modum essendi, talem habent modum extendi à parte rei, & ita permanentia, quæ habent totum suum esse simul, in quolibet instanti habent

omnes

omnes suas partes. Successiua vero habent existentiam sibi accomodatam, scilicet successiuam, & ita non debet inquiri, ita propria præsentia in successiuis, sicut in permanentibus.

Et per hæc patet solutio ad primum argumentum, nã vt successiuum dicatur præsens non est necesse, quod omnes eius partes simul existant: quia est præsens successiuè, & ita successiuè omnes eius partes sunt præsentes. Ad primum respondetur, etiam dies, & annos, & sæcula dici præsentia, non quidẽ in hoc tempore particulari, quod modo fluit, sed sunt præsentia successiuè, ita qđ eius partes successiuè habẽt existẽtiam in suo toto. V.g. in hora vltimus quartus non est præsens, quando est primus, tamen omnes quarti horæ sunt præsentes in suo toto, nempe in hora, & idem est de die, & anno, & quouis alio tempore assignabili, nõ tamen licet inferre quod tota illa duratio sit præsens modo, quia argumentamur à mensura, quasi communi ad particularem, sicut non valet. Petrus est præsens in Hispania, ergo est præsens Compluti, ita non valet, Dies præterita est præsens in hoc mense, ergo est præsens modo.

QVAESTIO III.

Vtrum tempus distinguatur realiter á motu.

CONVENIVNT omnes, tempus saltem formaliter distingui à motu, hoc enim probat ad minus ratio Arist. hoc lib. text. 96. nam motus velox est ille, qui in paruo tempore est magnus motus, tardus vero qui in multo est paruus motus, ergo diminuto tempore potest crescere motus, atque adeò motus, & tempus saltem debent distingui ratione.

Solum ergo est dubium de distinctione reali, seu ex natura rei Prima sententia negat tempus distingui ex natura rei à motu tenet Du- *2. Sent.* *1. Arg.* rand. in 2. distin. 2. quæst. 2. & Tole. hoc libr. quæst. 23. Caiet. 1. part. quæst. 10. artic. 5. & 6. & probari potest, quia si tempus distinguitur realiter à motu, sequitur tempus produci per actionem realiter diuersam à motu, & cum ex illa actione successiua

productiua temporis oriatur aliud tempus realiter diuersum ab illa, debet fieri per aliam actionem successiuam realiter diuersam ab illo, & sic dabitur processus in infinitum.

2. Ratio. Secundo, quia si tempus distinguitur realiter à motu, posset dari tẽpus à parte rei sine motu, quod est intelligibile: patet cõsequẽtia, quia quando duo absoluta distinguuntur realiter, potest dari vnum sine alio.

Tempus distinguitur realiter a motu. Contraria tamen sententia nobis tenenda est, quàm verissimam reputo, scilicet tẽpus realiter distingui à motu. Et imprimis quanuis D. Tho. citari soleat pro contraria sententia, præterquam quod ego nihil tale inveni, tamen aperte tenet nostram sententiam. 1. part. q. 10. art. 2. in corpore, vbi dicit, *Aeternitatem quæ est Dei mensura non distingui ab ipso Deo, secus tamen esse de durationibus & mensuris rerum creatarum*, vbi aperte loquitur de distinctione reali, vt patet ex contextu. Tum præterea, quia si tantum loqueretur de distinctione rationis, falsum diceret æternitatem non distingui à Deo, cũ tamen ex omnium sententia attributa Dei saltẽ ratione distinguãtur ab illius essentia. Eandem sententiam sequitur Pau. Venetus. hoc lib. tex. 96. Enriq. quodlibeto. 3. q. 11. Capreolus in 2. d. 2. q. 2. Ricard. in 2. q. 3. ar. 1. Bonau. eadẽ dist. q. 2. deniq; hãc sententiam tueri tenentur, qui asserunt accidentia ex natura rei distingui à suo subiecto, & ita omnia prædicamẽta accidẽtium realiter distingui à substantia, quos retulimus, & secuti sumus in logica disputantes de prædicamento in communi. Et hinc sumitur prima ratio ad probandam cõclusionem. Quia accidẽs debet realiter distingui à subiecto: sed motus est subiectum temporis, saltem subiectum quo: ergo distinguitur realiter à motu, antecedens late ostensum est loco allegato. Et breuiter nũc probatur: quia dependentia realis debet esse inter extrema realiter diuersa, non minus quàm relatio realis. Tũ, quia cum dependere sit ab alio pendere, dependentia realis debet esse ab alio diuersa. Tum, quia si idem posset dependere realiter à se ipso, idem posset esse causa sui ipsius, & tandẽ, quia subiectũ est causa materialis accidentiũ, quæ in illo recipiũtur, omnis autẽ causa realis realiter debet distingui à suo effe-

effectu, vt late ostendimus 2. physic. disput. 2. cum ergo motus sit subiectū tēporis, atq; adeò causa materialis illius necessariò debet distingui ex natura rei ab illo: imò ex hoc principio ostēdimus 3. physicorum omnem motū ex natura rei debere distingui à mobili, quod est suum subiectū propter realē depēdentiam, quam habet ab illo in genere causæ materialis.

Secūdo probatur, quia partes motus possunt realiter multiplicari nō multiplicatis partibus tēporis: ergo tēpus & motus distinguuntur realiter, patet consequentia: quia impossibile est eandem entitatem simul multiplicari, & non multiplicari à parte rei: antecedens vero probatur: quia si mobile aliquod motu tardo per transit tēpore vnius horæ spatiū vnius leucę aliud mobile, quod velocius moueatur per transibit eodē tēpore maius spatium, & ita erit maior motus, tempus tamen nō crescit, quia est vtrobiq; vnius horæ: ergo realiter augetur motus, nō aucto tēpore, ergo distinguuntur realiter. Et ècōtra contingere potest tēpus augeri diminuto motu, nā si mobile motu veloci per trāsibat tēpore vnius horæ aliquod spatiū, posteriꝰ motu tardo per trāsire dimidiū spatiū tēpore vnius horæ, aut duobus horis: ergo augetur tēpus diminuto realiter motū atq; adeo distinguntur realiter.

Etsi respōdeatur, eādē entitatē posse crescere, & minui simul à parte rei, tamē sub diuersis rationibus formalibꝰ. Contra est quia hęc distinctio rationū formaliū solum habet locū per intellectū: ergo à parte rei, & secluso omni intellectu, vt vnū augeatur, aliud vero diminuatur, necessario debēt distingui à parte rei: nā actiones physicę terminātur ad ētitates physicas, prout à parte rei existūt, & nō prout ab intellectu tali vel tali modo concipiuntur.

Tertio probatur cōclusio, quia tēpus est mēsura realis, motus, ergo debet distingui realiter à tēpore. Patet cōsequētia, quia inter mēsurā, & mensuratū est relatio realis, quę necessario requirit extrema realiter diuersa.

Sed dubitabis primo, an in quolibet motu sit suū tēpus intrinsece mēsurās talē motum. Fuit enim sententia aliquorum asserentium motus horum inferiorum nullam aliam habere mensuram, aut durationem, nisi duratione Primimobilis, & ita asserebāt *Dubium.*

omnes

omnes motus inferiores solum mensurari extrinsece tẽpore primi mobilis, cuius sententiæ nullum aliud fundamentum fuisse existimo, nisi quia Arist. sæpe dicit motus horum inferiorum mensurari tempore Primi mobilis, quod vnicum tãtum est, & ita hoc lib. tex. 93. arguit cõtra antiquos philosophos asserentes, tempus esse ipsam spheram cœlestem, aut eius motum, quos redarguit dicens, quod cum sint plures spheræ cęlestes, & plures motus illarum, iam essent plura tempora: sentit ergo Arist. tantum esse vnicum tempus, sic enim sicut sunt plures motus necessario debent esse plura tempora.

In quolibet motu est suum intrinsecũ tẽpus. Nihilominus communis sententia iam ab omnibus recepta est, in quolibet motu esse suum intrinsecum tempus, atque adeò præter mensuram communem omnium motuum, quod est tempus. Primi mobilis dari in quolibet motu suam intrinsecam mensuram particularem. Ratio est facilis, nã ideo mot'. Primi mobilis habet tempus intrinsecum, quo mensuretur, quia habet partes priores, & posteriores à quibus oritur tempus mẽsurans partes illas secundum prius, & posterius: sed similiter quilibet motus cum successiuus sit debet habere partes priores, & posteriores: ergo debet habere intrinsecum tempus mensurãs tales partes secundum prius, & posterius, Aristoteles, autem solum intendit mensuram certam, & perpetuam omnium motuum esse tempus Primi mobilis, quia vnicum tãtum est, cum quo non repugnat dari alias mensuras particulares, quin potius ipse Arist. text. 130. docet, ideo tempus vbique esse, scilicet, in cœlo, & in terra, quia vbique est motus, & tempus est coniunctum cum motu: ergo apertę sentit in quouis motu reperiri suum tempus.

Dub. Dubitabis secũdo, vtrum omnia tempora sint eiusdẽ rationis, quantumuis motus, in quibus sunt sint diuersæ speciei, vt motus localis, & motus augmentationis.

Ratio dub. Ratio dubitandi est, quia si motus diuersę rationis mẽsurantur tẽporibus eiusdem speciei, sequitur quod de facto dentur duo accidẽtia solo numero differentia in eodem subiecto. Et probatur sequella, quia contingere potest, quod idem corpus dum mouetur localiter simul calefiat, ita vt simul moueatur motu

motu locali, & motu augmẽtationis: ergo si tempora mẽsurantia illos motus sunt eiusdem speciei, iam duo tẽpora solo numero differẽtia erunt in eodem subiecto.

Dicendũ tamen est, quod quãtumuis motus sint diuersæ rationis, omnia tempora sunt eiusdem speciei, præter quam, quod communi omnium consensu receptum est videtur mihi expressa sententia Aristotelis hoc lib. textu. 131. vbi dicit, quod, sicut numerus septenarius est eiusdem speciei, siue sit septenarius hominum siue lapidum, ita tempus est idem formaliter, & specificè quantũuis motus sint diuersæ rationis. Et ratione probatur: quia ratio temporis in eo consistit, quod sit mensura actiua partium motus secũdũ prius, & posterius, hæc autem ratio mensuræ eadem est siue motus differant specie, siue non: quemadmodum essentia albedinis eadẽ est, siue sit in homine siue in equo: ergo omnia tempora sunt eiusdem speciei, & ita tempus est species infima, non vero subalterna.

R. ad rati. dub. Ad rationes dubitandi respondetur, quod in tempore possumus cõsiderare subiectũ *quo* & subiectũ *quod*: nam subiectũ *quod* tẽporis est substãtia, in qua est motus: subiectũ vero *quo*, ipse motus est quia est id medio quo tẽpus subiectatur in substantia, ad modũ quo quãtitas solet dici subiectũ *quo* reliquorũ accidẽtiũ: quãuis ergo in eadẽ substantia, quæ simul mouetur motibus diuersę rationis sint duo tẽpora solo numero differentia tãquã in subiecto ꝙ & remoto, nõ tñ dãtur duo accidẽtia solo numero differencia in eodẽ subiecto quo, nẽpe in eodẽ motu: quia ibi est duplex motus, nullũ autẽ est incõueniẽs in opinione omniũ, ꝙ in eodẽ subiecto, ꝙ dentur duo accidẽtia per naturã solo numero differẽtia, nã illi duo motus qui dantur simul in eadẽ substantia hẽt relationẽ diuersitatis inter se, relationes autẽ diuersitatis non distinguũtur in specie, quãuis sint in subiectis differẽtibus specie, vt notauimus capite de relatione, sicut Albedo in homine, & in equo nõ distinguuntur specie: ergo in opinione omniũ fatẽdum est in eodẽ subiecto: ꝙ posse reperiri accidentia solo numero differentia.

Tandẽ respõdetur ad argumẽta cõtẽdẽtiũ tẽpus ex natura rei nõ distingui à motu.

Ad

Ad primũ respõdetur q̃ tempus non fit per actionem aliquã super additam sibi, sed per actionẽ transcendentalẽ vt de relatione dixi, & de alijs modis, qui pendent efficienter à subiecto, quod modificant. Ratio est, quia tempus est entitas modalis modificans motũ, non minus, quã sessio, aut relatio sunt entitates modales, iuxta doctrinã generalẽ de modis supra traditã. 1. lib. Physic. disputatione secunda: nã sicut implicat dari à parte rei sessionẽ, aut relationẽ sine subiecto, ita Intelligibile est dari durationem tẽporis absq; re durante per illud, & ita tẽpus ex sua essentia est entitas modalis afficiens motum, & cum pendeat efficienter, non quidẽ ab aliquo agẽte extrinseco producente tẽpus, sed à motu ipso, ideo fit quod tẽpus per suã intrinsecã essentiam habeat depẽdentiã à subiecto, etiam tanquã à causa efficienti, & ita nõ per actionẽ aliquam superadditã, quæ sit media inter motum, & tẽp⁹, sed per actionem transcendentalem, quæ est ipsa essentia temporis pẽdens à motu: imo in generali ostẽsum est loco citato oẽs modos, quæ effectiue determinate pendent à subiecto, quod modificant non fieri actione super addita illis, & ita idem est de tempore, & ita cum actio productiua tẽporis non distinguatur ab ipso tempore, nõ indiget alio tempore, quo mensuretur, sed est ipsum tempus.

Ad secundum, quod quãuis tempus distinguatur realiter à motu, implicat tamen dari tempus sine motu, quia cum sit modus illius, habet tam essentialem cõnexionẽ cum illo, vt sine illo dari nõ possit sicut figura nõ potest dari sine quantitatẽ, quanuis distinguatur ab illa, sicut modus rei à re.

QVAESTIO. IIII.

Quid sit duratio rei permanentis, & quomodo distinguatur ab illa, & tẽpore.

SVpra disputatione prima huius lib. q. 4. ostendimus præsentiã rei in loco esse quoddã accidens absolutũ ex natura rei, diuersum ab ipsa re præsenti saltẽ, vt modum rei à re, modo vero ad eundẽ modũ inquirimus an præsentia, quã habent res permanẽtes in tali, vel tali tẽpore sit accidens aliquod

Suppo. aliquod ex natura rei diuersum ab ipsa re præsenti permanēti. Et in primis suppono differētiam sæpe repetitā inter res permanētes & successiuas: nā res permanentes sunt illæ, quę habēt suas partes oēs simul, qualiter in quolibet instāti existunt omnes partes lapidis: successiuè vero nō habēt simul oēs partes suas, sed successiue vnā post aliam.

1. Sent. Dubiū ergo est, quid sit hæc præsentia rei in tēpore. In quo proportionali modo tot possunt esse sententiæ, quot de præsentia locali adduximus: nā prima sententia est præsentiā rei in tēpore, nihil esse nisi extrinsecā denominationē, qua res aliqua denominatur mensurata tēpore: nam in vniuersum relatio mensurati ad mensuram non est relatio realis, sed tantū extrinseca denominatio.

Alia opin. Secūdo alij cōfundunt, durationē rerū permanētiū cū existētia illarū, dicunt enim rerū durationē nihil esse, nisi earū existētiā prolōgari, & continuari, & ita durationē non differre ab ipsa existētia rei cōtinuata: sic sentit Pereira lib. 12. Physic. cap. 5.

Tertio deniq; alij asserūt præsentiam formaliter consistere in relatione ad aliud respectu cuius res dicitur esse præsens, quos loco citato impugnauimus disputantes de præsentia locali, eodē modo consequenter dicent præsentiam rei in tempore esse relationē quandā rei præsentis ad tempus respectu cuius dicuntur præsentes.

Assertio 1. Tamē dico primò in hac rē durationē rei permanētis esse aliquid reale positiuū in ipsa re permanēti: ratio est, quia sicut res aliqua est indifferens, vt sit à parte rei, in hoc, vel illo loco, ita etiā est indifferens vt producatur prius, aut posterius: ergo sicut, vt res aliqua determinate sit in loco hoc, aut in illo ponitur accidēs quoddā reale illi super aditū, quod appellatur præsentia localis, ita vt duret hoc, aut illo tēpore, determinate debet poni aliquod reale accidens illi superadditū, scilicet duratio.

Quid aduert. Est tñ aduertēdū, q vt in simili diximus de præsentia locali, hæc duratio duobus modis intelligi pōt, altera, quæ sit præsentia, seu coexistentia cū tēpore reali, altera vero cum tempore imaginario. Qualiter ante productionem mundi, quando nullum erat tempus reale potuit produci aliqua res præsens tali tēpore imaginario, sicut

ſicut in ſimili ſupra dicebā, præſentiā rei in loco imaginario realē eſſe,& reuera, ſicut intelligimus corpus aliquod exiſtens in loco imaginario mutare poſſe præſētias reales,ita in illo tēpore imaginario corpus mutaret durationes reales,nā modo duraret in hoc tempore imaginario,poſtea vero in alio.

Aſſert.2. Ex his dico ſecundo durationē rei permanētis eſſe aliquid ſuper additū illi,& extra illius eſſentiā. Ratio eſt: quia res ex ſua eſſentia indifferens eſt,vt duret hoc tēpore,vel illo, potuit enim Petrus modo durans mille annis,antea duraſſe:ergo duratio,qua determinate durat, hoc tēpore,aut illo,quid accidētale eſt illi:ſicut præſentia localis, quā determinate eſt corpus in hoc,vel illo ſpatio eſt accidens ſuper additū corpori.

Addo tamen, quod ſicut ſupra dicebam,adhuc de potentia abſoluta non poſſe dari à parte rei rem aliquā abſque aliqua præſentia locali, in hoc, aut in illo loco, ita non poteſt dari abſque aliqua duratione in hoc aut in illo tempore reali,vel imaginario.Ratio eſt: quia ſicut implicat rē dari à parte rei, & non eſſe alicubi,ita implicat rem eſſe à parte rei,& nō eſſe in aliquo tempore reali, vel imaginario: ergo implicat dari à parte rei aliquid abſq; aliqua duratione reali.

Dico tertio durationem rei permanentis ex natura rei diſtingui,non quidem vt remà re,ſedſicut modum rei à re.Docuit hanc concluſionem Enricus quodlibeto.9. q.7.Ricar.in.2.d.3.art.1.Bonauent.eadē diſtinct.q.2.& exiſtimo eſſe expraſſam mētē Diui Tho.10.parte,q.1.in corpore vbi aperte docet ſolū Deū eſſe ſuā durationē, in creatis tn̄ durationē diſtingui ab ipſa re,vbi non pōt eſſe ſermo de diſtinctione rationis ſic etiā duratio Dei ſcilicet æternitas diſtinguitur ratione ab illo:ergo reuera loquimur de diſtinctione reali. *Aſſert.3.*

Et probatur primo, quia vt oſteſum eſt duratio rei permanētis eſt quoddā accidēs illi ſuper additū:ſed accidētia realiter diſtinguuntur à ſuo ſubiecto,cū pēdeāt ab illo tāquam à cauſa materiali quā impoſsibile eſt eſſe idē realiter cum ſuo ſubiecto:ergo talis duratio ex natura rei diſtinguitur ab ipſa.

Secūdo,quia trāſacta duratione determinata in hoc tēpore ad venit alia determinata in alia tēpore, & tranſacta illa,

illa, aduenit alia; res tamẽ durans, eadem permanet: ergo corrũpuntur, & variantur durationes, non corrupta re durãte: ergo talis duratio ex natura rei distinguitur ab illa: patet consequentia, quia impossibile est, eandem entitatem, simul manere, & corrumpi.

Quod vero duratio distinguatur ab ipsa re, vt modus illius sicut diximus de præsentia locali probatur. Nã ideo sessio est modus sedentis, & non res, quia tota sua essentia, ita est actu modificare corpus, vt neque per Diuinã potentiam, possit dari absq; sedente: sed eodem modo, neque per Diuinam potentiam, potest dari duratio, absque re aliqua quæ duret: ergo duratio est entitas modalis, & non res.

Ex dictis sequitur, quod sicut præsentia localis essentialiter, est immobilis à tali determinato spatio, ita quod hæc numero præsentia localis, neq; per Diuinã potentiã possit poni in alio loco, ita duratio rei est essentialiter, immobilis à tali tẽpore reali, vel imaginario, cui correspõdeat, ita quod hæc numero duratio rei permanentis, nõ possit esse in alio tempore, sed hoc ipso, quod est duratio in alio tempore, iam est alia duratio.

Secundo infertur entitates permanentes, realiter diuersas, habere durationes realiter diuersas: nam cũ duratio sit modus rei præsentis necessario multiplicatis rebus, realiter etiam debent multiplicari tales durationes, & ita accidentia realiter diuersa inter se, & à substantia habent durationes realiter diuersas, quib' coexistũt eodẽ tempore extrinseco, & sicut supra dicebam, præsentiam localẽ, non indigere alia præsentia, qua sit in loco à parte rei, quia per suam essentiam habet essentialem, & determinatam connexionem, cum tali spatio, quod secus est de aliis rebus, cum sint indifferentes ad existendũ hic, vel alibi, ita quia duratio rei permanentis, habet essentialem connexionem, cum determinato tempore reali, vel imaginario, in quo facit rem durare, nõ indiget alia super addita duratione, per quam sit in tali tempore, quod secus est de aliis rebus, cum sint indifferentes ad existendum, in hoc temporẽ, vel in alio. *Assert. 4.*

Ex his dico quarto, durationem rei permanẽtis, maxime distingui ab existentia ipsius rei. Ratio est: quia existentia

est ipsi entitas actualis rei, quę eadē manens indifferens est, vt sit in hoc tempore, aut in alio; at vero duratio est forma, qua determinate habet durare tali, vel tali tempore, & est accidens ex natura rei, distinctum ab ipsa re durante: ergo duratio, & existentia rei non sunt idem.

Rat. dubit. Dubitabit tamen aliquis, an duratio rei, permanentis sit diuisibilis, vel indiuisibilis potius, & certum est hominis durationem habere extensionem, & diuisibilitatem ad extensionem subiecti, sicut reliqua accidentia, quæ recipiuntur in subiecto, quāto & extenso habent intrinsecam extensionem, ad extensionem subiecti, & diuersa duratio partialis est in vna parte, & in alia; per illas tamen partiales durationes, omnes partes rei permanentis, durant in eodem prorsus tempore; quia permanentia habent oēs suas partes simul.

Dubium. Solum ergo est dubium. Vtrum duratio componatur ex pluribus partibus successiuis: prima sententia affirmat huiusmodi durationem esse indiuisibilem, quo ad partes successiuas, ita quod per eandē indiuisibilem durationem, res sit præsens in singulis partibus temporis, Tenet Ricard. in 2. dist. 2. q. 3. Gaietan. 1. par. quæst. 1 art. 5. Fonsec. 5. Meta. cap. 13. q. 12. Pereir. 12. Physic. cap. 11. & 12. & probari potest primo, quia si duratio rei permanentis intrinsece componatur, ex partibus successiuis: ergo nulla erit differētia inter durationem rei permanentis, & tēpus, quia vtrunq; habet partes successiuas.

Secundo, quia sequeretur, huiusmodi durationem rerū permanentium esse verā quātitatem, saltem successiuam, ponibilem in prædicamento quantitatis.

Tertio tandem, quia si duratio continuò, habet partes successiuas de nouo, sequitur rem permanentem continuò mutari realiter, quia semper illi adueniret noua pars durationis, quæ cum aliquid nouum sit, per ipsam aliter se habebit, & ita semper mutabitur.

Veruntamen hac in re distinctione opus est, duobus enim modis intelligere possumus durationem aliquam esse diuisibilem, scilicet, vt *quo*, & vt *quod*, tunc duratio aliqua est diuisibilis, vt *quo*, quando est ratio, qua res durans sit in tempore diuisibiliter, ita quod tota res sit in toto tempore, & pars in par-

Parte, qua ratione tempus, quod est duratio motus, est diuisibile etiam vt *quo*, quia est ratio qua re motus habeat quandam diuisibilitatem tamen ita vt totus motus sit in toto tempore, & pars motus in parte temporis. Tunc vero duratio est diuisibilis, vt quod, quando intrinsecè componitur ex pluribus partibus: qualiter etiam ipsum tẽpus est diuisibile, vt quod.

Assert. I. Hoc supposito dico primo durationem rerum permanentium esse indiuisibilem, vt quo: ratio est, quia non cõstituit rem durantem præsentem, in tempore diuisibiliter, cum potius res permanens, sit tota in toto tempore, & tota in qualibet parte: ergo talis duratio est indiuisibilis, vt quo.

Assert. 2. Dico tamẽ secũdo durationẽ rei permanẽtis esse diuisibilẽ, vt quod in partes successiuas, & ita ex illis intrinsecè cõponi: tenet Bonauen. in 2. dist. 2. q. 3. Et ratio est primo quia quemadmodũ pręsentia localis proportionat. cũ partibus spatij, ita pręsentia in tẽpore, quæ est duratio, debet proportionari cũ partibus tẽporis, est enim similis ratio: sed pręsentia localis rei permanẽtis, ita se habet, quod diuersis partibus spatij correspõdent diuersę partes pręsentiæ localis, ita vt per præsentiã localẽ, quæ est in hac parte, adhuc per diuinã potentiã nõ possit transferri ad aliud spatiũ, propter essentialẽ immobilitatẽ, quam dicit à tali spatio: ergo similiter diuersis partibus tẽporis successiuis, debẽt correspõdere diuersæ partes præsentiæ in tẽpore, quarũ quælibet sit essentialiter immobilis à tẽpore, sibi correspõdente: ergo duratio rei permanẽtis intrinsece cõponitur, ex partibus successiuis, vt quod.

Secũdo, quia ex duab[9] rebus simul productis à parte rei, postea, vna prius corrũpatur, quã alia, illa quę remanet proculdubio magis durat, quã alia iã corrupta: ergo in duratione rerũ permanentiũ, est dare magis, & minus: ergo habet partes. Patet cõsequẽtia, quia in re omnino indiuisibili, nõ est dare mag's, & minus cũ hoc ex partib[9] proueniat.

Tertio ab exemplo, potest hæc res cõfirmari: nam quando Angelus habet præsentiã in spatio diuisibili, quamuis talis præsentia, ex parte subiecti sit indiuisibilis, quo ad extensionem, quia non subiectatur in subiecto extẽso, tamen in ordine ad spatiũ reuera est diuisibilis, & habet

habet partes carrespondétes partibus spatij: nam si Angelus desinat, occupare aliquam partem illius spatij, corrumpitur præsentia partialis, quæ erat ibi, aliàs si non corrumpitur, sed eadem indiuisibilis, quasi retrahitur ad alias partes, iam præsentia localis, non esset essentialiter immobilis à tali determinato spatio: ergo sicut intelligimus præsentiam realem, Angeli esse saltem per ordinem, ad spatium diuisibilem, & compositam ex partibus: eodem modo facile poterit intelligi, durationem rerum permanentium esse diuisibilem, in ordine ad partes temporis, quibus proportionatur.

Et hinc facile constat, qua ratione æuum, quod est duratio Angeli, non sit prorsus indiuisibile, vt communiter plures asserunt, rem minus considerate percipientes: nã reuera vnum æuum, est maius alio: nam si Deus anihilaret vnum Angelum, aliis permanentibus. Angeli permanẽtes maiorem durationem haberent, quàm Angelus anihilatus, quia magis durant: ergo etiam in duratione Angeli, quæ est æuum sunt partes quibus sit maior, aut minor, atque adeò est diuisibilis, per commensurationem ad tempus nostrum, cui facit coexistere Angelum. Est tamen tale æuum indiuisibile, ex parte subiecti, quia subiectatur in subiecto indiuisibili, vt dixi de præsentia locali Angeli, est enim illa aptissimum exemplum ad rem istã facile explicandam.

Et si obiicias, nam eadem ratione æternitas, quæ est duratio Dei, per conmensurationem ad nostrum tempus, cui coexistit, poterit dici diuisibilis, quod est falsum, quia cum æternitas sit ipse Deus, vt docent Theologi, debet esse quid simplicissimũ. Respondetur negãdo paritatem rationis, nam æternitas est, ipse Deus simplicissimus, & ita eadem omnino indiuisibilis coexistit infinitis tẽporibus: in rebus tamẽ creatis duratio realiter distinguitur ab ipsa re durãte, vt ostẽsum est.

Tandem ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur. Ad primam maximam esse differentiam inter tempus, & durationem rei permanentis; nam tempus est diuisibile non solum, vt quod, sed etiam vt quo, vt supradiximus; qui nõ constituit totũ motũ, simul præsentem à parte rei, sed diuisibiliter, *Resp. ad argum. contr. sentent.*

liter, modo, vnã partem, postea aliam, & ita tẽpus, quod est duratio intrinseca motus multum differt à duratione rerum permanentium.

Ad 2. Ad secundum respondetur negando consequẽtiam, quia de ratione quantitatis est, quod sit diuisibilis: nõ solum vt quod, sed etiã vt quo; idest, quod sit ratio quare subiectum habeat partes extra partes, aut in ordine ad locum, vt patet de quantitate permanenti, ratione cuius substãtia habet partes extra partes in loco circumscriptiuo, aut in ordine ad durationem, vt patet de tẽpore, ratione cuius motus habet vnã partẽ, durantẽ prius alia, & motus successiuus saltẽ est ratio, quare subiectum paulatim acquirat terminũ ad quẽ: at vero duratio rei permanẽtis, neq; est ratio quare subiectũ habeat partes extra partes, in ordine ad locũ, vt per se patet, quia hoc habet substantia ratione magnitudinis de prædicamẽto quantitatis. Neque etiam est ratio, quare subiectũ habeat partes extra partes, in ordine ad durationem, quia tota res permanẽs simul durat, & non pars post partem, atq; adeò talis duratio, vere non est quantitas.

Ad 3. Ad tertium, vt respondea-mus notandum est, durationem rei permanentis, determinate prouenire effectiuè, ab ipsa re permanenti, quia tale accidens nõ fit ab extrinseco agente, sed profluit ab ipsa natura rei existẽtis: sicut plura alia accidẽtia, profluũt ab ipsa substantia effectiuè: & cum sit entitas modalis, vt ostensum est, ideo per suam intrinsecam essentiam pendet à re durante, tamquam à causa efficienti, atque adeò non indiget actione superaddita prædicamẽtali qua fiat, sed fit actione transcendentali, vt supradixi de modis, qui efficiẽter causantur à subiecto, quod modificãt, & ita actio, qua continuò profluit à re duranti: noua pars durationis successiua, non est mutatio, quia mutatio debet esse actio prædicamentalis distincta à termino, quia debet esse via ad illum, cum hoc tamen verum est, rem durantẽ continuò aliter se habere per nouam partẽ durationis succedentem, & ita hoc modo semper mutatur per rem de nouo habitam, nõ tamen per mutationem, quæ sit actio prædicamentalis. *A quo proueniat duratio rei permanentis.*

Ex dictis patet, quod quẽadmodum præsentia localis, quæ constituit rem alicubi, constituit prædicamentum vbi; *Duratio siue præsentia rei in tẽpore cõstituit præ-*

dicamentū Quando. vbi; ita etiam præsentia rei in tempore, quę est duratio cō stituit prædicamentum. Quādo, quia constituit rem in ali quo quando, in quo prædica mēto, omissa duratione Dei, quæ est æternitas, quæ cum sit ipse Deus in nullo prædicamento ponitur, collocantur omnes durationes creatę, ita quod prædicamentū Quādo, diuidatur in durationem permanentem, & successiuā, duratio permanens est duratio rei permanentis, & appellatur in præsentia permanēs, non quidem, quia no habeat partes secundum successionem, vt probatū est, sed quia totam rem permanentem simul cōstituit, in qualibet parte temporis. Alia vero est duratio successiua, quale est tēpus, quod constituit motum diuisibiliter durantē in qualibet parte temporis, & non totum simul, modo iam explicato, quanuis enim tēpus, secundum quod habet extensionē in partes quantitatiuas, sit de prædicamento quantitatis, tamen secundum quod denominat motum durantē, & habētem partes priores, & posteriores in duratione, hoc modo, pertinet ad prædicamentū Quando; quia est duratio, quædam ipsius motus successiui: & rursus duratio permanens diuiditur in corpoream, & incorpoream: duratio incorporea est æuum, quod est duratio Angelorū: duratio vero corporea est duratio corporū permanentiū, & quāuis corpora sint diuersę speciei, non tamen habent durationes specie diuersas, ad modū, quo supradiximus, præsentias locales rerum diuersæ speciei, nō differre specie, quia accidentia non distinguūtur specie ex eo quod substātiæ in quibus sunt, specie differāt, vt sæpe dictū est.

QVAESTIO Vltima.

Vtrum, omnia tempore mensurentur.

CErtum est in hac quæstione motū intrinsece mensurari tēpore, quia tempus est numerus motus, &c. imo ostensum est supra, in quolibet motu, esse suam intrinsecam durationem, scilicet, tempus, quo mensuretur. *Quid certū*

Secundo certum est, quietem proprie loquendo, non mensurari tempore, quia cū quies sit carentia motus, nihil est, & ita non habet existentiam positiuā à parte rei, sed *2. Certum*

ſed negatiuam, atq; adeò nó debet menſurari menſura poſitiua, quale eſt tempus; ſolū per accidens dicitur menſurari tempore, in quātum coexiſtit, ſimul cum alio motu, qui tempore menſuratur, & ita meritò Ariſtotel. cum in diffinitione temporis dixiſſet, tempus eſſe numerū motus, non dixit eſſe numerum quietis, quia quies per ſe loquendo, non mēſuratur tempore.

Solum ergo eſt dubium de rebus permanētibus creatis, nam Deus non poteſt tempore mēſurari, quia eſt æternus, etiam à parte ante, repugnat autem tempus fuiſſe ab æterno, vt oſtendimus in diſputatione de infinito. De Angelis vero dicendum eſt intrinſece, non menſurari tempore, quia tempus eſt accidēs corporeum, de prædicamento quantitatis, cuius Angelus incapax eſt, & ita Angelus habet ſuam durationem intrinſecam ſpiritualem, ſcilicet, æuum.

Addo tamen Angelum extrinſece menſurari poſſe tempore, quia Angelus non fuit factus ab æterno, ſic enim nō potuiſſet menſurari tempore, ſed de nouo fuit creatus, & quamuis à parte poſt duraturus ſit in æternum, poteſt optime tempore extrinſeco menſurari, quia poteſt tēpus amplius, & amplius ſine fine durare, hoc enim tantum arguit eſſe infinitum in potentia, vt ſupradiximus.

De rebus autem permanētibus corporeis, ſiue ſint incorruptibiles, vt corpora cœleſtia, ſiue corruptibiles, vt corpora inferiora, dicendum eſt, menſurari tempore, mediate tamen, ſcilicet, medio motu, in quo ſubiectatur tēpus: habent tamen res iſtæ permanentes ſuam intrinſecam durationem, vt oſtenſum eſt: qua autem menſura actiones Angelorum, menſurentur eſt res Theologica, quæ diſputari ſolet in materia de Angelis, & ita hæc de tempore dixiſſe ſufficiat.

(?)

LIBER QVINTVS PHYSICORVM.

Postquam Aristoteles egit de his, quæ expectant ad motum in cōmuni, & de eius quidditate, de qua egit tertio Physicorū, de eius affectionibus, vt de tempore, & loco corporum mobilium, de quo in quarto libro egit, disputat iam in hoc libro de speciebus motus, tractans in particulari de terminis motuum, vbi etiā disputat de vnitate, & contrarietate motuum.

SVMMA TEXTVS.

HIC Liber, in duas partes distribui solet, in quarum altera Aristoteles disputat, de terminis motuum: in altera vero de vnitate, & contrarietate, inter motus, & quietes tractat. Ad primam partem accedentes, vt disputet de terminis motuum, supponit Arist. quod inter ea quæ mutantur, & mouentur: quædam mutantur per se vt homo, cum sanatur, nā sanari conuenit homini, in quantum talis est: quædam mutantur per accidens, vt cum musicus fit albus; quia non fit albus in quantum musicus, sed in quantum homo. Rursus, quædā mouentur per se, quædā mouentur secūdū se tota, vt ignis, quando mouetur sursum: quædam tātum dicuntur moueri ratione partis, vt cū sanatur oculus, dicitur homo

homo sanari: semper tamen inquit omnis mutatio est á quodã in in quiddã, idest á termino á quo ad quem circa subiectum permanens sub vtroque termino.

Quot modis fiat mutatio.

His suppositis docet mutationem quatuor modis intelligi posse, scilicet, aut ex subiecto in subiectum, aut ex subiecto in non subiectum, aut ex nõ subiecto in subiectũ, aut ex non subiecto in non subiectum. Ex quibus inquit vltima non est mutatio, quia in omni mutatione, termini, aut debent opponi contrarie, vt cum aliquid fit ex calido frigidũ aut debent opponi contradictori e, vt calidum, & non calidum & ita semper alterum extremũ debet esse positiuum: ergo á non subiecto in nõ subiectum, vbi vtrunque extremum est negatiuum, nulla datur mutatio: quare inquit tres sunt species mutationis in generali loquendo: alia ex subiecto in subiectum, idest, á contrario in contrarium: alia á nõ subiecto in subiectũ, scilicet á negatiuo impositiuum, vt quãdo aliquid procedit á non esse ad esse, & hæc mutatio est generatio: quæ rursus duplex est, alia est generatio simpliciter, & est quã do aliqua substantia generatur, quia substantia est ens simpliciter: alia est generatio secundum quid & est qua producitur de nouo aliquod accidens, vt album: quia accidens est ens secundum quid, & ita quando homo fit de nõ albo albus nõ dicitur simpliciter incipere, sed secũdũ quid alias vero est mutatio á subiecto in nõ subiectum, scilicet ab esse ad non esse, & hæc inquit est corruptio: quæ rursus est duplex: alia simpliciter, vt quando corrumpitur substantia, alia vero secundum quid, vt quando corrumpitur accidens.

Deinde disputat, ad quæ prædicamẽta sit per se motus propriè dictus, & inquit dari ad tria

prædicamenta, scilicet ad quantitatem; & talis motus est augmentatio, & ad qualitatem, qualis est motus alterationis, & ad vbi, qualis est motus localis, quo acquiritur præsẽtia localis, ad reliqua vero prædicamenta non est per se motus.

Ad quæ prædicamenta fit per se motus.

Tandem in vltima parte disputat de vnitate, & contrarietate motus, dicens illos motus habere vnitatem genericam, qui sub eodem genere continentur, qualiter omnes motus alterationis continentur sub alteratione: eos vero motus esse eiusdem speciei, qui sub eadẽ specie continentur, vt omnes de albationes, ille vero motus est vnus numero qui habet idem subiectum, eundem terminum, & fit in eodem tempore, & in eodem spatio.

Subdit motus diuersæ speciei, non posse continuari inter se, ita quod fiant vnum continuum, vt currere, & fabricare; possunt tamen inquit huiusmodi motus esse contigui, nam hoc differt inter contigua, & continua, quod continua sunt, quorum vltima sunt vnum, nam continuatio fit per quoddam indiuisibile terminatiuum vtriusq; partis: cõtigua vero sunt quorum vltima sunt simul, vt quando duo corpora se tãgunt eorum vltimæ superficies sunt simul, non tamen sunt vnum, sed duæ, ita vt motus continuus sic non debet interrumpi aliqua quiete temporanea. Deinde docet contrarietatem inter quietes dicens, quieti sursũ, opponi quietem deorsum. Similiter, quies in albedine, & quies in nigredine, aut in quibuscunque alijs cõtrarijs contrariantur. Hæc continet in summa litera huius libri, quæ latius à nobis examinanda sunt.

(?)

DIS-

DISPVTATIO PRIMA
DE TERMINIS QVI PER MOTVM PRODVCI POSSVNT.

IN hoc lib. duo disputat Aristot. alterū est de terminis, qui producuntur per motum, docens ad quæ prædicaméta sit per se motus, ad quę vero nō: alterum vero est de vnitate diuersitate, & contrarietate motus, & ità ęedem disputationes à nobis habendæ sunt.

QVÆSTIO I.

Quid sit esse per se motus ad aliquem terminum.

SVpra 3. lib. Physicor. disput. 1. dictum est motū esse quid cōmune ad mutationem, & motum proprie dictum, diximusque, hoc differre inter motum, & mutationé, quod ad mutationé satis est quod subiectum illius præfuerit aliqua reali duratione priuatum termino acquisito per actionem, siue talis actio sit succesiua, siue instantanea; tunc enim tale subiectum, per productionem termini aliter se habet, siue talis mutatio sit succesiua, siue instantanea: motus vero propriè dictus est non quæuis mutatio, sed illa quæ per se, & non per accidens est succesiua: loquimur ergo in præsenti de motu propriè dicto, non vero de mutatione; nunc inquirimus quid sit esse per se motum ad rem aliquam.

Solent adduci plures conditiones requisitæ, vt sit per se motus ad rem aliquam, quas examinemus oportet: prima enim conditio adduci solet, quod talis motus, & terminus productus per motum subiectetur in ente in actu, idest, in substantia completa integrata ex materia, & forma, hæc tamen conditio falsa est; quia vt ostensum est 1. libro Physicor. omnia accidentia corporea

corporea subiectatur in materia prima, non vero in toto composito substantiali, prout includit vtramq; partem, sed motus est accidens corporeum: ergo tam motus quàm terminus productus per illum debent subiectari in materia prima, non vero in toto composito.

Secundo, quia quod materia prima sit subiectū immediatum mutationis, non tollit, quo minus talis mutatio non possit esse per se loquendo successiua, eo quod tendat ad terminum, qui ex natura rei non possit produci in instanti, vt de augmentatione, & alijs mutationibus dicam infra: ergo sine fundaméto asseritur, motū, & terminum eius, debere subiectari in ente in actu.

Secunda conditio, quæ adduci solet est, quod talis motus sit inter terminos cōtrarios.

Verumtamē, quanuis hoc in quibusdam motibus reperiatur, vt in motu alterationis, quo aliquid fit ex frigido calidum, non tamen est per se requisitum ad omné motum, vt patet de motu augmentationis, cuius terminus à quo, scilicet minor quantitas non contrariatur cum termino ad quem, scilicet cum maiori quantitate.

Et ratio est aperta: quia in minori quantitate solū hæc inueniuntur, scilicet quantitas quę denominatur minor & relatio minoritatis, & carentia maioris quantitatis: nullo autem ex his modis cō trariatur minor quantitas cum maiori; nam in primis quantitas, quę denominatur minor, non cōtrariatur cum quantitate maiori, quia manet adueniente illa; & Physice vnitur cum illa; contraria autem necessario se expellunt.

Et si dicatur quod nō manet sub modo minoris. Contra est quia relatio minoritatis non potest opponi cōtrariæ, cum quantitate maiori, quia contraria debent esse extrema absoluta, vt calor & frigus: relatiua vero potius opponuntur relatiuè, quàm contrariè: tum etiam, quia sicut relatio non potest esse terminus ad quem motus, quia ad relationem non est per se motus, ita neque potest esse terminus à quo.

Restat ergo, quod minor quantitas sit terminus à quo in augmentatione, in quantum dicit priuationem maioris quantitatis, & ita terminus à quo formalis augmentationis est priuatiuus, quomodo

modo autem cum hoc optime stet, quod augmentatio sit motus successiuus proprie dictus dicam infra quæstion. 3. neq; Arist. hoc lib. docuit omnes motus debere esse à contrario in contrarium, vt legenti patebit, & ita hæc conditio non semper est necessaria.

Quid requiratur vt ad rem aliquã sit per se motus successiuus.

His ergo omissis dico primo, vt ad rem aliquã sit per se motus propriè dictus requiritur imprimis, quod subiectum motus præextiterit prius in aliqua reali duratione priuatum termino, acquirendo per motum. Ratio est; quia omnis motus, & mutatio est actus entis in potentia: ergo eius subiectum debet præfuisse in potentia ad talem terminum, atq; adeò priuatum illo; quod autẽ ad quancunque mutatiionẽ non satis sit præexistere prius natura, sed requiratur præextitisse in reali duratione temporis ostensum est 3. libro Physicor.

Dico secundo, vt ad rem aliquam sit per se motus proprie dictus, etiam requiritur quod terminus producẽdus per motum nõ pendeat per suam intrinsecam essentiam à sua causa efficienti; sed quod fiat actione prædicamentali superaddita: quod autem sit actio prædicamentalis superaddita, dictum est 2. Physicorum. Ratio huius conditionis est: quia motus debet esse quadam via media inter terminum à quo & terminum ad quem; quãdo autem actio est ipsa res facta pendens per suam essentiã à tali causa efficienti, non est via media inter iecta, inter vtrumque terminum: ergo motus debet esse actio prædicamentalis ex natura rei diuersa à termino producto.

Dico tertio, vt ad rem aliquam sit per se motus proprie dictus etiam requiritur quod res illa producta per motum sit diuisibilis in partes, non quascunque, sed quæ non possint simul produci. Probatur primũ: quia motus propriè dictus est motus successiuus: sed quæ producuntur per motum successiuum producuntur per partes paulatim: ergo terminus motus proprie dictus debet esse diuisibilis in partes, siue sint partes extensionis, quales sunt partes quantitatis, siue partes intensionis quales sunt partes qualitatis. Quod vero nõ sufficiat, quomodo cũq; habere partes, sed partes, quæ nõ possint simul acquiri, patet: nam aliàs illumi-

natio

tio facta in instanti esset motus proprie dictus, cum producat lumen diuisibile in partes graduales; quia tamẽ omnes gradus luminis possunt in instanti acquiri, illuminatio non est motus proprie dictus, & idem est si producatur calor in subiecto nullum frigus habente, tunc enim omnes gradus caloris possunt in instanti produci, cum in tali subiecto non sit qualitas contraria resistens: quando vero producitur calor ex termino à quo contrario, scilicet à frigore; tunc est motus proprie dictus; quia terminus ad quẽ ratione termini à quo contrarij non potest totus simul produci, & ita talis motus ex vi sua, & ratione suorum terminorum est motus successiuus, atque adeò proprie dictus, idẽ dicemus postea de motu locali, & de motu augmentationis: patet ergo tunc esse motũ proprie dictum, quando ex vi terminorum inter quos versatur per se, est successiuus, & ita ad rem illam, quæ tali motu fit est per se motus, quia terminat per se talẽ motum propriẽ dictũm de quo loquimur.

(.?.)

QVAESTIO. II.

Vtrùm ad substantiam sit per se motus.

Ratio dubitandi est; quia per generationem substantialem producitur substantia, quæ quidem est diuisibilis in partes substantiales, vt sæpe diximus: & rursus talis generatio, aliquando est mutatio successiua, vt quando generatur ignis ex ligno: ergo erit vere motus, atque adeò ad substantiam erit motus proprie dictus: nam quod in generatione terminus à quo sit priuatio, non obstat, vt non sit per se motus, cum ostensum sit in motu proprio dicto non requiri necessario, quod terminus, à quo sit positiuus. Rat. dub.

Secundo, quia generatio vere & proprie est actus entis in potentia, secundum quod in potentia: nam est actus materiæ primæ, quæ in potentia est ad formam generandam: ergo est motus proprie dictus.

Nihilominus receptissima omnium Philosophorum sententia est ad substantiam non dari per se motum pro-

Ad substantiam nõ datur per se motus proprie dictus.

proprie dictum. Sic enim docuit expresse Aristoteles, hoc libro textu 12. & deinceps. Pro cuius intelligentia aduertendum est, quod substantia, aut potest produci tota de nouo, & talis actió appellatur generatió substantialis, aut potest produci pars substantiæ, vt quãdo substantia iam genita nutritur, conuertendo alimentum in propriam substantiam, quæ actio appellatur nutritio: patet ergo vtramque istam actionem non esse motum propriedictum, & ita ad substantiam non esse per sé motum, quia motus proprie dictus est motus natura sua successiuus ex vi terminorum, inter quos versatur, & ita debet habere terminum ad quem diuisibilem in partes, quæ non possunt simul, & in instanti produci: sed substantia, licèt habeat proprias partes integrantes, illæ partes quantum est ex se, non petunt produci successiue: ergo ad substantiam non est per se motus.

Probatur minor, quia partes substantiæ ratione sui non petunt distantiam localem inter se, sed ratione quantitatis: cum qua extenduntur in ordine ad locum, & ita vt supra dicebam partes substantiæ ablata quantitate absque miraculo possunt in puncto penetrari: habere enim partes extra partes ad quantitatem pertinet: ergo tota illa substantia potest simul, & instanti acquiri: ergo per se non est sufficiens ad causandum motum successiuum: quod si aliquando substantia generatur successiue, vt ignis, est ratione dispositionum, quæ paulatim, & successiue introducuntur in materia, nam quia lignum habet frigiditatem calor disponens ad formam ignis successiue introducitur in partibus, & ita prius generatur ignis in vna parte materiæ, quam in alia: ergo nulla productio substantiæ, est successiua per se, sed per accidens ratione alterationis præuiæ, atque adeò, nulla substantiæ productio est motus proprie dictus.

Ad substantiam est per se mutatio.

Dico tamen secundo ad substantiam est per se mutatio. Ratio est facilis: quia ad rationem mutationis satis est quod præsupponatur subiectum prius existẽs, absq; tali termino producto

per

per actionem, tunc enim aliter se habet nunc quã prius, & ita mutatur: sed materia prima, quæ est subiectũ generationis præfuit tempore aliquo priuata forma, quam per generationem de nouo, acquirit: ergo talis generatio substantialis, vere & proprie est mutatio: & idem patet de nutritione; nam materia alimenti præfuit priuata forma viuentis, quando fuit sub forma alimẽti: ergo quãdo deinde habet formam viuentis, verè & proprie mutatur: ergo ad substantiam saltem est per se mutatio.

Assert. vlt. Dico vltimo in mutatione productiua substantiæ, terminus à quo per se est priuatio substantiæ, quæ acquiritur in termino ad quẽ, non vero est alia aliqua forma substantialis, v.g. cum generatur ignis ex ligno, terminus à quo non est forma ligni, sed priuatio formę ignis: de qua re plura dixi 1. libro Physicorum. Ratio est, quia in omni mutatione terminus à quo, & ad quem, debent esse oppositi, cum expellatur terminus à quo per aduentum termini ad quem: ergo terminus à quo per se talis mutationis debet habere determinatam oppositionem, cum termino ad quem: sed quando ex ligno generatur ignis, forma ligni non habet determinatam oppositionẽ, cum forma ignis, quia tã in cõpossibilis est forma aquæ aut lapidis cum forma ignis sicut forma ligni, & ita omnes formę substantiales sunt prorsus inter se repugnãtes in eadẽ materia: ergo in nulla productione substantiali terminus à quo est forma aliqua substantialis, sed priuatio formæ acquirendę, cũ qua terminus ad quem habet determinatam oppositionem, scilicet priuatiuam.

Quod si dicas, formam viuentis determinate fieri ex forma embrionis, quia viuẽtia saltem perfecta naturaliter non possunt fieri nisi ex embrione præcedente; & forma cadaueris naturaliter non potest fieri nisi ex forma viuentis.

Respondetur idesse per accidens ratione subordinationis formarum, vt loco allegato diximus, quia sunt quędam formę ex natura rei subordinatæ: qualiter forma cadaueris necessario, & determinate cõsequitur ad formam viuentis, cum hoc tamen terminus à quo per se generationis cadaueris non est forma viuẽtis, quia si per possibile, vel impossibile in ma-

materia lapidis introducerẽtur dispositiones introductiuæ formæ cadaueris; posset optime cadauer generari ex lapide. Vnde terminus à quo per se potius est priuatio formæ cadaueris, legantur ibi dicta loco citato.

Dubium. Hoc loco dubitari solet imprimis vtrum passiones, & accidentia, quæ producuntur ad productionem substãtiæ producantur, eadem actione, qua substantia producitur, vel alia diuersa. In quare non desunt qui existiment tales passiones produci eadem actione, qua producitur substantia, ita quod in generatione substantiali terminus primarius sit substantia, terminus vero secundarius eiusdem actionis sint passiones, quæ consequuntur ad essentiam.

Qua ratione producãtur propriæ passiones. Nihilominus cõmunis iam sententia est huiusmodi passiones, & accidentia produci per nouam actionem realiter distinctam à productione substantię, imo passiones realiter diuersas produci actionibus realiter diuersis. Ratio est quia sunt entitates realiter diuersæ à substantia, vt sæpe ostensum: ergo debent fieri productionibus realiter diuersis. Quod autem sequantur ex productione substantiæ, nõ tollet quo minus fiant actione diuersa, aliàs generatio substantialis quæ sequitur ex alteratione corruptiua non esset diuersa actio ab alteratione: ergo similiter productio passionũ est diuersa actio à productione substantiæ, quamuis sequatur ex illa, sicut ipsæ passiones productæ consecuntur ad substantiam.

Secunda ratio est, quia si modo Deus aufferret ab homine risibilitatem, & deinde iterum illam reproduceret, talis productio sine dubio esset actio realiter diuersa a generatione hominis, quæ multo tempore antea præfuit: ergo etiam quando risibilitas producitur simul cũ essentia, fit actione realiter diuersa à productione essentiæ.

Addo tamen secundo, quod quando passiones nõ distinguuntur realiter ab essentia, qualiter passiones entis non distinguuntur realiter ab ente, tunc non fiunt actione realiter diuersa, quia est vna, & eadẽ entitas à parte rei.

Solet secundo dubitari, *2. Dub.* vtrum talis productio passionũ sit vere mutatio: quæ difficultas iam est à nobis expedita 3. libro Physico-

rum vbi diximus productionem omnium accidentiũ naturalium esse veram, & propriam mutationem, quia talia accidentia non subiectantur in substantia completa, prout includit vtramq; partem, scilicet materiam, & formam, sed in materia prima, & quia hæc præfuit in reali duratione temporis priuata talibus accidentibus, ideo quando illa recipit de nouo, vere mutatur, & ita quando actio productiua talium accidentium, à quibusdam appellatur simplex emanatio: si per hanc simplicem emanationem intelligant non esse veram aliquam actionem, aut mutationem falsum est, quod sit simplex emanatio, cum tales passiones fiant actione prædicamentali diuersa ex natura rei ab illis, & illis superadditã, vt constabit ex dictis, secundo Physicorũ, disputatione quinta: si tamen nomine simplicis emanationis intelligatur, actio quædam resultans ex alia, tunc potest appellari talis actio simplex emanatio, & est quæstio de nomine. Cum hoc tamen addebam productionem illam, qua in instanti creationis animæ rationalis producuntur in illa accidentia spiritualia, qualis est intellectus, & voluntas non esse mutationem, quia eorũ subiectum, nempe anima rationalis non præexistit duratione aliqua reali temporis priuatum tali termino, quod tamen requiritur ad rationem mutationis, vt loco citato ostensum est, legãtur ibi dicta.

Tandem ex dictis patet solutio ad rationes dubitandi in principio quæstionis adductas. Ad primam enim respondetur, quod quanuis substantia habeat proprias partes, non tamen sufficientes ad causandam successiodem in motu, vt visum est. *R. ad rat. dub. ad. 1.*

Ad secundam respondetur definitionem illam motus traditam ab Aristotele conuenire motui in communi prout abstrahit à mutatione, & motu propriedicto, vt suo loco diximus; & ita solum probatur, quod generatio substantialis sit motus prout motus etiam comprehendit mutationem, non tamen quod sit motus propriedictus, qui est successiuus. *Ad 2.*

(.?.)

QVAE-

QVAESTIO III.

Vtrùm ad quantitatem sit per se motus.

Certum est in hac quæstione nõ dari per se motum ad quantitatẽ discretam, scilicet ad numerum & orationem, de numero patet, quia cum includat vnitates realiter diuersas, siue producantur in tempore, siue in instanti, ideo non datur per se motus ad numerum: de oratione vero ratio est; quia eius partes, scilicet, morulæ, cum sint tempora quędam, & tempus non fiat actione prædicamentali, vt 4. libro ostendimus, ideo ad orationem non datur per se motus.

Solum ergo est dubium de quantitate continua permanẽti, nam ad tẽpus, quod est quantitas successiua, non est per se motus, vt diximus, neque etiam ad motũ. Ratio est, quia motus est idem realiter cum actione, sed ad actionem non datur motus, neque actio, vt postea dicam: ergo neque ad motum datur per se motus: inter quantitates autem continuas permanentes tantum est quæstio de quantitate diuisibili ad tres dimensiones, quæ est corpus: nam de linea, & superficie, quæ sunt indiuisibilia continuatiua, qualiter producantur, alibi dicam.

Prima ergo sententia affirmat. Ad quantitatem non dari per se motum, quam tenet Valles hoc libro capite 2. Controuersia. 29. putant enim in generatione substãtiali produci quantitatem totam illius corporis de nouo, non tamen actione aliqua realiter diuersa à productione substantiæ, sed potius eadem actione, qua substantia primario producitur secundario produci quantitatem: tamen hoc fundamẽtum friuolum est, nam supposito, quod autor iste non ponit quantitatem coęuam materiæ, vt nos ponimus, sed produci de nouo in generatione substantiali, tenetur fateri, produci actione realiter diuersa à productione talis substantiæ, vt in simili dicebam paulò antea de productione passionum. 1. sentent.

Ratio est: quia quantitas realiter distinguitur à substantia: ergo si de nouo producitur necessario debet produci actione rea-

liter diuersa a productione ipsius substantiæ: nam quod quantitas consequatur, veluti passio ad substantiam corpoream, non tollit, quo minus fiat actione diuersa ab illa, quamuis illa actio consequatur ad actionem productiuam substantiæ.

Quantitas non producitur de nouo.

In nostra vero sententia dicendum est, quantitatem nō produci de nouo, sed eandē numero manere in genito, & incorrupto, vt 1. lib. ostensum est. Quare hac ratione omissa breuiter videtur pbari posse eadem sententia: nā si aliquis datur motus ad quantitatem, maxime motus augmentationis, quo quantitas minor fit maior: sed augmentatio nō est motus proprie dictus, ergo. Probatur minor quia a minori ad maius lumen non datur motus proprie dictus, cum totum lumē possit produci in instanti, eo quod nō habet contrariam qualitatē, quæ resistat ne totum lumē producatur simul: ergo neque à minori ad maiorem, quantitatem datur perse motus.

Secundo, quia quantitas secundum nostram sententiam non producitur de nouo: ergo non datur motus ad quantitatem.

Tertio, quia si quantitas non producitur de nouo ex eo quantitas viuentis dicitur maior, quia quantitas alimenti vniatur cum quantitate viuentis, vnio autem duarum quantitatum, cum fiat per quoddam indiuisibile continuatiuum, necessario videtur, quod debeat fieri in instanti, & ita augmentatio non erit motus proprie dictus.

Ad quantitatem datur per se motus.

Nihilominus communis omnium sententia est, ad quantitatem dari per se motum, scilicet augmentationem, qua quantitas ex minori fiat maior, sic enim docuit in hoc libro Aristoteles textu 12. quam communiter eius interpretes sequũtur. Et ratio est, quia augmentatio non terminatur ad producendam nouam quantitatem in nostra sententia, sed terminatur ad vniendam quantitatem alimenti, cum quantitate viuentis, vt fiat maius, vnio autem hæc necessario fit successiue; quia cum quantitas habeat partes distantes, partes alimenti successiue disponuntur, vt conuertantur in substantia aliti, & ita partes quantitatis

quantitatis alimenti successiue vniuntur cum partibus quantitatis viuentis, quia successiue producitur quaedam superficies continuatiua quantitatis alimenti cum quantitate viuentis, & ita augmentatio ratione quantitatis ad quam acquirendam terminatur habet successionem, & ita est motus proprie dictus: qua autem ratione vniantur successiue quantitas alimenti, & quantitas viuentis dicam primo libro de generatione capite quinto, vbi res haec propriam habet sedem, ibi enim late agitur de augmentatione.

Quid not. Illud tamen, vt iam dixi hac in parte notandum est in pertinens esse, quod terminus à quo in augmentatione sit positiuus, aut nõ, vt augmentatio per se loquẽdo fiat successiuè: quia quãtitas ex vi termini ad quem, qui paulatim acquiritur ratione sui habet sufficientẽ causam successionis, idenim quod conuenit motui ex vi terminorum inter quos versatur, per se illi conuenit, quia per se est via inter tales terminos.

Quid adu. Secundo aduertendũ est, quod quando viuens augetur, duae intercedunt actiones, alia quae appellatur nutritio, qua alimentum substantialiter conuertitur in substantiam animalis, quae an sit vnica simplex actio vel integrata ex pluribus, dicam loco citato: altera vero quae est augmẽtatio, qua vnitur quantitas alimenti cum quantitate viuentis; ex quibus prima actio est successiua, per accidens scilicet; quia substantia alimenti paulatim disponitur, vt conuertatur in substantiam animalis, hoc autem illi conuenit, quia habet partes distantes, & hoc non habet substantia ratione sui, sed ratione quantitatis, & ita nutritio per accidens est actio successiua, atque adeò non est motus proprie dictus; augmentatio autem ratione sui fit successiue, & ita est motus proprie dictus.

R. ad argu. contrariae sent. ad 1. Ad argumenta contrariae sententiae, respõdetur ad primum esse diuersam rationẽ de intensione luminis, & de augmentatione quantitatis: nam lumen non habet partes intensionis, scilicet partes graduales distantes, cum in quauis minima parte quãtitatis reperiantur vniti omnes gradus luminis, & ita ex hac parte non petit produci successiue, imo quanuis lu-

men habeat partes extensionis extensas ad extensionẽ quantitatis; illæ tamen non habent distantiam ratione sui, sed ratione partiũ quantitatis, & ita neque quoad extensionem, per se loquendo, producitur lumen successiue, sed per accidens, scilicet, quia luminosum successiue applicatur diuersis partibus medij per motum localem, & ita luminosum si in instanti crearetur in instanti illuminaret totam suam spheram actiuitatis, quia cum lumen nõ habeat qualitatem contrariam, in instanti potest produci. De augmentatione autem diuersa est ratio: quia quanuis quantitati nihil sit contrarium, & ita quantitas nõ acquiratur cum resistentia contrarij, tamen, quia habet partes ratione sui distantes paulatim acquiritur.

Ad secundum, quod quãuis in augmentatione nulla producatur quantitas, cum hoc tamen merito dicitur dari posse motum ad quantitatem, non quidem ad quantitatem producendam sed ad quantitatem acquirendam, acquirit autem viuens maiorem quantitatem vniendo sibi quantitatem præexistentẽ alimenti, vtrũ autem in augmentatione saltem producatur quædam superficies continuatiua partium quantitatis alimenticũ partibus quantitatis viuentis dicam capite de augmentatione, vbi etiam patebit, qualiter istæ duæ quãtitates vniantur successiue, & per quid vniantur, & ita ad tertiam nihil est; quod modo dicamus, pendet enim tota huius rei exacta intelligentia ex ibi dicendis, qua re modo sint hæc satis.

QVAESTIO. IIII.

Vtrũm ad qualitatem sit per se motus.

IN hac quęstione ne res maxime diuersas confundamus, duo inquiri possunt. Primo vtrum alteratio, quę terminatur ad qualitatem sit motus continuus, ita quod non interrũpatur quibusdam morulis, vt quibusdam placuit, quæ difficultas tractari solet 1. libro de generatione capite 4. vbi agitur de alteratione, & ita ibi eam expediam.

Secundo vero inquiri potest; vtrum alteratio, quæ terminatur ad qualitatem sit motus per se loquendo successiuus, siue interrumpatur morulis, siue non, quod

quod examinandum nobis est præsenti quæstione. Est tñ aduert. qualitatem aliquã duobus modis posse produci successiue, secundum quod qualitas duplicem habere potest diuisibilitatem, alteram quidem quoad intẽsionem, quæ attenditur per gradus quos qualitas habet in quauis parte subiecti: alterum vero quoad extensionem ex parte subiecti: nam reuera qualitates corporeæ extenduntur per subiectum.

Quid adn.

Quid cert. Certum ergo est non dari per se motum, ad qualitatem, quantum ad extensionem. Ratio est, quia quãuis talis qualitas successiue producatur quoad extensionem est tamen per accidens, scilicet; aut quia agẽs successiue apropinquatur partibus passi, vt sæpe dixi de illuminatione, aut saltem, propter distantiam partium quantitatis ad quarum extensionem extenduntur partes qualitatis, atq; adeò talis motus per se loquendo non est successiuus.

Solum ergo est dubium, vtrum detur per se motus ad qualitatem quantum ad intensionem illius. Ratio autem dubitandi est, quod quando ignis disponit lignum per suas qualitates, vt ibi suam formam introducat, quod per se intendit non est producere qualitates, sed substantiam ignis: ergo ad qualitatem non est per se motus.

Sed pro solutione aduertendum est: qualitatem aliquam duobus modis produci posse, primo à contrario in contrarium, vt quando aliquod subiectum fit ex frigido calidum, secundo à priuatione sui, vt si aliquod subiectum fiat calidum ex non calido tantum.

Quo supposito dico primo, quando qualitas aliqua producitur à priuatione sui & nõ à cõtrario, tunc nõ est ad illã per se motus. Ratio est, quia quãuis qualitas producenda habeat partes graduales, atq; adeò sit diuisibilis quoad intẽsionẽ, tñ si nõ fiat à cõtrario potest in instãti produci, quia fit absq; resistẽtia contrarij, qua ratione sol in instãti, quo creat⁹ fuit produxit plures gradus luminis in instanti, quia lumẽ non habet contrariam qualitatem, quæ resistere posit, ne fiat totum simul, imo si calor introduceretur in subiecto, nullum frigus habente, posset in instanti produci, ergo talis actio, *Assert. 1.*

 pro-

productio qualitatis per se loquendo non est successiua, sed ad plurimum per accidens in quantum agens successiue applicatur magis, ac magis alicui parti passi ratione cuius paulatim intensiorem producit effectum.

Assert. 2. Dico tamen secundo qualitates illæ, quæ producuntur à contrario in contrariũ producũtur per motum per se successiuum, & ita hoc modo datur ad qualitatem per se motus. Ratio est, quia tunc qualitas producitur successiue, quando producitur cum resistentia contrarij, quod est terminus à quo talis motus, vt quando aliquod fit calidum ex frigido: ergo tunc talis alteratio per se loquendo est motus successiuus: patet consequentia, quia cum motus sumat suam specificationem ex termino ad quẽ, & à quo vt postea dicam, successio, quæ conuenit illi ex vi terminorum inter quos versatur, per se illi cõuenit: ergo alteratio, quæ fit à contrario in contrarium est per se motus successiuus atque adeò ad qualitatẽ datur per se motus.

Quid adu. Est tamen aduertendũ nõ omnem qualitatem, quæ fit à contrario produci per motum successiuum, & ita non semper dari ad illam per se motus, ratio est, quia inter qualitates contrarias, quędã sunt, quæ opponuntur diuisibiliter, idest, non secundũ quamlibet partem sui. Qualiter calor, & frigus non opponuntur in quolibet gradu: nam in gradibus remissis optime compatiuntur qualiter in aqua tepida simul reperitur calor, & frigus in gradibus remissis: solum ergo opponuntur istæ qualitates in gradibus intensis: aliæ tamen sunt contrariæ, quæ opponuntur indiuisibiliter, idest secundũ quãlibet partẽ sui, qualiter sunt actus erroris, & actus scientiæ omnino inter se opponũtur, ita conceptus, seu qualitates productæ per illos actus totaliter inter se opponuntur, & idem est de amore, & odio, huiusmodi ergo contrariæ qualitates, quæ inter se opponuntur indiuisibiliter non fiunt per motũ successiuum, sed in instanti, quia quælibet minima pars vnius totaliter alteram destruit, & ita huiusmodi qualitates in instanti producuntur. Vtrum vero eodem modo opponantur habitus erroris, & habitus scientiæ, & an possint esse simul diximus 1. lib. Poster. cap. 26.

Ad

Ad rationem dubitationis respondetur, quod quamuis finis principalis ignis, disponentis lignum per alterationem, sit producere substantiam ignis, tamen finis primarius ipsius alterationis, est qualitas producta per illum, & idem est proportionali modo, in quouis alio motu, nam vt dicunt Theologi, alius est finis operis, alius vero finis operantis.

His suppositis cum in prædicamento qualitatis, plures species inueniantur, videndum est, ad quas detur per se motus, ad quas vero mutatio. Et dico primo. Ad omnes qualitates corporeas, quæ sunt res, & nó modus saltem datur per se mutatio. Ratio est, quia omnes qualitates distinguuntur realiter à subiecto in quo sunt, vt generaliter de omnibus accidétibus diximus, & cũ subiectentur in materia prima, quæ præfuit duratione reali, temporis cum priuatione illorũ, antequam de nouo producantur à parte rei, ideo actio productiua talium qualitatum est vera mutatio, quia præsupponit subiectum, quod aliter se habet nunc, quàm prius. De qualitatibus spiritualibus, quæ subiectantur in anima rationali distinguendum est. Illæ enim, quæ producũtur simul cum illa in instanti creationis ipsius animæ, nó fiunt per veram mutationẽ, vt supra ostẽdimus: si autem postea, in alio tempore illæ aduenian, tunc fiunt per veram mutationem, quia tunc præsupponũt subiectũ prius existens, quod satis est ad rationem mutationis: dixi autem ad qualitatem, quæ est modus, non dari mutationẽ, quia figura, quæ qualitas modalis est, non fit per mutationem. Ratio est, quia mutatio debet esse actio prædicamentalis, ex natura rei diuersa à terminis, vt supradiximus, quia debet esse via media inter vtrumque terminum, figura autem non fit per actionem sibi superadditã, & prædicamentalem, quia efficienter causatur à subiecto, quod modificat, scilicet à quantitate, non vero ab agéte extrinseco; nam agens extrinsecum solum addit, vel tollit partes quantitatis, postea vero ex tali ablatione ab extrinseco facta resultat figura effectiuè ab ipsa quantitate, veluti accidens illi connaturale, & ita non fit actione superaddita sibi, quia vt ostensum est supra, entitates modales, quæ efficienter causantur à subiecto, quod modificant, nó fiũt

actione sibi superaddita, quia per suam intrinsecam essentiam pendent ab illo; & ita non est opus actione superaddita, per quam pendeant: ergo figura non fit per mutationem.

Et si obiicias: nam quando aliqua quantitas de nouo recipit figuram aliquam, aliter se habet, quàm prius: ergo mutatur, atque adeò per mutationem. Respondetur, mutationem esse duplicem, vt optimè notauit Fonseca. 8. Metap. cap. 13 quæst. 9. sectione vltima, altera propria, quæ est via media inter vtrunque terminum mutationis, & ita distincta ab vtroque termino, sicut actio prædicamétalis, est distincta ex natura rei à termino, & illi superaddita: alia vero est mutatio transcendentalis, quæ nó distinguitur ab ipsa re quæ de nouo aduenit, sicut actio transcendentalis, non est aliquid diuersum à termino, per se ipsum pendente ab agente, quæ in proprie appellatur mutatio, quia non est via media inter vtrumq; terminum: illa ergo actio, qua producitur de nouo figura, est mutatio transcendentalis non distincta ab ipsa figura, non tamen est mutatio prędicamentalis, & propria, quæ sit via interiecta, inter vtrumque terminum.

Assert. 2. Dico secúdo ad qualitates, quæ non sunt graduales non potest dari per se motus, appello autem qualitates non graduales, illas, quæ non habent partes, quo ad intensionem, quales sunt intellectus, & voluntas, quæ pertinent ad speciem potentiæ, & figura, quæ etiam est qualitas, huiusmodi autem qualitates, non recipiunt intensionem, aut remissionem, neq; enim est vna voluntas magis intensa, quàm alia. Probatur conclusio, quia motus proprie dictus est motus successiuus: ergo debet habere terminum diuisibilem in partes, quæ paulatim producantur: ergo qualitates illæ, quæ dam habent partes graduales, quæ paulatim produci possint, nó producuntur per motum proprie dictum, & ita ad illas non datur per se motus.

Assert. 3. Dico tertio, ad omnes qualitates habentes contrarium datur per se motus, quales sunt qualitates tertiæ speciei scilicet, passio, & passibilis qualitas, quales sunt qualitates sensibiles; vt colores, sapores, &c. in his ergo reperitur vera cótrarietas, qualiter album contrariatur nigro, & calidum

calidum frigido, & sic de aliis, & ita motus qui est inter huiusmodi qualitates contrarias, per se loquendo est successiuus, atque adeò est motus propriè dictus. Similiter in secunda specie, scilicet in specie potentiæ dantur aliquæ qualitates huiusmodi, qualiter grauitas, & leuitas, quæ pertinent ad speciē potentiæ, sunt qualitates cōtrariȩ, imò, & calor, & frigus etiā pertinent ad speciem potentiæ, in quantum sunt principium proximum operandi ignis, aut aquȩ. Tandē in prima specie datur per se motus ad habitus inter se contrarios, quales sunt habitus temperātiæ, & intemperantiæ, & similes.

Difficultas. Superest tamē difficultas in hac re. Verū ad sanitatē, & ęgritudinem detur per se motus, Arist. 7. lib. Phys. c. 12. docet nō dari ad illas per se motum, neq; ad virtutē, & vitiū; at verò in hoc lib. tex. 12. & 48. contrariū docet. Respondetur tamen sanitatem, & ægritudinem, dupliciter considerari posse, scilicet pro aggregato ex qualitatibus, aut humoribus causantibus ægritudinē, aut sanitatem, & sic non datur ad illas per se motus: quia nō significat aliquid diuersum ab ipsis qualitatibus, & humoribus, debito modo temperatis, & ita non datur aliquis peculiaris motus ad sanitatē diuersus à motu, qui datur ad tales qualitates: si vero sanitas sumatur pro illa qualitate, quæ vltimate expellit qualitatē disconueniētem, siue talis qualitas sit aliquid diuersum à primis qualitatibus temperatis, siue non (quod fortasse probabile est) tunc datur ad sanitatē per se motus, quia talis qualitas expellens qualitatem contrariam disconuenientem: & introducentem morbum, fit à contrario in contrarium, & ita fit per motum propriè dictum. Quando vero Arist. loco allegato, asserit ad virtutes, & vitia nō dari per se motum, non loquitur de ipsa entitate absoluta virtutis, aut vitij, sed de relatione conformitatis, aut disformitatis, cum regula rationis, quam secundario importat huiusmodi habitus: hanc fuisse eius mentem, indicat eius ratio, scilicet, quia virtutes, & vitia sunt ad aliquid, ad relationem autem, vt statim dicam, non est per se motus: vbi non est intelligendum virtutes, & vitia, primario non esse relationes. Cum in omnium sententia sint quali-

tates,

tates; sed secundario, in quantum cõsequenter, important relationem cõformitatis, seu difformitatis, ad regulam rationis.

QVÆSTIO V.

Vtrum ad vbi, & relationem, ac reliqua prædicamenta sit per se motus.

IN hac re conueniunt omnes, ad vbi dari per se motum; sic enim docuit Aristot. hoc libro: & ratio est, quia præsentia localis, habet proprias partes correspondentes partibus spatij, ex sua natura inter se distantes, cũ sint immobiles essentialiter ab spatio cui correspondent: ergo necessario tales partes præsentiæ acquiruntur per motum per se successiuum; atque adeò ad vbi est dare per se motum.

Quid aduertendum circa præsentiam localem Angeli.

Est tamen aduertendum, non dari per se motũ ad vbi definitiuum, qualis est præsentia localis Angeli: quia per illam præsentiam, Angelus est in loco indiuisibiliter totus in toto, & totus in qualibet parte, & ita illa præsentia in instanti acquiri potest, atque adeò nõ est motus per se successiuus ad illam, sed potest mutatione instãtanea acquiri: solum ergo est dare per se motum ad præsentiam localem corporeã; qualis est præsentia localis substantiæ corporeæ, & accidẽtium materialium, hæc enim est diuisibilis, quia quælibet pars rei, non potest simul habere præsentiam in duobus locis ex natura rei, & ita illa præsentia, necessario petit successiue produci per partes, quod secus est de Angelo: nã totum simul est in pluribus partibus spatij, & ita simul acquirere potest, præsentiam in omnibus illis partibus.

Diffi. circa præsentiam localem corpoream.

Sed est difficultas, nam adhuc præsentia localis corporea, potest acquiri in instanti: nam cum aliquod mobile mouetur successiuè, in quolibet instanti temporis, habet præsentiam localem, diuersam ab illa, quam habuit tempore immediato ante illud instãs: ergo illa præsentia, in illo instanti fuit anquisita. Antecedens probatur aperte; nam cum in instanti, non sit motus localis, eo quod debet esse successiuus, necessario in illo instanti quiescit mobile, saltem quiete negatiua, quam infrà

infrà explicabimus,&in tempore immediato, ante illud instans mouebatur mobile: ergo habet diuersam præsentiam localem in instanti, in quo nō mouetur, ab illa quá successiue acquisiuit, tempore immediato ante illud instans: ergo iam aliqua præsentia localis potest acquiri in instanti.

Respondetur, quod vt infra dicemus, res aliqua duobus modis potest produci, scilicet absolute,& vt tanta: tunc producitur absolute, quando non consideratur, in aliqua determinata quãtitate. Qualiter calor absolute loquendo producitur successiue per partes indeterminatas: at vero calor, vt tantus, v. g. vt quatuor producitur in instanti, quia calor, vt tantus est indiuisibilis; nam si diuidatur non manet tantus, & ita calor, vt tãtus cum indiuisibilis sit, fit in instanti. Similiter ergo, præsentia localis acquiri potest absolute, per partes indeterminatas, alio vero modo, vt tanta.

Dico ergo in quolibet instanti mobile habere diuersam præsentiam, ac habuit tempore præcedenti, vt argumentum probat, illa tamen acquiritur, vt tanta, scilicet. Vt in tanto spatio determinato; tamen præsentia localis absoluta, secundum partes indeterminatas, non potest acquiri in instanti, sed successiue ratione propriç distantiæ partium. Idem est proportionali modo, quando aliquod viuens generatur in instanti: nam in illo instanti acquirit præsentiam localem, sibi adæquatam à parte rei, tamen illa acquiritur, vt tanta: nam sicut ipsum viuens incipit, in tanta quantitate, ita præsentia incipit in tanta quantitate viuentis.

Sed instabis, nam si mobile, quod continuè mouetur in quolibet instanti, & in qualibet parte temporis, habet diuersam præsentiam localem ab ea, quam habuit antea, cum in tempore dentur, infinitæ partes, iam in fine motus, dabuntur in infinitæ præsentiæ locales, totales transactç.

Respondetur nullum esse inconueniens dari infinitas præsentias locales determinatas, vt tantas, contentas tamen intra spatium aliquod finitum correspondẽtes partibus infinitis illius spatij: nã illæ omnes adæquare possunt vni, & idem præsentiæ totali

totali finitæ comprehendenti totũ illud spatiũ finitum: sicut in quouis corpore dantur infinitæ superficies, integrantes tamẽ vnicũ corpus finitum.

Et si iterum dicas, nam si in quolibet, motu locali dantur infinitæ præsentiæ locales, totales, & realiter diuersæ, iuxta diuersam præsentiam, mobilis in diuersis partibus spatij, sequitur vnico, & eodem motu continuo produci infinitos terminos, totales realiter diuersos.

Respondetur huiusmodi præsentias infinitas, produci per infinitas partes eiusdem motus: neq; mirum est, quia quælibet pars motus constituit totum mobile in diuerso spatio, & ita habens diuersam præsentiam localem, totalem, & diuersam, quod necessario fatendum est: quia quando mobile pertransit, ab vna parte spatij ad aliam, omnes partes illius sunt in diuerso spatio, ac antea: ergo totaliter mutabit præsentiam, & ita iuxta infinitas partes spatij mutát infinitas præsentias locales totales, correspondentes infinitis partibus eiusdẽ motus continui.

De relatione autem. Vtrũ ad illam sit per se motus, quorumdam sententia est, ad illam dari saltem per se mutationem, quamuis non detur per se motus. Tenet, Simplicius, 3. Physicorum, text. 5. Antonius Andræas 11. Metaphysic. capit. 11. & probari potest: quia mutatio est qua subiectum aliter se habet nunc quã prius: sed quando aliquod subiectum, multo tempore antea existens, recipit de nouo aliquam relationem, aliter se habet nunc quam prius, quia cum relatio, sit entitas ex natura rei diuersa, à fundamento, habet iam tale fundamentum nouam entitatem: ergo aliter se habet: ergo mutatur. Quæ sententia plusquam par esset cómunis est.

Declaratione quid dicendum.

Dicendum tamẽ nobis est ad relationem, neque dari per se motum, neque mutationem. Tenet D. Thomas, expresse hoc lib. cap. 2. & 3. par. quæstio. 16. articul. 6. ad secundum, vbi aperte docet, posse relationem aduenire, de nouo alicui fundamento, solum per mutationem, in alio extremo factam. Tenet etiam Ferrar. hoc lib. quæstione 3. & 2. contra gentes, capit. 11. Sotus hic quæstione 2. Valles

lles, controuersia 29. & quidem Aristoteles hoc libro, textu 10. dum negat dari ad relationem, per se motum, non tantum loquitur de motu propriè dicto, sed de motu, prout comprehendit, tam motum proprie dictum, quam mutationem: nam cum dixisset ad substantiam, non dari per se motum, sic ait: *Neque ei, quod ad aliquid contingit, in altero mutationem patienti, verè dici alterum, nihil mutationis subire*: ergo aperte negat dari ad relationem, mutationem.

Præterea idem Aristotel. 12. lib. Methaph. textu septimo: dicit tantum dari quatuor transmutationes, scilicet, secundum substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi, his verbis: *Si itaque transmutationes sunt quatuor, aut secundum quid, idest, secundum substantiam, aut secundum qualitatem, aut secundum quantitatem, aut vbi.* In quo loco aperte, etiam loquitur de motu comprehendente, tam motum, mutationem, quam motum proprie dictum. Primò: quia illa vox, *transmutatio*, vtrumque comprehendit. Secundo, quia si tantum loqueretur de motu proprie, dicto, falso diceret, dari ad substantiam per se motum, vt ipse etiam merito, hoc loco negat, & ita miror authores huius sententiæ, non caluisse Aristotelem, & D. Thomã locis citatis, quorũ se esse fideles sectatores profitentur.

Et vt ratione probetur nostra sententia, suppono relationem effectiue, causari à fundamento, in quo est, vt ostendi capite de relatione: nam si de nouo producatur Romæ aliquod album, in intelligibile est, quod relatio, quæ de nouo consurgit, in albo existenti Compluti, producatur ab agente, quod produxit album Romæ, cum sit maxima distantia, & ita talis relatio debet effectiuè consurgere ex ipso fundamento. *Quid supp.*

Suppono secundo entitates, modales, quæ efficienter pendent à subiecto, non fieri actione, aliqua prædicamentali illis superaddita, sed transcendentali potius, quæ nihil aliud sit, quàm entitas ipsius modi per sum essentiã pendens à subiecto, ratio est sæpe dicta, quia quando res aliqua per suam essentiã pendetab agẽti, nõ est opus actione superaddita, qua pendeat ab illo; sed entitates modales *2. Suppo.*

les, per suam intrinsecam essentiam, pendent à subiecto: ergo quando tale subiectum, est causa efficiens illorum per suam essentiam, pendent à sua causa efficienti, atq; adeò non fiunt actione super addita distincta ab illis.

3. Supp. Suppono tertio mutationem propriam, debere esse actionem prædicamentalem ex natura rei diuersam à termino producto, ratio est, quia mutatio est, quædam via media inter vtrumq; terminum, & ita illa est propria mutatio, quæ est via dinstincta ab vtroque termino mutationis, tunc enim propriè intelligitur, via interiecta inter vtrumque terminum.

His suppositis plane probatur. Ad relationem, neque dari per se motum, neque mutationem, quia relatio est entitas modalis, per suam essentiam pendens à sua causa efficienti, scilicet, à fundamento: ergo non fit actione aliqua prædicamentali superaddita, sed de ratione mutationis est, quod sit actio prædicamentalis, & via distincta à termino: ergo ad relationem, neque datur motus, neque mutatio.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quod, vt supra vidimus ex Fonsec. 5. Metaph. cap. 13. q. 9. sectione vltima, mutatio duplex est, alia propria, & est illa, quæ est via distincta ab vtroque termino mutationis: nam mutatio propriè dicit esse viam interiectam inter vtrumq; terminũ, & ita hęc mutatio debet esse actio prædicamentalis, ex natura rei diuersa à termino: alia vero est mutatio transcendentalis, quæ est idem prorsus cum ipsa re, quæ de nouo aduenit, & non aliquid superadditum, ad quam satis est actio transcendentalis, dum tamen eius subiectum præextiterit duratione aliqua reali sine illa, hoc enim requiritur ad omnem mutationem realem, vt supra.

Dicendum ergo est, quod quando aliquod subiectum de nouo acquirit relationem non mutatur mutatione propria, quæ sit via interiecta, inter vtrumque terminum, sed mutatioue transcendentali, quæ non distinguitur ab ipsa relatione, quæ de nouo aduenit.

De aliis vero prædicamẽtis dicendũ est in primis. Ad actionẽ non dari motum, neque mutationem, vt Aristot. docuit hoc libro, tum quia daretur processus in infinitum: *Quid sit dicendum de aliis prædicamentis.*

tu: nam si ad actionem datur actio ad illam deberet dari alia; & ad illam, alia, & sic in infinitum. Tum etiã, quia actio per suam essentiam pẽdet ab agente, & ita non est opus alia via superaddita per quam pendeat, & ita neq; datur etiam motus, aut mutatio ad passionem & motum, quę iddentificantur cum actione.

De prædicamento vero Quando, quæ est duratio rei createę iam diximus supra, neque dari motum, neque mutarionem ad huiusmodi durationem, quia est modus effectiue resultans ex reduranti: modi autem, qui efficienter causantur à subiecto, quod modificant non fiunt actione superaddita, sed transcendentali, vt iam ostendimus, & ita ad durationem, sicut ad relationem, neque datur motus, neque mutatio.

De prædicamentis Situs & Habitus dicendum est, dari ad illa perse motus. Quod in primis facile intelligitur in sententia asserentium, nõ distingui à prædicamẽto vbi ad quod in opinione omniũ datur perse motus, quod certe non est improbabile. Si vero cum Arist. & cõmuni sententia dicamus esse prædicamẽta diuersa à prædicamẽto vbi, etiã constat dari perse motũ ad habitum & situm, quia importãt præsentiam localem, non quidem in alio tãquam in loco quod dicit prædicamentum vbi, sed habitus significat præsentiam in alio tã quam in habente: Situs vero dicit præsentiam partium, tamen cum tali, vel tali dispositione, ratione cuius dicatur stare, vel sedere, aut quid simile, vt dixi in prædicamento situs, & habitus, & ita hęc prædicamenta reuera dicũt præsentiam localem, licèt tali, vel tali modo disposita, & ita datur ad illa perse motus.

Neque hoc est contra Aristotelem asserentem, tantum ad quantitatem, qualitatem, & vbi dari perse motũ, quia nomine vbi etiam comprehẽdit situm & habitum, qui etiam dicunt præsentiã localem, cuius rei argumentum est, vt notauit Simplicius, quod etsi Arist. de alijs prædicamentis mentionem hoc loco fecerit, nihil tamẽ dicit de Situ & habitu, quia scilicet eadem est ratio de illis, ac de vbi, quia fortasse nõ distinguuntur ab illo.

Dubium.

Tamen ex dictis patet tres esse species motus propriè dicti, scilicet motũ localẽ, & motũ augmẽtationis, & alterationis, quæ nõ sunt species

 infimæ:

infimæ: nam alteratio varias habet species iuxta diuersas species qualitatis. Et similiter motus localis, alius enim est rect⁹, alius circularis, &c. De augmentatione vero an sit species infima dicam.1. lib. de generatione capite de augmentatione: inter quos Aristotel.8. Physicorum capite.7. dicit motum localem esse perfectiorem alijs, quod non est intelligendum absolute: nam augmentatio, & alteratio sunt perfectiores entitatiuè; sicut quantitas, & qualitas ad quas terminantur sunt perfectiores, quàm præsentia localis, sed appellatur perfectior ratione subiecti, in quo reperitur, quia motus localis reperitur in Angelis, & in cœlo, in quibus tamen non reperitur motus augmentationis, neque alterationis: nam quāuis in cœlo reperiatur aliqua alteratio perfectiua scilicet illuminatio, illa tamen non est motus propriè dictus, sermo autem est de motu alterationis.

Motum localem esse perfectiorē alijs, quanam rat. intelligatur.

DISPVTATIO SECVNDA DE CONTRARIETATE, & vnitate motus.

RES hæc suppositis his quę diximus.2. lib. Phys. disputatione. 5. quęst.13. de vnitate specifica, & numerica actionis, breuiter & facile expediri põt, ea quæ disputat Aristotel. in fine huius lib.

QVAESTIO.I.

Vtrum motus sumat suā speciem tātum ex termino ad quem.

IN hac quæstionē & sequenti, nomine motus, non solum debet intelligi motus propriè dictus, sed sermo est de motu, prout comprehēdit tam motum propriè dictum, quàm mutationem, & quidem plures existimant vnitatem specificam motus, tantùm sumi ex termino ad quem, non vero ex termino à quo: tenet Valles controuersi. Tolet.

ler. hic quæstione. 2. Sotus quæstione. 3. Pereir. lib. 13. c. 8. & videtur esse sententia Di. Thomæ. 1. parte, quæst. 23. artic. 1. ad. 3. vbi dicit motum non summere suam speciem à termino à quo, sed à termino ad quem, & Aristoteles hoc lib. textu. 4. dicit mutationem magis denominari abeo, ad quod est, quàm abeo à quo est. Et textu. 35. dicit vnitatem specificam motus pendere ex ipsa re, in quam tendit motus, quam constat esse terminum ad quem.

Asser. 1. Verumtamen dico primo motus non distinguuntur essentialiter ex eo quod motus sit violentus, vel naturalis. Ratio est, quia sicut eadem qualitas secundum speciem verbi gratia, calor, est naturalis igni, & violentus aquæ absque eo quod species essentialis caloris varietur, ita non debet variari species motus, ex eo quod sit violentus, vel naturalis: nam idem motus secundum speciem est naturalis igni, & violentus terræ. Ratio vero à priori est, quia ratio violenti aut naturalis solum sumitur ex eo, quod res sit conueniens, aut disconueniens subiecto, per quod non variatur essentia rei.

Dico secundo motum tam sumere suam speciem ex termino aquo, quàm ex termino ad quem, & ita nó solum sumi ex termino ad quem tenet Albertus de Saxona hoc lib. q. 6. Et ratio est, quia motus essentialiter est via inter duos terminos, scilicet, aquo & ad quem: ergo tam essentialiter respicit terminum à quo, sicut terminum ad quē, atq; adeò essentia & species motus ab vtroque termino pensanda est extrinsecè, intrinsecè vero per habitudinem ad vtrumque terminū. Asser. 2. Exquo fit, quod sicut distinctio specifica inter motus sumitur ex distinctione specifica terminorum: ita distinctio generica sumenda sit ex distinctione generica terminorum: qualiter alteratio, & augmentatio genere distinguuntur, quia habent terminos genere diuersos: neque Aristoteles vnquam docuit oppositum: nam quanuis text. 35. dicat vnitatem specificam motus sumi à termino ad quem, non ideo excludit, quod possit etiam sumi à termino aquo, & ita argumentum ab auctoritate negatiua nihil probat, imò textu. 4. hoc videtur insinuare, dum dicit, motum magis denominari à termino

Rr 2 adquem

ad quem, quàm à termino à quo, vbi fateri videtur vtrũque terminum esse essentialem motui, tamen magis denominari à termino ad quẽ, quia ad illum tendit: qualiter de albatio denominatur ab albedine quam producit, non tamen, à nigredine, quã expellit; quia cum sit actio productiua denominatur à termino producto; nõ vero, à termino, quem expellit.

Sed cõtra obijci potest primò nam si species motus, tam sumitur ex termino à quo, quàm ex termino ad quem, sequitur quod de albatio, qua aliquid fit album ex nigro differt specie à de albatione, qua aliquid fit album ex viridi, quia huiusmodi de albationes habent terminos à quibus diuersæ speciei, consequens, autem est contra Aristotelem hoc lib. textu. 3. vbi dicit omnes de albationes esse eiusdem speciei.

Secundo, quia quemadmodũ motus est via inter duos terminos, ita relatio est ordo inter duo extrema: sed relatio similitudinis inter duo alba non differt à relatione similitudinis inter duo nigra quanuis termini vtriusq; similitudinis specie differant: ergo similiter quãtunuis motus habeant terminos specie diuersos, nõ debent distingui specie.

Sed respondetur ad primũ verũ esse de albationem à nigro, & viridi, nõ differre specie, quia licet viride differat specie à nigro in ratione talis coloris, nõ tñ, vt induit rationẽ termini à quo, quia viride est terminus à quo de albationis, in quantum respectu albi habet rationẽ nigri, & ita vtrobiq; termini à quo formaliter, & sub ratione termini à quo non distinguũtur specie.

Ad secundũ respõdetur esse diuersam rationem, quia duo extrema habẽt relationẽ similitudinis perse loquẽdo, in quãtũ sunt vnũ in qualitate: quod autẽ sint vnũ in qualitate, quæ est albedo, aut in qualitate, quę est nigredo accidentale est similitudini: at vero mot' tẽdit ad terminũ, prout talis est in particulari, & ita variatis terminis secundũ speciẽ, etiã variãtur mot'.

Ex dictis sequitur, tres esse species mutationis, vt in hoc lib. docuit Arist. text. 7. scilicet à subiecto in subiectũ, id est, a contrario in contrariũ. Secũda a nõ subiecto in subiectũ, scilicet a nõ esse ad esse. Tertia a subiecto in non subiectũ, scilicet ab esse ad

non

non esse, quæ est corruptio: habent enim istæ tres mutationes diuersos terminos ad quos, & à quibus, & ita constituunt diuersam speciem mutationis.

Sequitur secundo diuersam esse mutationẽ secundũ speciem à nigro in albũ, & à non albo in albũ: quia altera est à subiecto in subiectũ: altera vero à non subiecto in subiectũ, quæ secundũ Arist. diuersæ mutationes sunt secũdũ speciẽ: tum etiam, quia vt supra tertio Physicorum disputatione prima arguebã mutatio est qua subiectum aliter se habet nũc quã prius, sed habere, se aliter contrario modo quod contingit, quando aliquid fit album ex nigro, & habere se aliter cõtradictorio modo, quod contingit quando aliquid fit album ex non albo sunt diuersæ species aliter se habendi: ergo sunt diuersæ species mutationis.

Etsi obijcias, Arist. hoc lib. text. 3. afferentẽ oẽs de albationes esse eiusdem speciei: ergo de albatio à nigro, & de albatio à non albo non sunt mutationes diuersę speciei.

Respondetur Arist. loco allegato non cõparare de albationem factã à contrario cũ de albatione facta à priuatiuo, cũ dicit oẽs de albationes esse eiusdem speciei, sed comparat de albationes, quæ fiunt ex alio colore, tanquã ex termino aquo, quod verum est esse eiusdem speciei, siue fiant ex colore extremo, siue ex medio, tãquã ex termino aquo, quia fiunt à colore medio verbi gratia à viridi, in quãtum respectu albi induit rationem nigri.

Quod vero mutatio à subiecto in non subiectum, quæ est corruptio distinguatur realiter ab alijs mutationibus, quæ sunt quædam generationes, seu productiones probabimus. 1. lib. de generatione capite. 3. Et breuiter nunc ratio est, quia generatio, & corruptio habent terminos realiter diuersos: ergo distinguuntur realiter: termini enim diuersi diuersas postulant actiones. Antecedens probatur, quia quando generatur equus, terminus generationis equi est forma substantialis equi, terminus vero corruptionis embrionis, quæ est simul cũ generatione equi, est non esse formæ embrionis, seu priuatio formæ embrionis, quæ est in materia in qua introducitur forma equi: sed talis priuatio distinguitur realiter negatiuè à forma equi:

non distinguuntur specie, vt vidimus libro quarto Physicorum disputatione prima, quæstione quarta, vel etiam potest desumi cõtrarietas in motibus ex terminis a quibus, quanuis termini ad quos sint eiusdem speciei.

Qua ratione si aliquod mobile moueatur a centro terræ, vsque ad locum aeris, & a concauo Lunæ vsque ad eundem locum aeris, tales motus habent eundem terminum ad quem secundum speciem, & tamen sunt motus contrarij, quia alter est sursum, & alter deorsum, solum quia incipiunt a terminis a quib' cõtrarijs: nam alter incipit a loco superiori, alter vero a loco inferiori, quæ sũt loca contraria.

Sed contradicta opinantur non nulli asserentes in motibus localibus nullam reperiri contrarietatem adhuc inter motum sursum, & deorsum: quia existimant omnes motus locales esse eiusdem speciei: contraria vero debent differre specie, vt album & nigrum. Quæ sentẽtia michi Profecto non est in probabilis quanuis contraria magis placeat, vtpote quæ Aristoteli est magis consentanea. Probant autem isti suam sententiam. Primo quia motus distinguuntur specie per terminos, terminus autem motus localis est præsentia localis: sed omnes pręsentiæ locales circunscriptiuæ sunt eiusdem speciei, siue sint sursum, siue deorsum, vt ostẽdimus quarto Physicorum disputatione 1. quæstione. 4. ergo motus sursum, & deorsum & omnes motus locales sunt eiusdem speciei.

Secundo, quia in augmentatione, aut alteratione, ꝙ fiat sursũ vel deorsum ad dextrũ, vel ad sinistrũ non variatur species augmẽtationis in omniũ sententia: ergo neq; motus localis sursum, & deorsum debẽt distingui specie.

Tertio, quia motus rectus & circularis possunt cõtinuari: ergo sunt eiusdẽ speciei. Patet cõsequẽtia, quia ea quę differunt specie nõ possunt cõtinuari, vt album & nigrũ. Antecedens vero probatur, quia cõtingere põt, ꝙ mobile aliquod moueatur circulariter & cõtinuo deinde moueatur motu recto: ergo motus rectus & circularis continuari possunt.

Quarto, quia lineæ accidẽtale est, ꝙ sit recta, vel circularis: ergo etiam motui accidentale est ꝙ sit rectus, vel circu-

circularis propter, quæ argumenta hæc sententia profecto probabilis est.

Tamen omnes interpretes Aristotelis cōtrariam secuntur sententiam, scilicet motum localē diuidi in species essētialiter diuersas, scilicet in rectum & circularē. Et rursus rectum in sursum, & deorsum: cui sentētię multum fauet hoc lib Aristotel. textu.33. vbi dicit, motū rectum & circularem, absolute loquendo, differre specie, quod minus bene exponitur à contraria sentētia: quia scilicet Arist. loquatur de diuersitate specifica accidentali, quam necesse est assignare inter motum rectū & circularem, penes rectitudinē, aut circunflexionem, non tamen loquatur de diuersitate essētiali in esse motus, quod proculdubio non videtur ad mentem Aristotelis, quia reuera ibi Aristot. disputat de distinctione, & vnitate essentiali inter motus. Præterea tex. 59. ait motum sursum, & deorsum esse omnino contrarium: ergo distinguuntur specie, non solum accidentaliter, sed essentialiter etiam, aliàs tantum essent contrarij accidentaliter, & ita nō appellarentur recte ab Aristot. omnino contrarij. Et primo de cœlo cap. 2. diuidit motū in rectū & circularē, quos absolute dicit differre specie. Deniq; ratio est: quia motus localis hoc habet peculiare inter omnes motus, q̄ dicit essentialē ordinē ad spatiū: rursus dicit ordinē ad terminos, taliter, vel taliter dispositos, & ita motui circulari essentiale est, absolute loquendo, fieri per medium circulare, & non per rectum, & è contra in motu recto. Similiter motui sursum, absolute loquendo, essentiale est incipere à loco deorsum, & ècōtra in motu deorsum: ergo huiusmodi motus absolute loquendo distinguuntur specie. De motu vero giratiuo, qui scilicet fit per lineam giratiuam, qualis est illa dicendum est non constituere aliquam speciem tertiam à motu recto & circulari, sed esse mixtum ex vtroq;, ita quod partim sit rectus, & partim circularis, atque adeò componitur ex motibus partialibus diuersæ rationis, scilicet ex recto & circulari, quę cum specie differant non cōtinuantur, & ita motus giratiuus non est motus Physice continuus, sed potius est vnus ordine partium.

Ad argumēta cōtrariæ sententiæ respōdetur ad primū quod *R. ad argu. contrarij sēt. Ad. 1.*

quod motus distinguntur per terminos, tamen taliter, vel taliter dispositos, & ita qu nuis præsentia sursum & deorsum specie non distinguantur, tamen motus sursum, & deorsum specie distinguuntur, quia motus sursum essentialiter dicit incipere à præsentia deorsum, & terminari ad præsentiam sursum, & ècontra motus deorsum, & ita distinguuntur: vbi non intendo terminum ad quem formalem motus localis esse illum ordinem inter terminos: quia ad relationem non est per se motus, sed terminus est præsentia localis, tamẽ, ita quod, in motu sursum incipiatur à præsentia deorsum, & sic de alijs.

Ad secundum esse diuersam rationem de motu augmentationis, & de motu locali: nam dicere ordinem ad spatium peculiare est, & essentiale in motu locali, quia est mutatio spatij, & ita quod fiat versus sursum, vel versus deorsum distinguit essentialiter species motus localis, augmentatio tamen præcise tantũ respicit quantitatem maiorem, ad quod accidentale est, quod fiat versus hoc spatium, aut versus aliud.

Ad tertium respondetur, scilicet falsum esse, quòd motus rectus & circularis continuari possint, quanuis ordine quodam possit incipere vnum immediate postquam alius finiuit, & ita reuera sunt duo motus, quanuis vnus immediate subsequatur ad alium.

Ad quartum esse diuersam rationem de linea, & de motu locali: nam essentia lineæ tantum consistit in longitudine, ad quod accidentale est, quod sit recta, vel circularis, tamen motus localis dicit essentialem ordinem ad spatium per quod fit, & ita quod fiat per lineam rectam, aut per lineam circularem variat species motus: quanuis autem lineæ accidentalis sit differẽtia esse rectam, vel curuam, non tamen motui: quia respicit lineas, prout sic dispositas secundũ rectum, vel curuum propter essentialem ordinem quem dicit ad talem, vel talem modum spatij.

QVAE-

QVAESTIO vltima.

Vnde sumatur vnitas numerica motus.

CERTVM Est quālibet rem indiuiduari à sua intrinseca entitate, vt ostendi in disputatione de principio iudiuiduationis, ab eisdem enim principijs à quibus res aliqua habet quod sit ens, habet quod sit vna, quia vnum est passio entis, & ita sicut quælibet res intrinsecè est talis à sua intrinseca entitate, ita habet vnitatem numericam à sua intrinseca entitate.

Quid certū.

Quæ requiratur ad vnitatē numericā motus.

Dubium tamen est, à quo motus accipiat extrinsece suam indiuiduationem. Ad quod respondet Aristot. hoc lib. textu. 34. requiri quatuor ad vnitatem numericam motus, scilicet, quod sit, idem mobile, idem tempus, idem terminus, & idem spatium.

De mobili, quod requiratur vnitas illius, patet: quia idem accidens non potest subiectari in duobus subiectis; ergo vt motus sit vnus debet esse vnum mobile. De tempore etiam patet, quia discontinuatio temporis, satis est ad discontinuandos motus. De termino vero etiam patet, quia diuersus terminus, diuersas postulat actiones. De spatio vero etiā patet: quia in motu locali, variato spatio, necessario variatur motus localis, cum dicat essentialem connexione cum tali spatio, non minus quàm præsentia localis: ergo ad vnitatem numericam motus, hæc omnia simul requirūtur, ita vt quodlibet seorsum non sufficiat, nam in eodē mobili possūt esse plures motus, & idem terminus potest produci diuersis actionibus, vt dixi de resurrectione, & generatione .2. lib. physic.

Addo tamen etiam requiri ad vnitatem motus, vnitaté agentis: nam agens, quod de nouo conseruat terminum, iam ab alio productum diuersa actione à priori id efficit, vt ostendimus .2. Phys. disput. 5. quæst. 3. legantur ibi dicta. Quare autem Aris. non requirat hoc loco vnitatem mouentis, quam nos dicimus requiri ad vnitatem numericam motus: respondet

det Pereir. causam esse, quia Arist. nondum probauerat omne quod mouetur ab alio moueri, id enim efficit. 8. phys. & ita ibi asserit ad motum requiri vnitatem mouentis.

Quid inquirendum. Hoc loco inquiri posset, an in motu à contrario in contrarium sit vnus tantum motus, vel potius duplex, vt quando aliquid fit ex nigro album, vbi plures existimant, præter motum tendentem à nigro in album esse aliam mutationem, etiam productiuuam, tendentem à non albo in album: de hoc tamen iam diximus. 3. lib. physic. disp. 1. legantur quæ ibi diximus.

Deniq; plura alia, quæ hoc loco à quibusdam disputari solet, scilicet vtrum motus, seu actio subiectetur in agente, vel in passo, & vtrú motus distinguatur ex natura rei à suo termino producto, iam sunt à nobis antea dicta. 2. & 3. lib. physicor. & ita hæc de hoc lib. dicta sufficiant.

(.?.)

LIBER

LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

Postquam Arist. superiori lib. egit de speciebus motus, penes ordinem ad terminos à quibus sumuntur, iam in hoc lib. agit de diuisione motus in partes quantitatiuas: postquam in lib. 5. egit de partibus subiectiuis, quę sunt speciei illius, & vt ostẽdat qualiter partes motus, imò & cuiuslibet alterius continui sint interse continuę, late agit de indiuisibilibus continuorum.

SVMMA TEXTVS.

Liber Hic in duas distribui potest partes, & si per missiue ab Aristotele tractentur, in quarum altera disputat Arist. de indiuisibilibus, & partibus cõtinui in secũda vero, an motus possit esse in indiuisibili temporis, scilicet in instanti.

Circa primum docet in primis, nullum cõtinuum componi ex & solis indiuisibilibus, sed quod necessario præter indiuisibilia debet cõtinuũ habere partes quantitatiuas, ex quibus componatur, docetq; cõtinuum esse diuisibile in semper diuisibilia, idest in partes in infinitum diuisibiles, atque adeò in infinitas partes, & ita docet, quod dũ mobile mouetur per transit tempore finito infinitas partes spatij,

dicit

dicit tamen, quod in motu ante quodlibet mutatum esse, datur moueri, & ante quodlibet moueri, datur mutatum esse, vbi per mutatum esse, intelligitur, vt dicebam 3. lib. Physicor. non quodlibet indiuisibile motus, sed indiuisibile motus, quod præsupponat motum, & ita cum motus habeat infinitas partes, & infinita indiuisibilia, cum non sit dari primam partem proportionalē motus, non est dari primum moueri; & cum mutatum esse præsupponat moueri, etiam non est, dari primum mutatum esse. Docet tamen dari vltimum mutatum esse, quia datur vltimum indiuisibile motus, atque adeò cum præsupponat motum, iam datur in motu vltimum mutatum esse. Deinde docet indiuisibile continui non moueri per se, sed ad motum sui continui.

In secunda parte huius lib. probat Arist ot. in indiuisibili temporis, scilicet in instanti, neque esse motum, neque quietem. De motu probat, quia motus intra eandem mensuram qua fit potest esse velotior, & etiam tardior: sed in instanti nulla potest esse maior velocitas, aut tarditas, ergo neque motus. De quiete verò probat, quia quies est priuatio motus, & ita dum mobile quiescit, moueri poterat: sed non potest esse motus in instanti, ergo neque quies: hæc continet in summa litera.

(?.)

DIS-

tamē terminatiua. Tenet Du rān. in .2. d.2.q.4. vbi dicit, quātitatem nullo reali super addito indigere, vt finiatur, & terminetur: cuius fundamentum est, quia adhuc ablato vltimo indiuisibili terminatiuo quantitas manet finita: nam ex eo quod ab illa auferatur indiuisibile, vltimum, non habet plus, sed potius minus: si ergo manet finita, ergo terminata, ergo frustra ponitur indiuisibile ad terminandam quantitatem.

Vera sent. Tertia tamen, & vera sententia nobis tenenda est, in quantitate de facto dari indiuisibilia, nō solum continuatiua partiū quātitatis, sed terminatiua etiam, scilicet puncta, lineas & superficies. Sic docet in hoc libro Arist. sæpissimè & in capite de quantitate, vbi disputat de lineis, & superficiebus, & dicit partes continui copulari aliquo termino communi, & 5. met. cap. 13. docet in quantitate, & iam reperiri pūcta prorsus indiuisibilia. Idē docet. 1. de generatione cap. 2. & sępe alibi, quem cōmuniter expositores secuntur hoc loco. Et ratione probatur, imprimis, de indiuisibilibus terminatiuis, quia nisi ponamus corpora habere superficies terminatiuas naturaliter, daretur penetratio dimensionū: & probatur sequella, nā quādo duo corpora se tangunt, aut tangunt se per aliquod vltimū indiuisibile, quoad profunditatem, & sic habetur intentum, scilicet quod detur superficies terminatiua indiuisibilis, quoad profunditatem: si vero tangunt se per aliquā partem diuisibilem, quātum ad profunditatem, aperte sequitur, quod illę partes penetrarētur, quia adhuc per profunditates suas intime se tāgūt, nihil aliud autem est penetrari.

Secunda ratio est, quia quādo videtur corpus perfecte opacum, non videtur color existēs in profunditate illi°, solū enim in corporibus diaphanis potest videri profunditas illorū, vt patet in chrystalo: ergo videtur color existēs in extremitate vltima: ergo datur superficies vltima, in qua videatur color.

Tertio probatur, quia figura recta tantū est in superficie corporis: nā in profunditate, tale corpus indifferens est, vt efficiatur longum, aut rotūdū iuxta diuersā de ablatione partiū, ergo dāt superficies vltima in tali corpore.

Quarto probatur de linea, quia dētur duæ colūnæ perfectè sphericæ tangentes se, illæ

illæ columnę necessariò, tangunt se per aliquid solum diuisibile quoad longitudinē: sed talis dimensio est linea, ergo datur linea. Probatur minor, quia tales columnæ perfectè sphericæ, vel se tangunt per aliquid planum, vel per aliquid præcise longum, non per aliquid planum: quia iam non essent perfecte sphericæ, quia iam habent aliquod planum extensum: ergo tangunt se per aliquid præcise longum, iuxta longitudinem ipsarum, ergo dantur lineæ.

Quinto probatur de punctis ferè simili ratione, quia detur corpus perfecte sphericum, & ponatur super corpus perfectè planum, tunc necessarium est, quod illa corpora se tangant per puncta, nam si corpus sphericū tāgeret planum per aliquod planum, non esset perfecte sphericum, ergo necessario debent se tangere per puncta.

Et ex his reijciiur solutio dicentium, quod tunc corpus sphericum tangeret planum per partē indeterminatim, scilicet minorem, quacunque minima assignabili, quod falsum est: quia quantumcunque illa pars sit minima dummodo quanta sit, si sphericum tāg it planum per illam partem planam, iam tale corpus non esset mathematicè, & perfecte sphericum: ergo debent talia corpora se tangere per puncta omnino indiuisibilia.

Sexto probatur de indiuisibilibus quantitatis successiuę, quales sunt tempus & motus, nam quam plurimæ sunt actiones instātaneæ quæ nullatenus durant mensura aliqua diuisibili, & sæpe probatur in philosophia, ergo illis debet correspondere in tempore aliquid prorsus, & omnino indiuisibile, scilicet instans, ergo etiam tempus habet sua indiuisibilia, & per consequens idem probatur de motu: quia tempus, & motus proportionantur in sua extensione.

Vltimo id probatur de indiuisibilibus continuatiuis: nam si colūna perfecte spherica ponatur in medio corporis perfectè plani, debet tangere illud per lineam longam, correspondentem longitudini colūnæ, aliàs si per planum tangeret non est talis columna perfectè spherica: ergo etiam in medio dantur lineæ cōtinuatiuæ vnius partis cum alia.

De punctis vero probatur simili ratione, si ponatur cor-

pus

pus perfecte sphericum in medio corporis perfecte plani, necessarium est tangere illud in puncto medio. Omitto plures alias rationes minus efficaces, quæ ad hoc propositum adduci possunt.

Res. ad loc. arist. Tandem ad argumenta in contrarium adducta respondetur. Ad locum Arist. dico, quod quando comparat indiuisibilia corporis cum figura Mercurij, loquitur de indiuisibilibus terminatiuis, ita quod sicut figura Mercurij est in extremitate corporis, ita indiuisibilia terminatiua sint in extremitate rei, quam terminant, tamen præter hæc dantur alia continuatiua in medio quantitatis, quibus partes inter se copulantur, & continuantur.

Ad rat. Ad rationem respondetur, quod aliud est loqui de diuersitate partium, aliud vero de discontinuitate illarum, & ita ex eo quod punctum mediet inter duas partes, optime colligitur, quod illę partes sin duæ, & diuersæ, tamen nõ probatur, quod sint diuersæ, & discontinuæ, quin potius sunt vnitæ medio illo puncto, quia de ratione vnitiui est, quod sit nexus, & vinculum medium inter extrema vnita: verum vero vnio, qua punctum vnitur parti, sit aliquid superadditum vtrique, dicam infra quæst. 4. pendet enim ex alibi dicendis.

Ad fund. 2. sent. Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur verum esse quantitatem, adhuc ablato vltimo indiuisibili, manere finitam, vt argumentum probat, & ita habet terminum, quia in tali quantitate possum' assignare aliquam partem aliquotam vltimam: tamen ex partibus proportionalibus non est dabilis vltima, & ita opus est assignare aliquod indiuisibile vltimum, quo talis quãtitas positiuè terminetur.

QVAESTIO II.

Vtrum nõ solum in quantitate, sed etiam in substantia qualitate, & in alijs dentur indiuisibilia.

IN HAC Re auctores omnes, qui negant substantiam habere proprias partes integrales consequenter negabunt habere propria indiuisibilia substantialia, & idem etiam

S f nega-

In substantia, quātitate, & omnibus alijs accidētibus dātur sua propria indiuisibilia cōtinuatiua & terminatiua.

Tamen contraria sententia mihi est prorsus certa, scilicet non solum in quantitate, sed etiam in substātia, qualitate, & omnibus accidētibus corporeis dari sua propria indiuisibilia cōtinuatiua, & terminatiua. Pro qua sententia pauci ex autoribus citari possūt, est enim quæstio hęc noua, ita vt neq; obiter tacta vix apud auctores inueniatur, solū Ioānes de Gandabo hoc lib. q. 2. illam expresse tetigit nostramq; tuetur sententiā, sed vbi auctoritates deficiunt, profecto rationes abūdant.

Dico ergo primo, in substātia dantur propria indiuisibilia substantialia cōtinuatiua, & terminatiua partium substantiæ, scilicet puncta, lineę & superficies substātiales. Et probatur plane primo, quia vt late ostēdimus, tum capite de quantitate, tum etiā 1. lib. phys. disput. 2. substantia habet proprias partes integrales ratione sui, in quas sit diuisibilis, quæ partes sunt interse substantialiter copulatæ, seu continuatæ, & similiter terminantur, ergo similiter cōcedenda sunt in substantia propria indiuisibilia substantialia, quibus tale partes cōtinuētur, & copulētur.

Quod si respondeas, partes substantię continuari, vel terminari per accidens per indiuisibilia terminatiua quantitatis. Contra est, quia Deus potest corrumpere quantitatē manente substantia, absq; aliqua diminutione sui, atq, adeo cum continuatione partium, quam antea habebat; ergo per indiuisibilia propria ipsius substantiæ.

Secundo, quia punctū quātitatis non potest esse inhæsiuè in parte aliqua quātitatis, cui est vnitū: quia repugnat id, quod est prorsus indiuisibile subiectari in subiecto diuisibili, non minus quam repugnat spirituale subiectari in subiecto corporeo, ergo necessario punctum quantitatis est in pūcto substantiæ, & linea & superficies quantitatis in linea & superficie substantiæ.

Tertio, quia quādo duo corpora se tāgūt per superficies vltimas, cū substātia sit, veluti intimè penetrata cū partibus quantitatis, etiam tunc est contactus inter substantias ipsas, sed non se tangūt, quantum ad profunditatem, vt patet, sed per aliquod vltimum: ergo talia corpora habēt superficies vltimas substantiales, quibus se tangūt.

Dico secūdo, etiam in qualitate, & alijs accidentibus corporeis dātur indiuisibilia continuatiua & terminatiua partium illarū. Et in primis, quod in qualitatibus gradualibus dētur indiuisibilia cōtinuatiua & terminatiua partium intēsionis ipsius qualitatis res videtur magis certa, quia qualitas habet propriā diuisibilitatem, quantum ad intensionē in partes graduales, qui gradus intēsiue sunt continui, & determinati: ergo debēt dari in qualitatibus indiuisibilia continuatiua, & terminatiua illorum graduū, vbi non habet locum solutio, quod qualitas habet partes continuas ratione indiuisibilium quātitatis: nam indiuisibilia quantitatis sunt indiuisibilia continuatiua extensionis: ergo non possunt esse continuatiua, aut terminatiua intensionis, quia sicut latitudo intensionis est diuersæ rationis à latitudine extensionis, ita indiuisibilia partium intensionis debent esse diuersæ rationis ab indiuisibilibus partium extēsionis: tamen quod etiam dentur in qualitate, & alijs accidentibus indiuisibilia extensionis, etiam potest probari, quia etiam omnia accidentia corporea, quæ sunt extensa in subiecto quanto, & diuisibili habent propriam extensionem in partes, diuersam ab extensione quantitatis: ergo etiam debent habere propria indiuisibilia continuatiua & terminatiua partium extensionis diuersa ab indiuisibilibus partium quātitatis. Antecedens eisdem rationib⁹ probari potest quibus 1. lib. physicor. disput. 2. ostendimus substantiam ratione sui habere partes integrales substātiales in quas sit diuisibilis. Et breuiter nunc ostendo, quia albedo partialis, quæ est in capite realiter est diuersa ab albedine, quæ est in pede, alias idem numero accidens simul esset in subiectis realiter diuersis, & corrupta albedine, quæ est in pede, necessario corrumperetur albedo, quæ est in capite si est vna & eadem entitas, si ergo illæ partiales albedines distinguuntur realiter: aut est ratione sui, aut ratione quantitatis: non ratione quātitatis, quia sicut albedo non est formaliter ens per entitatem quantitatis, sed per suam intrinsecam entitatē, ita neque potest esse diuersa intrinsecè ratione quanti-

tatis

tatis, quia cum vnum, & diuersum sint passiones entis ab eodem principio habet aliquid esse tale ens, & esse diuersum ab alio: ergo illæ albedines partiales ratione sui sunt diuersæ, atque adeò albedo habet proprias partes extensionis in quas sit diuisibilis.

Secũdo, quia abscisso pede, si deinde fingamus Deũ corrũpere quantitatẽ pedis, manente albedine, quæ erat in illo, tunc talis albedo est realiter diuersa ab albedine, quę remanet in capite, si quidem est abscissa, & diuisa ab illa, & non per aliud, nisi per suam intrinsecam entitatem, quæ sola conseruatur: ergo eadem albedo, quando erat in pede non abscisso, distinguebatur realiter ratione sui ab albedine capitis patet cõsequentia, quia est eadem entitas, ergo accidentia habent partes extensionis realiter diuersas ratione sui, ac per consequens debent habere propria indiuisibilia continuatiua partium extensionis.

Neque ex hoc sequitur, essentiam quantitatis, scilicet habere partes extensas conuenire alijs à quantitate, nam vt sæpe dixi essentia quantitatis, non est quomodocumque habere partes, sed habere partes extra partes, i dest habere partes quæ ex natura rei sint inpenetrabiles inter se, & cum alia quantitate: nam propter molem, quam habet petit ex natura rei talem modum habendi partes, secus tamen contingit in alijs accidentibus, nam duæ qualitates diuersæ, bene possunt quasi penetrari, vt patet de albedine, & dulcedine in lacte, imò si Deus separaret albedinem à quantitate possent citra miraculum eius partes mutuo penetrari; sicut penetrantur de facto cum partibus alterius qualitatis.

Etsi obijcias, id quod communiter doci solet, scilicet accidentia corporea extendi ad extensionem quantitatis. Respondetur longe aliud esse extendi per extensionem quantitatis, aliud vero extendi ad extensionem quantitatis: nam extendi per extensionem quantitatis, significat, talia accidentia nullam habere extensionem propriam, sed formaliter esse extensa in partes per extensionẽ quantitatis, quod falsum est. Tamen extendi

ad extensionem quantitatis, solum significat, quod accidentia habeāt propriam extensionem, tamen accommodatam extensioni quantitatis, ita vt, si subiectum sit longum, albedo habeat extensionem longam, sicut qui dicunt Planetas moueri ad motum Primi mobilis, non dicunt moueri per motum eundem numero, quia est in primo mobili, sed moueri ad motum illius, tamen diuerso motu: quia non potest idem numero motus esse in duobus mobilibus. Vtrum autem secundum veritatem detur aliquis motus raptus ad motum Primi mobilis, dicam in libris de cœlo.

Secundo probari potest conclusio supra posita. Quia quando duo corpora albæ se tangunt, etiam albedines se tangunt, & non secundum profunditatem, quia non penetratur profunditas vtriusque albedinis: ergo tantum se tangunt per superficies vltimas, ergo talia accidentia habent indiuisibilia propria, scilicet superficies lineas, & puncta, admodum quo quantitas illa habet.

Tertio de præsentia locali efficaciter probari potest, quia nisi asseramus in præsentia locali, dari vltimum indiuisibile præsentiæ terminatiuum, nō daretur in locali motu vltimū mutatū, esse quod est falsum, & cōtra Ari. hoc li. vt vidimus. 3. Physic. Sequella probatur, quia cum indiuisibilia motus proportionentur indiuisibilibus termini, si datur in motu vltimum indiuisibile, debet etiā in termino dari, imo idem argumentum, etiam fieri potest de alteratione, quæ terminatur ad quātitatem, nam Arist in omni motu dicit dari vltimum indiuisibile motus.

Ex dictis sequitur, quod sicut materia, & forma sunt diuersæ rationis, ita habent partes, & indiuisibilia diuersæ rationis, & ita sicut pars formæ educitur de parte materiæ, ita indiuisibile formæ educitur de indiuisibili materiæ.

Secūdo sequitur, qđ quia in qualitate dantur duæ diuisibilitates diuersæ rationis, scilicet quo ad intensionem, & quo ad extensionem: ita dantur duo genera indiuisibilia intensionis, & etiam dantur indiuisibilia extensionis: intensionis, quia tota intensio qualitatis est extensa

sa per subiectum, & ita debent dari indiuisibilia continuatiua & terminatiua extensionis, & intensionis.

Tertio sequitur, quod quanuis substantia habeat suas partes, & sua indiuisibilia terminatiua, & continuatiua illarum, non tamen ex se, & seclusa quantitate habet figuram, quia cum figura sit terminus quantitatis, solũ reperitur in quantitate.

R. ad arg. cotrarij sent. Ad 1. Tandem ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur. Ad primum verum esse, quod quando duæ substantiæ continuantur, corrumpuntur quidem duo indiuisibilia substantialia, quæ ante continuationem, illas terminabant, & generatur de nouo aliud continuatiuum substantiale, & ita reuera, ibi intercedit productio aliqua substantialis, tamen talis actio non debet appellari generatio, quia ex communi vsu huius nominis, generatio significat productionem substantię omnino diuisibilis, etiam quo ad profunditatem, ita quod sit corpus substantiale, non tamen significat productionem indiuisibilis substantialis. Similiter actio illa qua corrumpũtur indiuisibilia, quæ antea tales substantias terminabant, non debet appellari absolute loquendo corruptio substantialis propter similem rationem, sed corruptio indiuisibilis substantiæ.

Ad 2. Ad secundum, quod productio illius indiuisibilis materiæ non est creatio. Ratio est, quia quanuis tale indiuisibile non habeat subiectum inhæsionis, cui inhæreat, tamen habet subiectum adhæsionis præsuppositum, ex quo fiat, nam pars, cui tale indiuisibile adhæret est subiectum adhęsionis illius, vt dicam quæstione sequenti, de ratione autem creationis est quod ex nullo subiecto præsupposito fiat, nam quanuis creatio adhęreat termino producto, atque adeò habeat subiectum adhæsionis, non tamen fit ex illo, quia non præsupponitur ante illam, sed potius tale subiectum fit per creationem, in priori vero cassu datur subiectum præsuppositum ex quo tale indiuisibile fiat.

(.?.)

QVAESTIO XII.

Vbi subiectentur in Diuisibilia.

Quid sit in hæsio, quid adhæsio.

SAEPE Repetitum est subiectũ alicuius rei duplex esse, aliud inhæsionis, aliud vero adhæsionis, inter quæ illud est discrimen, quod res quæ est in alio in hæsiuæ est diffusa intime in illo, & quasi penetrata cum illo. Qualiter albedo est intime diffusa per corpus cui inhæret: res vero, quæ est in alio adhæsiuè non est intimè per illud diffusa, sed extra illud, tamen illi adhærens, qua ratione punctum terminatiuum est extra situm lineæ, in alio situ indiuisibili, & ita si proprie loquamur punctum non penetratur cum parte cui adhæret, quia est extra situm illius.

Etsi dicas punctum tangit partem secundum se totum cum indiuisibile sit: ergo penetratur cum illa. Respondetur ad penetrationem propriam, amplius requiri, scilicet, quod ea, quæ se tangunt non sint vnum extra aliud, & quia punctum est extra partem, cui adhæsiue est vnitũ, ideo proprie loquendo non penetratur cum illa.

Duo inquirantur hic.

Hoc supposito in hac re duo inquiri possunt, alterum est, quod subiectum adhæsionis habeant indiuisibilia: alterum vero, quod habeant subiectum inhæsionis.

Circa primũ prima sent. & rationes.

Circa primum, prima sententia esse potest indiuisiuilia non esse in partibus, quas terminant, aut quas continuãt, tanquam in subiecto adhæsionis. Et fundamẽtum esse potest primo: quia eadem res non potest esse in duobus subiectis: sed indiuisibile cõtinuatiuum continuat duas partes, inter quas mediat, ergo non est in illis tanquam in subiecto adhæsionis: imò sequeretur idem indiuisibile posse habere infinita subiecta adhæsionis. Et probatur: quia à puncto existente in centro circuli possunt protrahi infinitæ lineæ vsque ad circunferẽtiam, quia omnes illæ lineæ terminantur in puncto cẽtri: ergo iam illud punctum terminatiuum esset in infinitis partibus in finitarum linearum, quas terminat.

Secundo id videtur probare de indiuisibilibus temporis: nam quando est instans, non

non est pars temporis: nam cum sit successiua, non potest esse in instanti, in quo nulla potest esse successio: ergo tūc instans in nulla parte est adhæsiuæ. Patet consequentia: quia nihil potest esse in subiecto nondum existente.

Tandem tertio, quia indiuisibile non potest subiectari in subiecto diuisibili, aliàs spirituale posset esse in subiecto corporeo: ergo indiuisibile non potest esse in parte diuisibili, tanquam in subiecto adhæsionis.

Dicendum tamen est, omnia indiuisibilia, etiā substātialia esse in partibus, quas terminant, vel continuant tāquam in subiecto adhæsionis, ita quod punctum adhæreat, partibus lineæ, linea partibus superficiei, & superficies partibus corporis. Ratio est: quia nulla forma potest tribuere effectum formalem intrinsece, vbi non est: sed linea intrinsece est terminata, & continuata: ergo indiuisibile quod illam talem denominat, debet esse intrinsece in illa, sed non tanquam in subiecto inhæsionis, quia indiuisibile cum nō possit extendi per subiectum diuisibile non potest esse in illo inhæsio: restat ergo quod talia indiuisibilia sint in partibus quas terminat, aut continuat adhæsiuæ.

Addo tamen, quod quanuis habere subiectū adhæsionis, generale sit omnibus indiuisibilibus, etiam substantialibus: tamen indiuisibilia accidentium præter hoc subiectum adhæsionis, necessario ex natura rei postulant subiectū inhæsionis, cui adæquetur, ita quod punctū quātitatis sit in puncto substantiæ. Ratio est, quia talia indiuisibilia, etsi sint incompleta entia, tamen non sunt substantia, sed accidens: ergo ex natura rei debet habere subiectum cui inhæreant.

Neque argumenta in cōtrarium adducta aliquid probant. Ad primum enim respondetur, nullum esse inconueniens, eandem rem habere plura subiecta adhæsionis imò infinita, vt argumētum probat. Ratio est, quia esse in alio adhæsiuè nihil aliud est quam adhærere alteri: sed punctum existens in centro circuli adhæret infinitis lineis, quæ ab illo protrahuntur ad circunferentiam circuli: ergo nihil mirum, quod sit in illis omnibus adhæsiue, non autem potest eadem res esse in pluribus subiectis inhæsionis, naturali-

ter loquendo, sicut neque potest esse in pluribus locis supernaturaliter, tamen sicut non repugnat, quod idem numero accidens simul constituatur in diuersis locis, ita nō repugnat, quod in illis afficiat diuersa subiecta inhæsionis.

Ad secundum responde tur, indiuisibilia rei successiuæ, verbi gratia, temporis, non eodem modo adhærere suis partibus, ac indiuisibilia rei permanentis: nam quia res permanentes habent omnes suas partes simul in quolibet instanti temporis, indiuisibilia illarum adhærent partibus existentibus in eo instanti, in quo sunt talia indiuisibilia: qualiter punctum adhæret parti lineæ existenti, tunc quando est punctum: tamen, quia indiuisibilia rei successiuæ terminant, aut continuant partem successiuam non existentem in instanti indiuisibili, ideo indiuisibilia temporis, verbi gratia non adhærent parti existenti tunc, sed illi quæ fuit immediate antea, vel subsequitur immediate post, quamtumuis tunc non sit: nec mirum est, quia sicut instans, quod est nunc, terminat partem præteritam, quæ nunc non est, quia immediate sequitur post illam, ita poterit adhærere parti, quæ nunc non est, quia immediate sequitur post illam.

Ad tertium, quod quamuis indiuisibile non possit esse in subiecto diuisibili inhæsiue, quia indiuisibile non potest extendi per illud, tamen potest esse in illo adhæsiue, quia non repugnat indiuisibile adhærere diuisibili.

Secunda dubitatio in hac quæstione examinanda est, quod subiectum inhæsionis habeant huiusmodi indiuisibilia, vbi tantum esse potest quæstio de indiuisibilibus accidentium: nam indiuisibilia substātialia nullibi sunt inhæsiue, sicut accidentia.

Est tamen aduertēdum, quod inter accidentia, quædam sunt, quæ tantum habent diuisibilitatem, quoad extensionem, vt quantitas, alia vero habent duplicem diuisibilitatem, vt qualitates graduales: nam calor, verbi gratia, & est extensus per subiectum, & intēsus in subiecto, & ita quæstio tam potest procedere de indiuisibilibus intensionis, quàm de indiuisibilibus extensionis. *Quid aduert.*

vnde

Assert. 1. Vnde dico primo si loquamur de indiuisibilibus qualitatis quoad intensionem, talia indiuisibilia subiectantur in parte diuisibili subiecti, in qua est talis qualitas intensa. Et probatur: quia intensio graduum qualitatum est intrinsece continuata quoad intensionem, & terminata suis indiuisibilibus intensionis: ergo talia indiuisibilia intensionis debent esse in eodem subiecto in quo est talis intensio, atque adeò cum intensio subiectetur in parte diuisibili quantitatis, etiam indiuisibilia intensionis debent subiectari in eadem parte. Patet consequentia: quia non potest aliquid intrinsece denominari tale per formam, quæ alibi est.

Secundo, quia calor, vt octo, potest successiue introduci quoad extensionem in subiecto aliquo: nam quanuis calor, vt octo sit indiuisibilis quoad intensionem, vt tantus: tamen quoad extensionem subiecti diuisibilis est, & ita potest successiue introduci: ergo indiuisibile terminans intensionem caloris, vt octo est diuisibile quoad extensionem: nam cum calor, vt octo, ferat secum suum indiuisibile intensionis, non potest extendi per subiectum calor, vt octo, nisi eius indiuisibilia intensionis extendantur, neque posset successiue produci calor, vt octo, quoad extensionem: ergo talia indiuisibilia intensionis sunt inhæsiue in subiecto diuisibili. Vnde non mirum est, quod indiuisibilia intensionis sint inhæsiue in parte quanta, & diuisibili: nam quanuis sint indiuisibilia, quoad intensionem, tamen quoad extensionem diuisibilia sunt, & ita non mirum est, quod subiectentur in subiecto diuisibili.

Assert. 2. Dico secundo, si loquamur de indiuisibilibus extensionis accidentium subiectantur inhæsiue in indiuisibilibus substantiæ, non quidem in indiuisibilibus formæ, quia vt primo lib. probauimus, accidentia corporea non subiectantur in forma, sed indiuisibilibus materiæ: sicut ipsa accidentia subiectantur in materia prima, & ita punctum quantitatis est in puncto substantiæ inhæsiue, & linea quantitatis est in linea substantiæ, & superficies in superficie. Alia vero accidentia, quæ inhærent substan-

substantiæ media quantitate tanquam subiecto, *quo*, habent sua indiuisibilia subiectata in indiuisibilibus quantitatis, vt in subiecto, *quo*, & in indiuisibilibus substantiæ, vt in subiecto, *quod*. Probatur conclusio, quia indiuisibile non potest subiectari inhæsiue in subiecto diuisibili, sicut neque spirituale in subiecto corporeo: ergo indiuisibilia accidentium in nulla parte diuisibili possũt subiectari, atque adeò debẽt esse inhæsiuè in indiuisibilibus substantiæ.

Difficultas valde notãda. Sed statim oritur nõ parua difficultas, nam ex dictis sequi videtur, quod duo cõtraria simul sint in eodẽ subiecto: quia detur lignum cuius medietas sit calida, vt sex, altera vero sit frigida, vt sex, si huiusmodi qualitates habent indiuisibilia extensionis, quæ subiectentur in indiuisibilibus quantitatis, sequitur quod in pũcto quãtitatis, quod est in medio ligni, dentur duo indiuisibilia qualitatis: alterum quod terminat extensionem caloris, vt sex, alterũ vero quod terminat extensionem frigiditatis vt sex, Patet consequentia: quia cum huiusmodi qualitates sint contiguæ in ligno, & contigua sint quorum vltima sunt simul, debent dari in illo pũcto medio quantitatis, simul duo indiuisibilia terminatiua illarum qualitatum: illa autem indiuisibilia, contraria sunt, sicut calor, vt sex, & frigus. vt sex, sunt contraria: ergo iam darentur per naturam simul in eodem subiecto duo contraria, quod falsum est.

R. ad diff. Ad hoc argumentum triplex respondendi modus esse potest. Primo, si dicatur in eo casu neutram ex illis qualitatibus habere indiuisibile terminatiuum in pũcto quantitatis, quia vtrumque indiuisibile illarum simul non potest esse in indiuisibili quantitatis: quia sunt contraria, vt argumentum probat: neque alterum ex illis cum non sit maior ratio vnius, quam alterius & ita neutrum esset, sed vtraque qualitas diceretur terminatiua extrinsece per illud indiuisibile quantitatis.

Sed hæc solutiõ non placet, supponit enim falsum principium, scilicet nullam esse maiorem rationem, quare vna qualitas ex illis habeat ibi suum indiuisibile intrinsecum, quo terminetur, quàm alia, vt dicam

in tertia solutione. Quare secundo alij dicunt in illo casu, vtranq; qualitatē habere suum indiuisibile in indiuisibili quantitatis, ita ꝙ ibi dentur illa duo indiuisibilia terminatiua, scilicet caloris, vt sex, & frigiditatis vt sex, quia debent talia indiuisibilia nō esse cōtraria. Nā quāuis duæ partes quantitatis sint ex natura rei incompossibiles in eodē loco, tñ duo indiuisibilia illarum quātitatum penetrari possunt in eodem loco: ita similiter quanuis qualitates ipsæ, scilicet calor vt sex & frigus vt sex sint qualitates contrariæ, & incompossibiles, non tñ indiuisibilia illarum, & ita possunt in eodē indiuisibili quantitatis, esse. Quę solutio etsi longe probabilior sit quā præcedens, tñ non caret serupulo: quia quanuis indiuisibilia extensionis qualitatis sint indiuisibilia quoad extensionē, non tamen sunt indiuisibilia quoad intensionē, qualiter superficies albedinis potest esse magis & minus intensa, non minus quâm tota albedo potest esse magis, aut minus intensa: ergo sicut qualitates contrariantur in gradibus intensis, cum eadem intensio reperiatur cum indiuisibilibus extensionis, reuera talia indiuisibilia erunt contraria, atque adeò vtrumque simul non potest esse in eodem indiuisibili quantitatis. Exemplum autem illud de indiuisibilibus quantitatis valde dissimile est, quia talia indiuisibilia nullam habent causam, quare possint esse incompossibilia in eodem loco, cum tota ratio incompossibilitatis in loco proueniat ex eo quod, aliquid habeat partes extra partes, quibus caret indiuisibile, eo modo quo indiuisibile est, tamen indiuisibilia extensionis qualitatis, cum possint in intensione recipere magis & minus, & contrarietas in qualitatibus proueniat ex intensione graduum, reuera talia indiuisibilia qualitatis habent contrarietatem inter se, & ita sunt incompossibilia in eodem subiecto.

Quare tertium dicendum est in eo casu vtrumque indiuisibile non reperiri simul in in illo indiuisibili subiecti, sed alterum: nam etsi omnia alia sint paria ex parte actiuitatis, & propinquitatis, agentium introducentium in ligno suas qualitates, tamen cum il- Resp. 3. modo.

læ

qualitates, eo ipso, quod contrariæ sunt debeant differre specie, necessario, vna est perfectior alia; & ita illa, ratione suæ maioris perfectionis habebit suum indiuisibile intrinsecum, quo terminetur subiectatum in indiuisibili quantitatis: altera vero qualitas imperfectior tantum erit teminata extrinsece: hoc tamen habet per accidens, quia impeditur per indiuisibile alterius qualitatis contrariæ, & ita non licet inferre, quod illa qualitas natura sua non petat terminum intrinsecũ, sed quod impeditur, ne habeat illum. Sicut aqua potest impediri ab igne ne habeat frigiditatem tam intensam, vt postulat secundum suam naturam: tamen non impedita ab extrinseco, procul dubio illam habebit: Sic similiter illa qualitas imperfectior, si sit sola, neque impediatur à contraria qualitate, ex natura rei habebit terminum intrinsecum, non minus quàm quantitas illum petit.

(.?.)

QVAESTIO. IIII.

Quid sint indiuisibilia, & an sint res, vel modi.

Tria in hac quæstione examinanda sunt Primum vtrum indiuisibilia sint aliquid positiuum secundo vtrum sint entitates realiter diuersę à partibus, quas continuant, vel terminant. Tertio tandem vtrũ sint entitates modales, vel potius res con distinctæ contra modum. *Tria examinanda.*

Circa primum fuit sententia Gregorij, & Gabrielis in. 2. dist. 2. quæst. 2. Ocham tract. de Eucharistia capit. 5. Dur. in. 2. distin. 2. quæst. 4. quos sequitur Valles, quæstione. 34. qui asserunt indiuisibilia in continuo non esse entitates positiuas, sed esse aliquid priuatiuum, ita ꝙ punctum significet carentiam longitudinis: linea vero priuationem latitudinis, & superficies priuationem profunditatis. Cuius sententiæ, nescio quod, aliud fundamentum esse potuerit, nisi quia indiuisibile, vt nomen sonat, idem est quod non diuisi- *Circa. 1. 1. Sent.*

uisibile: sed non diuisibile ceterum dicit: ergo, Hoc tamen fundamentum satis friuolum est: nam sicut in corporeum primario, & formaliter, non significat priuationem corporis, sed entitatem positiuam spiritualem, â qua oritur negatio corporeitatis: sic indiuisibile primario non debet significare priuationem diuisibilitatis, sed entitatem quandam imperfectam, â qua secundario oritur negatio diuisibilitatis & ita Aristoteles. 3. libro de de anima textu. 25: ait, indiuisibile cognosci per priuationem.

Et quod ita sit dicendũ docuit imprimis Aristotel. nam hoc lib. in fine disputat verum indiuisibile moueri possit, quod proculdubio supponit esse aliquam entitatem positiuam: nam de priuatione cum nihil sit, minus bene talis quęstio disputari posset. Propterea quarto libro Physicorum dicit locum esse vltimam superficiem corporis continentis, cuius proprium esse dicit, quod sit æqualis locato: quę omnia supponunt superficiem locantem esse entitatẽ positiuuam.

Et ratione probatur: quia corpora se tangentia, sine dubio in aliquo reali se tangũt, nam per nihil nõ possũt se tangere: sed necessario se tãgũt per indiuisibile, & non per partes, vt probatum est: ergo indiuisibilia reuera sũt aliqua entitas positiua.

Secundo, quia continuum esse continuum & terminatiuum quid positiuum est, & effectus realis: sed hoc fit per indiuisibile: ergo indiuisibilia sunt aliquid positiuum. Nec Aristoteles vnquam docuit oppositum, vt auctores contrarij contendunt: obijciunt enim Arist. capite secundo de motu animalium vbi refellit sententiam asserentium Polos mundi esse quædam indiuisibilia dicens, quod huiusmodi indiuisibilium nulla est subsistentia, neque existentia. Et quarto Physicorum textu. 9 ait punctum non esse in loco. Per quod significare videtur, nihil reale esse. Tamẽ reuera in his locis nihil contra nostram sententiam docuit Aristoteles: nam in priori loco arguit contra asserentes, Polos indiuisibiles cœli mouere ipsum cœlum, & ita ait, quod indiuisibiliũ nulla est subsistentia, neque existentia, intellige, quæ po-

tens

tens sit mouere cœlum, non tamen alia. Similiter quarto Physicorum lococitato optime docet punctum non esse in loco, quem ipse ibi definit, scilicet est superficies vltima corporis continentis, ita quod illi sit proprium esse equale locato: nihilominus punctum est in puncto, saltem imaginario spatij, & ita hoc modo dicitur esse in loco indiuisibili.

Quomodo indiuisibile dicatur esse in loco circa. 2. 1. rat

Circa secundum quod in quirit quęstio scilicet vtrum indiuisibilia distinguátur ex natura rei à partibus, quas cōtinuant, aut terminant, non de sunt qui asserant non distingui ex natura rei à partibus, quas continuant, aut terminant. Sic docuit Ocham, tum in sua logica capite de quātitate, tum etiā in tracta. de Eucharistia cap. 1. & 2. & Greg. in. 2 d. 2. q. 2. cuius sententiæ fundamētum esse potest: quia linea finita, etiam ablato vltimo indiuisibili, manet terminata: nam per ablationē nihil fit maius, quāto magis infinitum? ergo talis linea abq; aliqua entitate super addita habet terminum, & ita falso fingitur terminatiuum lineæ esse aliquam entitatem illi super additam.

Secundo, quia si indiuisibilia distinguuntur realiter à quantitate: ergo poterit De⁹ separare infinitas lineas à corpore aliquo, & ita iam posset dari numerus infinitus in actu: quia in continuo dantur infinita indiuisibilia in actu, vt postea dicam.

Indiuisibi. distinguntur ex natura rei à partib⁹ quas terminant, aut continuant.

Nihilominus dicendum nobis est, indiuisibilia ex natura rei distingui à partibus quas terminant, aut continuant. Tenet AEgidius hoc libro lectione secunda Scotus in. 2. distinctione 3. quęstione. 9. Capreolus distinctione. 2. quæstione. 2. Soncinus S. Thom. quæst. 2. Et probatur primo: quia indiuisibile continuatiuum, quod est inter duas partes, aut est idē realiter cum vtraque parte, quam continuat, aut cum altera tantum: non cum altera tantum: quia non est maior ratio de vna, quàm de altera, cum sint eiusdem rationis: neque cum vtraque: quia sequeretur illas partes non distingui realiter. Et probatur: nam quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se: ergo si illæ partes quantitatis sunt idem realiter cum indiuisibili: ergo sunt idē realiter inter se, cōsequēs autē falsum

est,

est, vt sæpe ostendi: nam cum partes quantitatis, possint ad inuicem separari à parte rei, per diuisionem, proculdubio debent distingui realiter saltem, sicut duo entia partialia. Secundo, quia in intelligibile est eandē prorsus, entitatē esse diuisibilē, & indiuisibilem: sed pars quantitatis diuisibilis est cum sit quanta: ergo impossibile est illā indētificari realiter cū indiuisibili, diuisione quantitatiua.

Tertio, quia impossibile est eandē entitatē simul manere, & corrumpi: sed quādo partes quantitatis, quæ antea erant continuæ diuiduntur, per talem diuisionē corrumpitur indiuisibile continuatiuū, & generātur duo terminatiua illarū partiū, quæ iam sunt diuisæ, & adhuc manēt: ergo impossibile est indiuisibile esse, idem realiter cum partibus quantitatis.

Resp. ad 1. rat. contrarij sent. Ad primum argumentum contrariæ sententiæ respondetur verū esse, quod si à linea finita, auferatur vltimum indiuisibile terminatiuū, adhuc manebit terminata per partem aliquam, aliquotam vltimā, tamen adhuc illa pars aliquota, habet infinitas partes proportionales, in quibus non est dare vltimā, ideo vt demus finem omnino vltimum, opus est vltimo indiuisibili terminatiuo.

Ad 2. Ad secundum dicendum est in primis, Deum non posse auferre à corpore aliquo omnes lineas, manente continuo; quia implicat contradictionem, quod sit continuum sine continuatiuis, sicut album sine albedine: nā continuatiuum, quodammodo se habet, vt forma continuationis ipsius continui: si tamen argumentum intendat, quod Deus possit auferre omnes lineas à corpore aliquo, non tamen manente corpore: quidam admittunt posse fieri: quia non est incōueniens, dari infinitum numerum, in actu entium in cōpletorum, quæ scilicet possint coalescere, in quoddam totum finitum, & limitatum, quales sunt infinitæ lineæ. Sed probabilius videtur, ꝙ quamuis Deus posset separare quamlibet lineam distributiue, non tamen omnes collectiue sumptas: quia tunc sequeretur, posse dari lineam infinitam in actu, si fingamus illas lineas inter se vniri secū dum longitudinem: nam si à corpore pedali, auferantur infinitæ lineæ pedales, ex illis vnitis fieret linea, habens infinitas pedalitates, atq; adeò infinita in actu.

Præcipua diffi.

Sed statim oritur tertia & præcipua difficultas in hac quæstione examinanda, scilicet. Vtrū indiuisibilia distinguantur realiter à quantitatibus quas continuant, aut terminant, tanquam res à re, vel potius tanquam modus; ita quod indiuisibilia sint entitates modales, ita quod per suam essentiam, & absque aliquo super addito vniantur cum partibus, in quibus sunt adhæsiue, & non per vnionem superadditam, iuxta doctrinam de modis traditam, 1. lib. Physic.

1. Sentent.

In qua re, prima sententia affirmat indiuisibilia esse entitates modales, per suam intrinsecam essentiam, vnitas partibus quas terminant, aut continuant, & non per alium modum vnionis superadditum: neque sunt leues rationes, quibus hæc sentētia suaderi posse videtur. Primo, nā si indiuisibile est res vnita, cum partibus quantitatis, per modum vnionis superadditum, sequitur quod in eodē indiuisibili, dentur infiniti modi vnionis simul. Et probatur, quia pūctum existens in centro circuli terminat infinitas lineas, quæ possunt protrahi ab illo, vsque ad circumferentiam, & ita vnitur cum illis infinitis lineis: ergo per infinitos modos vnionis super additos: ergo iā dentur, in eodem puncto infinit modi simul.

Secundo, quia indiuisilia respectu partium, quibus vniuntur, habent rationem formæ, partes vero, quæ vniuntur, habent rationem materiæ, quia denominantur continuæ, & terminatæ à punctis: denominatio vero sumitur ab eo, quod habet rationem formæ: ergo si indiuisibilia vniuntur cum partibus, per modum vnionis, erit inhæsiuæ in partibus, quibus tale indiuisibile vnitur: nam vt diximus 1. lib. Physic. modus vnionis non subiectatur in forma, sed in materia: ex hoc autem videntur, sequi plura inconuenientia. Primum quod cum talis vnio sit quædam dependentia, qua indiuisibile pendet à parte, tanquam à subiecto adhæsionis, iam dependentia puncti à parte erit extra situm puncti, quia talis vnio, seu dependentia est in parte: pars autem, vt supra dicebam, est extra situm puncti, in alio situ diuisibili, impossibile autē est aliquid depēdere ab alio per dependentiam, quæ est extra illud.

Superadditur talis modus vnionis

Secundo, quia sequeretur

tur, quod indiuisibile vniatur, per vnionem diuisibilem; nam cum talis modus vnionis subiectetur in parte diuisibili, debet esse diuisibilis: ergo indiuisibile vnitur per vnionem diuisibilem.

Tertio probatur; quia si indiuisibilia non sunt modi, sed res distinctæ ex natura rei, ab ipso continuo: ergo poterit Deus corrumpere indiuisibilia terminatiua, manente corpore ipso: verbi gratia, poterit corrumpere duas superficies vltimas, duorum corporum: tunc autem videtur impossibile, quod illa corpora se tangant: quia cum non haberent superficies vltimas, quibus se tangerent necessarium esset talem contactum fieri secundum partes profundas, atque adeò iam daretur penetratio dimensionum: ergo naturaliter impossibilis esset contactus inter illa corpora.

Quarto, quia sequeretur partes quantitatis, non vniri interse immediatè, quia mediat indiuisibile quod est res media, & diuersa ab vtraque parte.

Secunda sententia huic extrema opposita est, asserentium, omnia indiuisibilia esse res, & non modos.

Tertia tamen sententia, media inter has nobis tenenda est, neque omnia indiuisibilia esse modos, neque omnia esse res: omnia tamen, indiuisibilia vniri cum partibus quas terminant, aut continuant, per modū vnionis superadditum. 2. Sententia.

Vnde dico primo, in hac quæstione indiuisibilia modorum sunt modi, & indiuisibilia, rerum sunt res: verbi gratia, indiuisibilia quantitatis permanentis, quę res quædam est, & non modus, vt linea, & superficies; indiuisibilia harum quantitatum sunt res: tamen indiuisibilia temporis, aut præsentiæ localis, aut durationis, rei permanentis, & aliarum entitatum, quæ sunt modi; indiuisibilia, talium rerum debent esse modi indiuisibiles. Ratio est: quia si indiuisibilia temporis, verbi gratia, aut figuræ non sunt modi, sequeretur totum ipsum tempus, aut figuram, non esse modos, quia essentialiter integrantur, de suis indiuisibilibus: ergo, vt totum quod resultat ex partibus temporis, & etiam ex indiuisibilibus, il- *Quæ indiuisibilia sunt modi, quæ vero, res.*

 lius,

illius sit modus, necessarium est, quod indiuisibilia illius sint modi, & è cōtra, si calor, aut quantitas continua permanens, est res, & non modus, necessarium est, quod indiuisibilia, ex quibus essentialiter integratur sint res, & non moui. Patet consequentia, quia vnumquodque habet esse tale ex essentialibus sibi.

Et hinc fit, quod indiuisibilia modalia, non vniantur cum subiecto, cui inhærent per alium modum vnionis, superadditum, iuxta doctrinam de modis traditā 1. lib. Physicorum: quia modus in sua intrinseca essentia, dicit actualem coniunctionem cum subiecto, quod modificat, & ita ad hoc nullo superaddito indiget. Ex quo vlterius fit, quod cū modus vnionis, quo vnitur materia cum forma sit diuisibilis, & extensus per materiam in qua subiectatur, indiuisibilia continuatiua partium modi vnionis, non vniuntur cum indiuisibilibus materiæ primæ, per aliam vnionem indiuisibilem superadditam, sic enim procederetur in infinitum, si vnio indigeret alia vnione.

Assert. 2 Dico tamen secundo, omnia indiuisibilia non vniuntur, per suam intrinsecam essentiam cum partibus, quas quas continuant, aut terminant, sed per aliquid superadditum, & ita respectu illarum partium, non sunt modi, sed res, & hoc est, quod præcipue intendit secunda sententia. Probatur conclusio, in primis, de indiuisibilibus rei successiuæ, v. g. temporis: quia tota ratio modi in eo consistit, quod ex sua intrinseca essentia dicat actualem coniunctionem, & vnionem cum re quam modificat: sed indiuisibilia temporis, ex sua essentia non includunt actualem coniunctionem, cum partibus quas continuant: ergo ab illis potius distinguitur, sicut res à re quàm sicut modus rei à re: probatur minor: quia si in instanti: quod de facto continuat, vnam partem temporis cum alia, finiretur tempus, ita quod in illo sisteret, tale instans non vniretur cū parte, quæ aliàs ad ventura esset: quia supponimus nullam talem partem ad venturam esse: ergo instans in sua intrinseca essentia non includit actualem vnionem, cum partibus temporis ad venturis: ergo respectu illarū partium, potius se habet, vt res, quàm vt modus.

Et

Et si inquiras, quid est ergo illud superadditum, quo actualiter vnitur instans, cũ parte subsequenti. Respondetur, quod cum hæc coniunctio instantis, cum parte temporis sit successiua, non est aliud quam quædam immediata successio temporis post instans, absque aliqua entitate distincta, tamẽ quia instans ex sua essentia, non petit quod pars succedat post illud, sed potest hoc impediri, ideo ex sua essentia, non includit vnionem, cum tali parte temporis, & ita respectu illius potius se habet, vt res, quàm vt modus: & quid simile dicendum est, de indiuisibilibus motus, cũ partibus successiuis ipsius, quia tempus, & motus proportionantur.

Secundo probatur conclusio, de indiuisibilibus rerum permanentiũ, v.g. de indiuisibilibus qualitatis. Et probatur simili ratione: quia si calefactio continuè facta perueniat, vsque ad quartum gradum caloris, & ibi sistat: indiuisibile terminatiuum caloris, vt quatuor non vnitur cum parte caloris subsequenti, quia non est talis pars, eo quod supponimus calefactionem sistere in quarto gradu: ergo si talis pars qualitatis, deinde produceretur, indiuisibile qualitatis, non vniretur illi per suam intrinsecam essentiam, sed indigeret aliquo superaddito. Patet cõsequẽtia: quia integra essentia illius indiuisibilis saluari potest, absque parte sequenti qualitatis, atque adeò absque vnione, cum illa: ergo respectu illius non est modus, sed res.

Respõdent contrarij, quod in instanti in quo calefactio fit, vt quatuor est terminatiuum caloris vt quatuor: si vero vlterius procedat calefactio fit in tempore sequenti, aliud indiuisibile continuatiuũ, partis de nouo productæ cum alia præexistenti, & ita numquam indiuisibile, quod erat terminans fit continuãs, sed indiuisibile terminãs vnitur per suam essentiam parti, quam terminat; indiuisibile vero continuatiuum, quod aliud est, vnitur per suam essentiam cum vtraq; parte.

Sed hæc solutio non placet: primo, quia concedit in continua productione caloris, fieri in infinita indiuisibilia terminatiua, statimque corrumpi per aduentum continuatiuorũ, quod profectò videtur chimericum. Tum etiam: quia in quantitate idẽ indiuisibile, quod terminat

vnam partem, initiat aliam, vt patet in linea, vbi punctũ medium terminat primam medietatem, & aliam initiat, & ita vtramque continuat: ergo immerito quid simile negatur, de indiuisibilibus qualitatis, atque adeò indiuisibile terminatiuum vnius gradus erit inceptiuus alterius, & ita continuatiuus vtriusque.

Tertio, quia ex Aristotele hoc libro, textu 37. tempus, & motus proportionantur inter se: ergo sicut pars motus est in parte temporis, ita indiuisibilia motus debent esse in indiuisibilibus temporis, scilicet, in instanti: sed indiuisibile termini fit per indiuisibile motus, vt ostensum est tertio Physicor. ergo indiuisibilia termini, scilicet qualitatis, non fiunt in parte diuisibili temporis, vt hæc sententia admitit.

Quid sint indiuisib.l. Dicendum ergo est omnia indiuisibilia, non esse modos respectu partium, quibus adhærent, sed res quasdam illis vnitas per vnionem super additam: indiuisibilia quidem rei succesiue per immediatam succesionem partis, ad ipsum indiuisibile, & succesionem indiuisibilis ad partem: indiuisibilia tamen rei permanentis, vt punctum, & linea, per modum vnionis superadditum, quia in his non succedit vnum, post aliud in existentia, cum res permanentes habeant omnia sua simul, & ita vnitur indiuisibile parti per modum vnionis superadditum.

Ex dictis infertur indiuisibile terminatiuum, & continuatiuum, non differre specie: verbi gratia, punctum terminans, & punctum continuans: nam cum indiuisibilia vniantur partibus, per modum vnionis supperadditum, bene potest indiuisibile terminatiuum, quod vnitur parti, quam terminat per modum vnionis, vniri per alium modum vnionis, alteri parti aduenienti, ita quod sit medium inter vtramque, & ita alias continuare.

Et si inquiras, quæ sit causa efficiens, indiuisibilium, quando de nouo producuntur. Respondetur in primis, reuera fieri per actionem realiter diuersam, ab actione productiua partis, cui adhærent. Ratio est: quia indiuisibilia sunt entitates, realiter diuersæ à partibus, quas continuant, aut terminant; vt probatum est: ergo debent fieri

per

per actionem indiuisibilem realiter diuersam ab actione productiua partis.

Vnde, quando Aristotel. 8. Metaphysic. textu 14. dicit puncta desinere, & fieri, absque generatione, & corruptione, locus hic Aristotelis, non debet intelligi de generatione, & corruptione, imperfecta indiuisibili, sed de perfecta, de qua actione Philosophandum est, sicut de actione perfecta: nam sicut actio, perfecta, vt diximus 2. Physicorum, non subiectatur in termino, sed in passo; ita actio indiuisibilis, productiua indiuisibilis qualitatis: verbi gratia, non subiectatur in indiuisibili qualitatis, sed in indidisibili quātitatis, vbi subiectatur indiuisibile extensionis qualitatis, & ita actio productiua indiuisibilis quantitatis, subiectatur, in indiuisibili materiæ, vbi subiectatur indiuisibile quantitatis.

A quo producantur diuisibilia. Dico secundo, indiuisibilia produci effectiue ab eodem agente, à quo producūtur de nouo partes, quibus adhærent. V. g. idem agens quod producit calorem producit indiuisibilia caloris. Ratio est: quia non posset tota calefactio tribui igni, aut totus calor continuari, nisi indiuisibilia calefactionis & caloris ab illo causarentur.

Secundo, quia tota illa calefactio est motus cōtinuus: ergo sicut agens incessanter in partibus temporis producit partes termini, ita idem agens, absque eo quod in instantibus desistat à tali actione, debet producere in illis indiuisibilia termini, per indiuisibilia motus, quæ sunt actiones indiuisibiles, hac enim ratione optime intelligitur, agens semper, & continuò operari.

Dico tertio, etiam pars diuisibilis præsupposita indiuisibili, quod aduenit effectiuè attingit ad productionē illius. *Assert. 3.* Ratio est; quia sicut subsistentia effectiuè dimanat à natura, quia est terminus substantialis illius, vt vidimus lib. 1. Physicorum, ita punctum dimanare debet à linea, & linea à superficie tanquam termini connaturales illarum.

Dixi tamen notanter *pars præsupposita*, quia pars qualitatis, quæ aduenit post productum iā indiuisibile qualitatis, non fit ab illa tale indiuisibile, quia talis pars iam præsupponit indiuisibile illud productum: quare tale

sicut diximus 1. lib. Physicorum: modum vnionis etiam esse intime in forma; tamen adhæsiue. Neque hoc mirũ est: quia sicut subiectum, quod est causa materialis aliquando est intime penetratum cum forma; nempe quãdo est subiectum inhæsionis; qualiter corpus est intime penetratum cum albedine sibi inhærente, aliquãdo vero est extra sitũ illius, scilicet quando est subiectũ adhæsionis: qua ratione pars, quæ est subiectum adhæsionis pũncti est extra situm pũcti; sic etiam ipsa vnio, seu dependentia, quæ debet recipi in causa materiali, quando recipitur in subiecto adhæsionis potest esse extra situm puncti, tamen intime illi adhærens.

Ad 2. inconueniens. Ad secundum inconueniens respondetur etiam nõ esse mirum, quod indiuisibile vniatur per vnionem diuisibilem: nam anima rational vnitur materiæ primæ per vnionem diuisibilem receptam in materia prima, vt vidimus 1. lib. Physicor. verum est quod paritas non tenet in omnibus: nam anima rationalis est in tota materia, punctum vero non adæquat toti parti, sed est in illa in determinate; ita quod vnio puncti cum parte non fiat in aliqua parte certa, & determinata, sed in determinate vnitur cũ parte. Et hinc vlterius fit, quod talis vnio, quæ subiectatur, in parte sit in parte incerta, & indeterminata in minori, & minori parte, & ita infiniti illi modi vnionis, quibus diximus punctum existens in centro circuli vniri cum infinitis partibus linearum non sunt modi aliquoti, & determinati, sed omnino in determinati, sicut tale punctum vnitur partibus in determinatis lineæ, atque adeò, sicut nullum est inconueniens dari infinitas partes indeterminatas, & proportionales in quantitate, ita neque dari infinitos modos vnionis indeterminatos.

Ad 3. Ad tertium argumentum respondetur verum esse posse Deum corrumpere duas superficies vltimas terminatiuas duorum corporum manentibus illis, & tũc duobus modis possemus intelligere quod illa corpora se possent tangere primo positiue per penetrationem profunditatum, & hic cõtactus esset miraculosus: quia penetratio corporum miraculosa est, adhuc ablatis terminatiuis: quia adhuc illæ quantitates

Tt 5 habe-

haberent partes extra partes, & ita partes ex natura rei sunt impenetrabilies inter se, & cum alijs partibus. Alio modo possent illa corpora se tangere negatiue, ita quod nihil mediaret inter illa, non tamen penetrarentur profunditates, & hic cótactus negatiuus naturalis esse posset per omnimodam aproximationem vnius corporis ad aliud.

Ad 4. Ad quartum respondetur negando consequétiam: quia partes quantitatis, non ideo dicuntur immediate vniri, quia nulla res mediat inter illas, sed absque media quantitate diuisibili, ea diuisione quam habent partes. V.g. partes lineæ dicuntur immediate vniri, quando nulla pars lineæ mediat, & partes superficiei, quando & si mediet linea non tamen superficies, & sic de partibus corporis: quia continuatiuum, vt continuatiuú, est, non est quantitas, & ita nulla media quantitate dicuntur vniri, atque adeò vniuntur immediate: & hæc de hac quæstione.

QVAESTIO. V.

Vtrùm continuum componatur ex solis indiuisibilibus.

IN hac quæstione antiqui Phylosophi in ea fuerunt sententia, vt crederent continuum componi ex solis indiuisibilibus, diuersimode tamen: nã Democritus, & Leucipus dixerunt, omnia corpora componi ex athomis, quas dicebant Physice esse indiuisibiles, idest non in partes sensisibiles Empedocles vero teste Plutarco lib. 1. de placitis Phylosophorum cap. 13. asseruit in elementis, ex quibus mixta componuntur dari quædam fragmenta minima indiuisibilia, ex quibus tandem ipsa elementa sint composita, Ceno vero, & Pithagoras alio modo dixerũt continuum componi ex indiuisibilibus: dicebãt enim lineam ex solis punctis constare, & superficiem ex solis lineis, ac tandem profunditatem ex solis superficiebus. *Placita aliquorũ Philosophorũ.*

Quæ sententia etiam post tempora Aristotelis, reuiuixit: nec desunt efficaces ratio-

rationes ad illam probandam.

Primo: quia si fingam' corpus perfecte sphericum poni super corpus perfecte planum; tunc vt supra diximus tale corpus tangeret planum in puncto: fingamus ergo secundum illud punctum continuo trahi, & moueri per planum; ergo postquam tetigit primum punctum, etiá deinde tangit punctum, atque adeò signum est illam magnitudinem ex solis indiuisibilibus componi.

Secundo, quia si continuum non potest componi solum ex indiuisibilibus, maxime, quia indiuisibile nom facit maius, & ita non esset vnum continuum maius alio: sed hoc est falsum: ergo dicendum est componi ex indiuisibilibus. Probatur minor: quia si res aliqua corrúpatur à Deo immediate ante hoc instans, tunc res quæ durat adhuc in hoc instanti magis durat, quia durat tantum quantum illa, & aliquid amplius: ergo iam instans indiuisibile facit maiorem durationem.

Tertio, quia quantitas discreta, scilicet numerus componitur ex indiuisibilibus diuisione discreta, scilicet ex vnitatibus: ergo etiam cõtinuum poterit componi ex indiuisibilibus diuisione cõtinui. Nihilominus iam receptissima omnium sententia est continuum non posse componi ex solis indiuisibilibus, sed necessario habere partes; diuisibiles ex quibus etiam integretur: sic tenent communiter interpretes cum Aristot. hoc lib. in principio.

Dico ergo primo, certum debet esse, continuum non esse aliquid omnino simplex, sed potius esse compositum quoddam: quam cõclusionem stato cótra quosdam, qui vt refert Algacel, libro primo, suæ Logicæ asseruerunt continuum omnino esse simplex, omni carens compositione, quod prorsus falsum esse, facile potest ostendi: nam illud habet realem compositionem quod integratur ex entitatibus diuersis, compositio enim est distinctorum vnio: sed in continuo includuntur entitates realiter diuersæ: nam cum quælibet pars sit separabilis ab alia, debet distingui realiter ab illa: ergo continuum actu est quid compositum. *Assert. 1.*

Dico secundo continuum nó cóponitur ex solis indiuisibilibus, sed necessariũ est præter *Assert. 2.*

præter indiuisibilia habere partes diuisibiles, & quantas: & vt omittam plures rationes minus efficaces, quæ ad hoc probandum à quibusdam adducuntur, probatur primo ratione Aristot. Quia indiuisibile nõ facit maius: ergo si linea v. g. integratur ex solis punctis nõ esset vna linea maior alia, neque occuparet spatium lõgum. Antecedens probatur: quia pũctum vnitum cum alio puncto necessariò penetratur, quia tangunt se secũdum se tota, cum non habeant partes: ergo infinita puncta immediate vnita non occuparent, nisi tantum spatiũ puncti: ergo si linea ex solis pũctis constaret, neque occupare posset spatium diuisibile secundum lõgitudinem, neque posset vna linea esse maior alia, & similis ratio fieri potest ad probandum, quod superficies non componatur ex lineis; quia non posset occupare spatium diuisibile secũdum latitudinem: nam etiam duæ lineæ se tangentes per longitudinẽ penetrantur, quia tangunt se secundum se tota, scilicet secundum longitudinem, & idem argumentum fieri potest ad probandũ, quod corpus non componatur ex solis superficiebus.

Secundo probatur: quia omnis linea est diuisibilis in duas medietates æquales: sed si linea constaret ex solis punctis, hoc nõ esset possibile: quia si essent in lea puncta in numero impair, v.g. nouem, si diuidatur, necessario debent esse in vltima medietate plura puncta, nam vt sint æqualia deberet manere in qualibet parte quatuor, & dimidium punctum, & ita punctum esset diuisibile.

Tertio, quia sequeretur idem spatium ęquali tempore per transire à mobili velocissimo, & à mobili tardissimo. Probatur sequela, quia si tale spatium componitur ex indiuisibilibus, ponamus ergo habere quatuor pũcta: tunc sic, si tale spatium per transitur à mobili tardo tempore quatuor instantium: ergo à mobili veloci debet per transiri tempore duorum instantium; hoc autem est impossibile in cassu dato: nam indiuisibile non potest breuius per transiri, quàm in instanti, quæ est mẽsura omnino indiuisibilis, atq; adeò quatuor indiuisibilia non possunt per transiri, nisi quatuor instantibus: ergo eadem debet consumere mobile

bile velocissimum.

Et si dicas quod in vno instanti in quo mobile tardum per transit vnũ indiuisibile spatij, mobile velox per trãsit duo indiuisibilia. Contra est, quia dum velox per transit vnum indiuisibile, vel mobile tardum per transit totũ illud, vel non: si totum per transit eodem tempore, eadem ratio erit de secundo puncto & de alijs, & sic vtrũque mobile æquali tempore mouebitur per illud spatiũ: si autẽ ex duobus mobilib⁹ quæ simul incipiunt moueri, dum mobile velox per trãsit vnum punctũ, aliud quod tardum est non per trãsit totum punctum: ergo per transit partem, & ita iam punctũ esset diuisibile in partes. Nã si dicas nihil tunc per transiri à mobili tardo. Contra est quia tunc nõ moueretur, sed quiesceret: supponimus autem vtrumque mobile simul incipere moueri: ergo si vnũ moueretur, tunc etiam alterum: ergo reuera impossibile est spatium continuum componi ex solis indiuisibilibus.

Quarto de quantitate successiua, vt de tempore etiã probari potest non componi ex solis indiuisibilibus, nam quodlibet temp. v. g. hora est diuisibilis in duas partes equales; hoc autem esse non posset, si demus constare instantibus in numero impari v g. quinque aut septem instantibus, vt supra in simili argumentabar de linea: nam si haberet quinque instantia, altera medietas haberet duo instantia, altera tria, & ita non posset diuidi in partes equales: nam dicere quamlibet medietatẽ habere duo, & dimidium, est impossibile, cum instans sit omnino indiuisibile; neque opus est in re tam certa amplius argumentari, legantur de hac re plures aliæ rationes apud Toletum hoc lib. quæstion. 1.

Ex dictis sequitur, quod in continuo non dantur duo indiuisibilia immediata: nã si in lineã post punctum sequeretur aliud punctum, etiam post illud esset aliud, cũ non sit maior ratio vnius quam alterius, & sic tota linea componeretur ex solis punctis: ergo in continuo necessario post indiuisibile sequitur pars, & post partem indiuisibile, ita vt indiuisibile continuatiuum interiaceat, inter duas partes, quas vnit. Et hinc vlterius fit ... dicebam, quod ... repugnet

dari continuum sine indiuisibilibus terminatiuis, implicat tñ dari sine cótinuatiuis. Primo, quia non esset cótinuum, quia non habet cótinuatiua: ergo esset continuum, & non continuum.

Secundo, quia si omnia continuatiua possunt auferri à continuo daretur quantitas diuisa, & discontinua in omnem suam partem, quod implicat contradictionem: quia quælibet pars, eo ipso quod quanta est, debet esse diuisibilis: ergo implicat dari cótinuum diuisum in omnem suam partem, cum hoc tamen optime stat, quod sit diuisibile in infinitum, non quidem in omnē suam partem, sed non in tot quin in plures, & plures.

Secundo ex dictis sequitur, quod quando Mathematici dicunt lineam ex ductu puncti cognosci, non dicút fieri ex ductu puncti, ita ꝙ ex solis punctis intelligatur constare, sed dicunt cognosci ex ductu puncti, vt intelligamus qua ratione tátú sit diuisibilis secúdú lógitudinē. Tertio, ex dictis sequitur optime posse concedi continuum componi ex indiuisibilibus, scilicet non ex illis solis. Ratio est, quia continuum in suo esse non solum integratur essentialiter ex partibus diuisibilibus, sed etiam ex indiuisibilibus, cú essentia continui essentialiter inuoluat continuationem: ergo vere dici potest continuum etiam ex indiuisibilibus componi, quamuis non sint partes, quia saltem sunt vnitiua partium; sicut vere dicimus, substantiam completam integrari, seu cóponi ex materia, & forma, & etiam ex modo vnionis.

Tandem ad argumenta cótrariæ sententiæ, respondetur; ad primum sunt qui dicant, quod si corpus perfecte sphæricum moueretur per corpus perfecte planum punctú corporis sphærici sé per tangeret in puncto planī, & ita dicunt moueretur per saltus ab vno puncto in aliud non tangendo partem intermediam. *R. ad argū. contrariæ sent. ad 1.*

Hæc tamen solutio friuola est, tum quia posset Deus tale corpus continuo moueri, & non per saltus, sed semper contiguum plano, ita quod semper aliquid illius tágeret: tum etiá, quia male negat indiuisibile non posse tangere partem diuisibilem, id enim necessario fatendú est in motu cuiuslibet corporis: nam in illo motu continuo; punctum postquam

tetigit

tetigit pũctum spatij, necessarium est, quod tangat partem, quia punctum coniunctum cum suo continuo nõ potest moueri per saltus, quando tale continuum per saltus non mouetur: ergo adhuc indiuisibile coniunctũ, si continuo mouetur cũ corpore cui adhæret, necessariũ est, quod tangat partem.

Quare dicendum est tale punctum corporis sphærici, postquam tetigit punctum spatij, immediate post tangere partẽ successiue per suũ motum, tamen tangit illam semper inadæquate, quia nõ adæquatur illi.

Et si obijcias: nam si tangit totam partem inadæquate, debet tangere adæquate aliquid illius: sicut si corpus est inadæquate in gymnasio aliqua pars æqualis illi corpori correspõdet illi adæquatæ: ergo similiter si post pũctum tãgit partẽ inadæquate, adæquate debet tangere aliquid illi correspondens: sed punctum non potest adæquari, nisi puncto: ergo tangit punctum, post punctum.

Respondetur negando paritatem rationis: quia inter diuisibile, & diuisibile potest esse proportio, nam etiã si vnum sit minus alio, tamẽ necessario in corpore maiori est aliqua pars æqualis corpori minori, quam corpus minus adæquate tangat, quãuis tangat totum in adæquatæ: tamen inter indiuisibile, & diuisibile nulla est proportio, & ita punctum, quando non tangit punctum, sed partem diuisibilem, nihil tãgit adæquatæ, quo vsque ad aliud punctum perueniat.

Ad secundum respondetur quod quando res aliqua durat vnico instãti amplius quam alia, tale instans non facit maiorem durationem, sed facit plus, idest talis res præter durationem temporaneam quam habuit antea, habet de nouo aliam durationem indiuisibilem diuersæ rationis à præexistenti, & ita duratio diuisibilis, quæ fuit antea nõ fit maior: sicut si lineæ addas de nouo aliud punctum, linea illa procul dubio habet plus quam antea, non tamen est maior quia hoc tantum fit per partes diuisibiles, tamen habet illa linea aliquid amplius diuersæ rationis, scilicet punctum, quod non est linea, neque pars lineæ.

Ad tertium esse diuersam rationem: nam cum quantitas discreta nõ petat partes continuas, imo diuersas, ideo quantitas discreta componi

ponitur ex vnitatibus, quarum quælibet non est diuisibilis diuisione discreta, scilicet in alias vnitates; quia vna vnitas non facit numerum: tamen quantitas continua non dicit componi ex quibuscunque partibus, sed ex partibus cõtinuis, & quia duo indiuisibilia immediata non possunt facere continuationem, quia necessario penetrantur, & ita vnum nõ est extra aliud, ideo impossibile est continuum componi ex indiuisibilibus diuisione continui, sed potius debet habere partes cõtinuas.

QVAESTIO. VI.

Vtrùm in continuo sint infinita indiuisibilia, & infinitæ partes in actu, vel non.

1. Supposit. SVppono imprimis in cõtinuo reperiri actu partes, & indiuisibilia, & non tantum in potẽtia, vt falso docuit Valles cõtrouersia 22 & 37. & Fonf. 5. Met. cap. 13. quæst. 6. sectione. 4. & imprimis hoc nõ obscure docuit Aristot. 5. Met. text. 18 dicens, *Quantum esse diuisibile in ea, quæ in sunt*, idest quæ actu sunt in illo, & capite de quantitate dicit: *Continuum esse cuius partes copulantur termino communi*: Sed non possunt actu copulari termino communi, nisi actu sint: ergo reuera continuum actu habet partes. Et ratio est aperta: quia continuum actu habet esse: sed habet esse à suis partibus: ergo actu habet partes ex quibus in suo esse integretur. Vnde quando Aristot. 7. Met text. 49. dicit in continuo esse duas medietates in potentia, solũ intendit, quod medietates, quæ sunt in aliqua quantitate non sint actu entia totalia, sed potentiá tantũ, quia possunt diuidi, & post diuisionem erunt tota quædam.

Suppono secundo, nõ minus esse falsam sententiam Soti. 3. Physicorum, quæst. 3. & 4. & Pereir. lib. 10. cap. 9. & aliorum, qui nescio quo ducti fundamento asserunt asserunt partes continui nõ esse actu entia, nam imprimis nescio qualiter negari posset, quod caput in homine actu non sit aliquid ens. 2. Supposit.

Secundo, quia totum habet esse à suis partibus: ergo necessarium est, quod vt totum resultans ex partibus sit actu ens, quod partes ex quibus integratur actu habeant

beant aliquam entitatē, quia ex nihilo nihil fit: loquimur autem de continuo permanenti: nam tempus non habet omnes suas partes simul sed successiue, sicut ipsum tempus quid successiuū est. Neq; D. Thom. vnquam docuit oppositum, vt sine fundamento Authores cōtrarij existimant: nam 1. lib. Physi. quæst. 9. & in 4. sententiarum dist. 10. quæstion. 1. articul. 3. solum dicit partes actu non esse entia totalia, quod verum est: quia sunt actu partes, tamen reuera sunt actu entia partialia.

Et si obijcias: nam illud quod est actu ens; est actu vnum, vnum autem est indisum à se, & distinctum à quolibet alio: sed partes continui non sunt actu diuisæ, sed potius vnitæ, & cōtinuę: ergo neque sunt actu entia. Respondetur quod vnū est divisum à quolibet alio, idest diuersum à quolibet alio ibi enim diuisio, idem significat, quod distinctio, & ita verum est omnes partes continui esse actu distinctas inter se realiter, & à parte rei, non sunt duo entia totalia, sed partialia, & ita distinguuntur realiter partialiter, vt sæpe ostensum est: quælibet enim est à parte rei separabilis ab alia, & contingit partem aliquā de nouo produci, aliam vero corrumpi, quod impossibile esset: si tales partes non haberent entitates realiter diuersas: nam impossibile est eandem entitatem simul generari, & corrumpi, & similibus rationibus facile ostendi potest indiuisibilia actu esse in continuo, alias non esset actu continuum, nisi actu haberet cōtinuatiua, & etiam esse actu entia, quia continuum etiā ab illis partib⁹ haberet esse.

Supposito ergo quod in continuo sint actu partes, & actu entia, est deinde apud Authores controuersia: an huiusmodi partes, & indiuisibilia sint infinita, an vero tātū in potentia; nam Ferr. 3. Physicorum, quæstion. 6. Iabelus, quęst. 10. & Toletus hoc lib. quæstion. 1. asserunt in continuo non esse partes infinitas in actu, sed tantum infinita in potentia, & similiter tantum esse indiuisibilia infinita in potētia nō tamen actu infinita. Quæ sententia his rationibus suaderi videtur. Primo, quia totū habet esse a suis partibus: ergo si in continuo dantur partes infinitæ in actu, sequitur continuum ex illis resultans esse infinitū, ꝙ est falsum.

1. Sentent.

1. Ratio.

 Secun-

Secũdo de indiuisibilibus vrgẽtius probari potest: quia in infinito nõ potest dari primũ, neq; vltimũ aliàs infinitũ haberet principiũ, & finẽ atq; adeò esset finitũ: sed in linea datur primũ, & vltimũ punctum, quibus clauditur tota linea: ergo impossibile est, quod in linea sint infinita puncta.

Tertiò id probant, quia dicunt infinito non potest fieri additio: ergo si in cõtinuo dãtur partes infinitæ in actu & infinita indiuisibilia non posset illis fieri additio, & ita nõ possemus alicui quãtitati alias partes addere, quod est manifeste falsum.

Quarto est specialis ratio de indiuisibilib⁹, & satis difficilis: quia si in cõtinuo dãtur infinita indiuisibilia, videtur sequi esse impossibile ꝙ corpus aliquod rarefiat, & maiorẽ occupet locũ; nisi in eo producatur noua quantitas, cuius contrarium ostendimus, quarto libro Physicorum, distinct. 2. Et probatur sequella: quia si corp⁹ ante quã rarefiat habet infinita indiuisibilia intra spatiũ vnius palmi: ergo talia indiuisibilia correspondent infinitis indiuisibilibus illius palmi, non secus quam partes corporis correspondent partibus spacij: ergo quando deinde rare fit, & occupat maiorẽ locũ extra spatium palmi, debent in illo produci noua indiuisibilia correspõdentia indiuisibilibus spatij quod de nouo acquiritur. Patet consequentia: quia indiuisibilia illius palmi sufficienter correspondent indiuisibilibus infinitis talis corporis: ergo alia indiuisibilia debent produci de nouo, vt illud corpus repleat nouum spatium, in quo sunt plura indiuisibilia, quàm in priori spatio: sed illa indiuisibilia non producuntur sola sine quantitate: ergo nõ posset corpus quod rarefit maiorem occupare locum, nisi acquireret nouam quantitatem, cum suis indiuisibilibus correspondentib⁹ nouis indiuisibilibus spatij.

Verùmtamen contraria sententia, quæ communis est, à nobis est amplexanda scilicet in continuo dari partes infinitas in actu, & infinita indiuisibilia. Tenet Durandus, & Gregorius in 1. distinction. 43. Albertus de Saxonia 3. Physicorum, quæstione penultima Sotus 3. Physicorum, quæstion. 4. & Plures alij. Pro cuius intelli-

Vera sent.

intelli-

telligentia aduertendum est, quod partes in cótinuo sunt quæ appellãtur aliquotæ, & sũt illæ, quæ habēt certã, & determinatam quãtitaté nó minorem; qualiter in vlna palmus appellatur pars aliquota, quia palmus, vt sic, requirit determinatam quãtitatem: appellantur autem aliquotæ, quia aliquoties repetitæ redunt totum: nam quatuor palmi adæquant vlnam: appellantur etiam huiusmodi partes non communicantes, quia vna est extra aliam: qualiter vnus palmus quantitatis est extra alium palmum, aliàs non erũt duo palmi quantitatis diuersi. Aliæ vero sunt partes proportionales, & sunt illæ, quę non sumuntur in certa, & determinata quantitate, sed minores, & minores in infinitum: appellantur autem proportionales, quia istæ proportione quadam componunt, totum, ita scilicet, quod minores sint inclusæ in maioribus, & sic de alijs: appellantur etiam istæ partes communicantes, quia vnæ communicantur cum alijs: nam partes minores continentur in maioribus, & hinc fit; quod si partem aliquotam diuidas in duas medietates, quanuis illæ medietates habeant in se certam, & determinatam quantitatem, tamen respectu palmi non appellantur partes aliquotæ, quia non habent quantitatem vnius palmi, sed minorem, & ita partes minores non sunt aliquotæ cum maioribus.

Qua ratione dentur partes incõtinuo. Hoc supposito dico primo certum est in continuo non dari infinitas partes aliquotas, idest determinatas, sed duntaxat limitatas, & finitas. Ratio est: quia quodlibet continuum, finitum debet esse; nam infinitum impossibile est, vt vidimus, tertio libro Physicorum: ergo necessarium est, quod habeat finitas partes aliquotas, v. g. finitos palmos, nam si infinitos palmos haberet, non esset finitum.

Quid sit infinitum in actu. Dico tamen secundo, continuum habet partes indeterminatas, & proportionales infinitas in actu, & non tantum in potentia, & eodem modo dantur infinita indiuisibilia. Ratio est, quia infinitum in actu nihil aliud est, quã illud quod ex partibus quas actu habet non habet principium, nec finem: nã si actu habet partes, quæ nunquam finiri possunt, proculdubio sunt infinitæ in a-

ctu: sed continuum potest amplius & amplius diuidi sine fine in partes, quas actu habet: quia continuum est diuisibile in semper diuisibilia: ergo habet partes infinitas in actu: nam infinitum in potentia, vt supra dicebã, non habet actu omnes partes, sed quia potest habere plures ac plures appellatur infinitum in potentia.

Secũdo, quia partes quę sũt actu in continuo non sunt actu finitę, ergo sunt actu infinitæ. Probatur antecedẽs: quia si essent actu finitę possemus in eis dare primã, & vltimã partẽ proportionalẽ, cõsequens autem est falsum: quia cũ quælibet signabilis sit quanta habet partem extra partẽ: ergo est diuisibilis in partẽ priorem, & posteriorẽ: ergo non possumus dare primã, neq; vltimam partem proportionalem. Et simili ratione probari potest dari infinita indiuisibilia † cõtinuatiua illarum partium.

† Quiadãtur infinitę partes: ergo debent dari infinita indiuisibilia.

Quæ omnia simili modo de partibus materiæ, & formæ corporeæ intelligenda sunt, ita quod dentur infinitæ partes materiæ: quia materia etiam est diuisibilis in infinitũ in partes minores & correspondẽt partes materiæ partibus formæ: ergo etiã dãtur in materia, & forma infinitæ partes proportionales, & infinita indiuisibilia. Sed objicies: nã si in cõtinuo dãtur infinita indiuisibilia cõtinuãtia infinitas partes proportionales: ergo vnaquæq; illarũ clauditur duobus punctis, & illis terminatur: ergo sunt partes determinatæ & aliquotę. † Respõdetur ꝙ quãuis illæ partes claudãtur suis punctis, nõ tñ appellãtur partes determinatæ: quia cũ possint sumi minores, & minores, nõ habent æqualẽ quãtitatẽ inter se, & ita ex partib' æqualib' inter se cõtinuũ finitas partes habet; & istæ solum sunt quæ appellantur aliquotę, quia aliquoties sumptæ adæquãt totum, non vero aliæ.

† Et inter se non cõmunicantes ergo dantur in cõtinuo infinitæ partes aliquotæ.

Ex dictis sequitur, ꝙ in cõtinuo sicut dantur infinitæ partes realiter distinctæ, ita dãtur infinitæ relationes diuersitatis numero differẽtes quia quęlibet pars habet suã relationẽ diuersitatis ad aliã partẽ, imo etiã dãtur infinitę relationes specie diuersæ, v. g. in circulo finito, cum possint fieri intra illũ infiniti circuli minores, & minores, dãtur ibi infinitę relationes dupli & subdupli, quæ relationes specie differũt vt docuit Ari. ca. de rel. Neq; mirũ

est:

est: quia hæc omnia includű tur in quadam quantitate in finita corporis plani, in quo infinitos illos circulos, & relationes imaginamus.

R. ad arg. contrariæ sentent. Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur: ad primum, quod quanuis in continuo dentur infinitæ partes proportionales, totű ex illis resultans non est infinitum: quia illę omnes proportionales clauduntur in partibus aliquotis finitis, à quibus quasi immediate cőtinuum habet esse. Vnde solum probatur, quod sit infinitum secundum quid, scilicet secundum partes proportionales, non tamen simpliciter infinitum, quia ad hoc opus esset habere infinitas partes aliquotas.

Ad secundum respondetur distinguendo antecedēs: nam quanuis in rebus infinitis, quæ non componunt aliquod totum finitum non possit dari primum, neq; vltimum, secus tamen est de rebus infinitis incompletis, quæ componunt totű quoddam finitum, qualia sunt infinita indiuisibilia: quia nullo certo numero comprehēdi possunt.

Ad tertium iam vidimus 3. lib. Physicorum, quam sit falsum illud principium, scilicet, quod infinito nulla possit fieri additio, vnde plures hoc tempore, vt vim argumenti subterfugiant, dicunt quod quando aquæ præexistenti addimus nouam particulam, aqua præexistens nő habet plures partes proportionales post talem additionem, sed easdem quas antea habebat, maiores tamē. Nescio tamen qua ratione, hoc capi possit: nam proculdubio negari non potest aquā illam habere nouam partem aliquotam, & nouam particulam aquæ, quam super addimus, sed illa pars aliquota integratur ex infinitis partibus proportionalibus: ergo simul cum illa parte aliquota adueniunt illi aquæ infinitæ partes proportionales de nouo, atque adeò habet plures quàm antea.

7 Secundo, quia saltem hæc solutio non habet locum in punctis; nam aqua præexistens habebat infinitā multitudinem punctorum, & cű particula aquæ de nouo aduenienti adueniunt etiā alia puncta: ergo potest fieri additio infinito, nam hoc dici non potest, quod propria priora puncta sint facta maiora, nam punctum cum omnino indiuisibile sit, non est capax augmenti.

Ad quartú, quod lóge difficilius est respódetur nó esse opus super addere noua puncta, vt corpus, ꝙ rarefit maioré locú occupet, sed púcta præexistétia possunt correspondere púctis nouis spatij, ꝙ acquiritur, quanuis enim, sit necessaria æqualitas inter ea, quæ sibi correspondent, quando finita sunt, nó tamen quando sunt infinita, qualis est multitudo púctorú quæ vtrobiq; existit. Ratio est, quia in infinito, vt vidimus 3. lib. Physi. sunt infinities infinita, & ita sufficiunt infinita puncta illius corporis correspódere punctis spatij quod de nouo acquiritur, quia cú vnum infinitum nó excedat aliud excessu determinato, sed in determinato, vt vidimus loco citato nó est assignare aliquod determinatum punctum, cui non correspondeat punctum corporis præexistentis.

QVAESTIO vltima.

Vtrùm indiuisibile possit dari separatum à cōtinuo & separatum possit moueri.

Quid certū. Circa primú vtrú scilicet indiuisibile posit separari à cótinuo cóueniút omnes, naturaliter loquendo id esse impossibile, quia indiuisibilia sút entitates quædam imperfectæ ex natura rei depédétes à partibus in quibus sunt adhæsiue in genere causæ materialis, atque adeò propter hanc dependentiam non possunt ex natura rei separari à partibus continui, quibus adhærent.

Sed quanuis hæc res sit apud omnes certa, aliqua cótra eá non leué ingerút difficultaté. *Rationis dubitandi.* Primo: quia intellectio naturaliter loquédo potest durare solú per instans, quia nó repugnat aliquem in instanti incipere intelligere lapidem, & immediate post hoc, in tépore sequéti cessare ab huiusmodi intellectione, eo ꝙ intellectus distrahatur ad alia obiecta: ergo in tali intellectione datur instans illam mensurans intrinsece, tamen separatum à tépore, quia cum talis intellectio nó cótinuetur, neq; etiá est tépus cótinuú illá mésurans: ergo iam datur illud instans separatum à tempore.

Secúdo de præsentia locali Angeli potest fieri argumentú, hæc enim ex nostra sententia est diuisibilis, salté ex parte spatij, & ita habet partes, & indiuisibilia correspondétia indiuisibilibus spatij:

tij: sed potest Angelus cum indiuisibilis sit esse in pũcto spatij amittẽdo præsentiã diuisibilẽ quã alias habebat in partibus diuisibilibus spatij: ergo tũc dabitur indiuisibile præsentiæ separatũ à suo cõtinuo, scilicet à præsentia diuisibili. Tertio, quia tẽpus cũ successiuũ sit nõ potest esse in instãti diuisibili: ergo quãdo est instãs nõ dabitur tẽpus: ergo datur indiuisibile separatum à continuo.

Quorundã solutio. Ad primũ argumentũ qui dã existimant intellectionẽ, & alias actiones spirituales mensurari tempore: dicũt in eo cassu illã intellectionẽ durantẽ tãtũ per instãs non mẽsurari mẽsura intrinseca, scilicet in instanti sibi intrinseco, sed mensurari extrinsece instanti tẽporis. Primi mobilis, & ita non probari, quod detur indiuisibile separatũ à cõtinuo; quia tale instans est in tẽpore quod primum mobile in suo motu consumit.

Reijcitur solutio. Hęc tamen solutio duo cõtinet falsa, alterum est, illam intellectionem non mensurari aliqua duratione intrinseca: nã intellectio temporanea mensuratur aliqua duratione diuisibili: ergo & intellectio instantanea debet mẽsurari aliqua duratione indiuisibili intrinseca, siue talis intellectio sit continuanda tempore sequenti, siue non: nam dicere, quod si illa intellectio sit continuanda tẽpore, mensuratur in instanti, in quo incipit intrinsece; si autem non sit cõtinuanda, minime, ridiculum videtur est enim dicere tale instans diuinari, an talis intellectio continuanda sit, vel non.

Secundo minus placet, quod hæc sententia asserit, scilicet intellectionem non mensurari tempore: nam vt supra vidimus 4. lib. Physic. res per manentes habent aliã durationem intrinsecã, qua mensurantur, maxime diuersam à tẽpore, quod tamẽ mẽsurat motum successiuum habentem partem post partem, qualis non est intellectio, aut quæuis alia res permanens, cum habeat totum suum esse simul: ergo intrinsece intellectio nunquam mensuratur tempore, sed alia duratione, qua mensurãtur res permanentes, quę à quibusdam appellari solent tempus discretum. Legãtur dicta loco allegato, vbi plura diximus de differentia inter tẽpus, & hanc durationem.

Quare ad primũ, & secũdũ argumẽtũ, ꝙ similẽ cõtinẽt difficultatem. Respondetur Angelũ duob' modis posse *R. ad 1. & 2. argum.*

 haberę

habere præsentiam in puncto spatij: vno modo per indiuisibile præsentiæ terminatiuum præsentiæ diuisibilis, & sic non potest esse in illo puncto, quin simul sit in spatio diuisibili per præsentiá diuisibilem, quia sicut punctum naturaliter nó potest separari à linea, ita neq; punctum indiuisibile præsentiæ à præsentia diuisibili: alio modo potest esse in solo puncto per quandá præsentiam indiuisibilem, tamé natura sua completam: sicut ipse Angelus, & si indiuisibilis, completus est, quę præsentia non est terminatiua alterius, & hãc habet Angelus quando est in puncto solo spatij: non vero habet illam præsentiam incompletam, quæ terminat præsentiã diuisibilem: vnde non probatur dari indiuisibile præsentiæ separatum à suo continuo. Similiter duobus modis potest intellectio habere durationem in instanti indiuisilem: vno modo imperfectam, quæ natura sua sit terminatiua, aut inceptiua durationis diuisibilis, quæ est in tempore, & hæc non potest dari sine suo continuo, scilicet, sine duratione diuisibili, eo modo quo non potest dari instás separatú à tempore: alio vero modo potest intellectio habere durationé in instanti indiuisibilé: tú natura sua perfectá, & nó ordinatá ad cóponendam durationé diuisibilé, & hãc habet, quando tantum durat per instans: vnde non probatur dari indiuisibile separatum à suo continuo.

Ad tertiú respódetur verú esse, quod in successiuis, quale est tépus nó est aliqua pars diuisibilis téporis, quádo est instás, neq; etiam est aliqua pars successiua motus in instáti, in qua est mutatú esse, quod est indiuisibile motus, tú nó ideo datur indiuisibile separatú à continuo: quia quãuis túc nó sit pars successiua diuisibilis, tú necessariú est, ꝙ simul immediate antea præcesserit, ꝙ contingit quádo tale indiuisibile est terminatiuú alicuius partis, vel immediate postea subsequitur talis diuisibilis pars, vt cótingit in primo indiuisibili motus, quando datur, túc enim necessariú est post illud sequatur pars, ne detur separatú à suo cótinuo: neq; neq; enim opus est in successiuis, ꝙ quádo sunt indiuisibilia illorú, tunc sint partes successiuę: quia huiusmodi entia successiua nó habent simul suas partes, & indiuisibilia;

bilia; sicut per manētia, & ità satis est, quod vniātur per immediatā successionem vni⁹ post aliud. His ergo suppositis. Dico primo, in hac quæst. de potentia absoluta Dei, nō repugnat dari indiuisibile separatū à suo continuo. V.g. quod detur punctum, aut linea separata à corpore. Quæ sententia facile potest probari suppositis his, quæ supradiximus, scilicet, omnia indiuisibilia esse res, & non modos respectu partium, quibus adhærent: si enim sunt res quædam, cùm sint entitates realiter diuersæ à partibus, vt probatum est supra, & perinde habeant suas existentias partiales diuersas, ab existentiis partium, nullam inuoluit contradictionem, quod talia indiuisibilia dentur separata à suo continuo, licet indiuisibilia modalia, qualia diximus esse indiuisibilia motus, & temporis, nō possent dari, absque subiecto inhæsionis in quo sunt, adhuc per Diuinam potentiam, iuxta doctrinam generalem de modis: tamen à partibus continui respectu quarū omnia sunt res, & non modi, non implicat cōtradictione separari, quia vniuntur partibus per vnionem superadditam, qua priuari possunt à Deo.

De potentia Dei non repugnat dari indiuisibile separatū à continuo.

Circa 2. dub. quæst.

Circa secundum, quod inquirit quæstio, scilicet. Vtrū indiuisibile separatum possit moueri: conueniunt omnes indiuisibile omninoquale est punctum, nullo modo posse moueri motu augmentationis: quia pūctum est incapax augmenti: alia tamen indiuisibilia, quę secundum aliquā dimēsionem diuisibilia sunt, etiam certum est, posse moueri tali motu augmentationis; quia linea potest fieri maior, & etiam superficies.

Res certa circa alterationem indiuisibilis.

Secundo conueniunt omnes indiuisibile coniunctum cū suo continuo alterari posse, non quidem recipiendo qualitatem diuisibilem secūdum trinam dimensionem, hæc enim non potest recipi, nisi in subiecto diuisibili, secūdum trinā dimensionē, vt patet; nullum autem indiuisibile est diuisibile secundum trinam dimensionem: quare huiusmodi indiuisibilia coniuncta cum suo continuo, solum possunt alterari recipiendo indiuisibile qualitatis illi simile; ita quod superficies corporis recipiat superficiem albedinis, & punctum corporis, punctum albedinis: ostendimus enim indiuisibilia qualitatis, quo ad extensionem recipi in indiuisibilibus quātitatis, & illis proportionari.

Similiter indiuisibilia coniuncta cum suo toto mouentur: motu locali acquirendo indiuisibile præsentię, nó vero præsentiam totalem diuisibilem secundum trinam dimensionem: hæc enim postulat subiectum diuisibile, ad tres dimensiones, & ita patet, quod puncta, & alia indiuisibilia, quæ sunt in corpore mouentur motu realiter diuerso ab illo, quo mouetur totum: nam motus totius, acquirit præsentiam quandam totalem complectam, diuisibilem ad tres dimensiones: at vero motus indiuisibilis, solum acquirit præsentiam indiuisibilẽ proportionatam ipsi indiuisibili, quod mouetur. Tum, quia in generali loquendo, impossibile est, res realiter diuersas esse præsentes, per eãdem numero præsentiam: quia non potest idem accidẽs, ex natura rei esse in duobus subiectis: sed indiuisibilia, habent entitatem realiter diuersam à partibus, & etiam partes inter se realiter distinguuntur: ergo, non habent eandem præsentiam localem, ac per consequens, neque eundem motum localem acquisitiuum, illius præsentiæ.

Addo tamen, quod quando punctum mouetur cum suo toto tangendo, successiue partem diuisibilem spatij, tunc successiuè acquirit præsentiam quandam diuisibilem saltem ex parte spatij, indiuisibilem tamen ex parte subiecti, ad modum quo supra diximus præsentiam Angeli esse indiuisibilem, ex parte subiecti, diuisibilem, tamen, ex parte spatij: quia cum punctum per motum successiuum, pertranseat spatium diuisibile, necessarium est acquirat præsentiam diuisibilem, saltem, ex parte spatij.

Quid aliud certum.

Tertio, certum esse debet indiuisibile coniunctũ, quando corpus aliquod alteratur, & si recipiat indiuisibile qualitatis quo ad extensionem, recipere tamen gradus diuisibiles qualitatis, & recipere aliquid diuisibile, quo ad intensionem: quod adhuc de puncto verum est. Primo, quia intensio qualitatis est extensa per subiectum: ergo vt talis intensio sit extensa continuò, debet recipi in indiuisibilibus inter mediis continuatiuis, & ita sicut albedo, potest esse magis, & minus intensa; ita punctum albedinis receptum in puncto quantita-

tis

tis, potest esse magis, & minus intensa.

Secundo. Ratio à priori est: quia non repugnat aliquid esse indiuisibile quoad extensionem, diuisibile tamenquo ad intensionẽ, vt supra ostendimus: ergo non repugnat punctum quantitatis, recipere punctum albedinis, indiuisibile quidem quo ad extensionem, tamen tamen diuisibile, quo ad intensionem. Quod clarius cernitur in superficie, videmus enim albedinem existentem in superficie parietis, posse esse magis, & minus intensam.

Maius dubium de motu indiuisibilis. Maius ergo dubium est. Vtrum, indiuisibile separatum moueri possit. Partem negatiuam tenet Auerroes, 4. Physic. comment. 32. & hoc lib. textu. 36. Ægidius super textum 87. Capreol. & Gregorius in 2. distinct. 2. Sotus hoc lib. quæst. 4. cui sententiæ videtur fauere Aristot. hoc lib. text. 72. & 86. & sequentibus, vbi ex professo probat, quod indiuisibile separatum, non possit moueri: & probat duabus rationibus, prima est: quia cum pũctum mobilis, tangat punctum spatij, si punctum possit moueri separatum, semper tangeret punctum spatij, & ita illud spatium continuum, componeretur ex solis punctis.

Tract. dubitandi.

Secunda ratio est, quia mobile dum mouetur partim, debet esse in termino à quo, partim in termino ad quem. Et probatur: quia dum est in termino à quo, nondũ mouetur, quando vero iam est in termino ad quem, iam non mouetur: quia iam acquisiuit terminum ad quem: ergo mobile dũ mouetur partim, debet esse in termino ad quem: sed punctum caret partibus: ergo repugnat punctum separatum moueri.

Tertio probari potest, eadem sententia, quantum ad motum alterationis: quia qualitas corporea, qualis est calor, non potest subiectari in subiecto omnino indiuisibili, quale est punctum, aliàs etiam posset subiectari in Angelo: ergo indiuisibile separatum, non potest alterari recipiendo qualitatem aliquã.

Vera sent. Secunda tamẽ, & vera sententia à nobis tenenda est, scilicet, indiuisibile separatum, posse moueri saltem, de potentia supernaturali Dei. Quam sententiam tenet Scotus, in 2. dist. 2. q. 9. Marsilius q. 12. Vallles, controuersia 38. & plures alij.

Vnde

Sed instabis: nam punctum separatum ex natura rei haberet præsentiam alicubi: verbi gratia, in alio puncto: ergo absque miraculo haberet indiuisibile præsentiæ. Respondetur verũ esse, quod ex vi prioris miraculi à suo continuo retinet tale punctum, præsentiam indiuisibilem, aut indiuisibile qualitatis, quod habebat dum erat coniunctum, tamen de nouo, non potest accipere aliud indiuisibile præsentię: quia nullum est agens naturale, quod producat indiuisibile separatum à partibus, sed potius omnia agentia naturalia ordinantur ad producendum terminum diuisibilem: sicut dicebamus 4. lib. Physicorum, quod si vnum corpus ponatur in duobus locis, ex vi huius miraculi haberet corpus in secundo loco omnia accidentia mobilia, quæ iam antea habebat in primo loco, antequam poneretur in duobus locis, tamen agens, quod est in vno loco non possit de nouo producere aliquid in corpore, prout existente in alio loco sine nouo miraculo, quia tale corpus est extra sphęram suę actiuitatis.

Secundo, mihi non videtur inefficax ratio, quæ ad hoc probandum etiam adduci solet, scilicet, quia agens naturale corporeum, cum requirat passum, sibi proportionatum per naturam, solũ potest agere in corpus diuisibile, secundum trinã dimensionem, & ita non posset agere in punctum, lineam, aut superficiem separatam, agit tamen in hæc indiuisibilia, quando sunt coniuncta cum suo continuo per accidens, inquantum dum agit in subiectum continuum, opus est agere in continuatiua illius, vt ita effectus continuus euadat: verum est, quod vt paulo antea dicebam, diuersa actione agit in indiuisibile, & in partem diuisibilem, tamẽ non potest actionem in indiuisibili causare, nisi cũ actuali dependẽtia ab actione, qua agit in partẽ diuisibilẽ: quia per se ex natura sua ordinatur ad producendum effectũ diuisibilem.

Dico secundo, de potentia supernaturali Dei; & per nouum miraculum non repugnat indiuisibile separatũ moueri quouis motu. Ratio est, quia nõ repugnat dari indiuisibile separatum à continuo: ergo non repugnabit per Diuinam potentiam punctum separatum alterari, recipiendo indiuisibile qualitatis *Quod tenendum est.*

tatis separatum à suo continuo. Et similiter indiuisibile præsentiæ localis separatum à præsentia locali continua, imò, vt antea dicebam, non repugnat punctum separatum habere præsentiam diuisibilem ex parte spatij, quando pertransit partem diuisibilem spatij; semper enim, quod pũctum mouetur postquam tangit punctum spatij, necessarium est, quod tãgat partem diuisibilem, cum non sint duo indiuisibilia immediata, & ita in hoc nulla est differentia de puncto separato, & coniuncto, vt falso quidam arbitrati sunt asserentes punctum separatum moueri non posse: quia necessario semper tangeret punctum, & ita spatium continuum, quod pertransit, componeretur, ex indiuisibilibus. Quæ ratio nullam habet vim: nam si aliquam haberet vim, etiam probaret punctum coniunctum moueri non posse, si necessarium est punctum, semper tangere punctum.

Dubium. Sed dubitabis, an punctũ separatum, non solum possit per Diuinam potentiam recipere indiuisibile qualitatis, sed etiã possit recipere qualitatem diuisibilem. Respõdetur in primis, posse recipere qualitatem diuisibilem, quod ad intensionẽ: nam vt supra ostendimus indiuisibilia extẽsionis, quæ habet qualitas, quãuis sint indiuisibilia, quo ad extensionem, tamen quo ad intẽsionẽ diuisibilia sunt: sicut è contra ostendimus indiuisibilia intensionis, esse diuisibilia quo ad extensionem, & ita punctum albedinis, quod recipi posset in pũcto quantitatis separato, posset habere maiorem, & minorem intensionem, sicut de facto illam habet punctum cõtinuatiuum: si autem quæstio sit. Vtrum etiam qualitas diuisibilis quo ad extensionem, posit per Diuinam potentiam produci in pũcto indiuisibili: probabilius videtur, id non repugnare de potentia absoluta: nam sicut de facto in Sacramẽto Eucharistiæ, tota quantitas Christi Domini ponitur indiuisibiliter, in quouis puncto Hostię, secundũ veriorẽ Theologorũ opinionem; ita non repugnat omnes partes extẽsionis qualitatis redigi in punctũ, & ita à Deo produci in puncto qualitatis: imo neque video euidentem implicationem, quod qualitas corporea subiectetur in Angelo, ita quod Angelus præstet suam causalitatẽ materialẽ ad conseruandam quali-

qualitatem corporeã: verum est, quod si rerũ naturaliũ exigentiã attendamus, id est, maximedisonũ, non tamen ideo est denegãdũ Diuinæ Omnipotentiæ, cui non est impossibile, totam Christi quantitatem in puncto Hostiæ ponere, vt vidimus.

Resp. ad ratio. contrariæ sent. Ad argumenta cõtrariæ sententiæ respõdetur in primis, quod dũ Aristot. hoc lib. loco citato, asserit indiuisibile separatũ non posse moueri, loquitur de potẽtia naturali, non de potentia supernaturali Dei, de hac enim sæpe dixi nihil nouit Arist. & ita ad primam rationẽ respondetur, *Ad 1.* falsum esse assumere principiũ, scilicet, quod punctũ separatum, semper deberet tãgere pũctũ spatij, sed potius post punctum tangeret partẽ succesiue, semper tamen inadæquate, vt dixi, neq; opus est omnes rationes Aristot. esse adeò efficaces, vt quibusdã placet, quia in hac parte illũ conantur defendere, plura satis ab eius mente aliena machinantes.

Ad 2. Ad secundã respondetur, quod illa propositio. Omne quod mouetur, partim est termino à quo, & partim in termino ad quẽ; distinguẽda est: nam si illa particula *partim* sumatur ex parte mobilis, ita vt sensus sit, quod pars mobilis debet esse in termino à quo, & pars in termino ad quẽ, est falsa, vt patet de Angelo, qui, & si indiuisibilis sit, potest in opinione omniũ moueri localiter, & ita quid simile faci le intelligitur de pũcto: si vero illa partialia *partim* sumatur ex parte termini, itaquod habeat partim termini à quo, & partim termini ad quẽ, vera est, quãdo terminus ad quẽ succesiue acquiritur, & per partes, tunc enim antequam producatur, vltimate terminus, habet partim termini ad quẽ, & partim termini à quo: nã cũ non sit vltimate productus terminus ad quẽ, etiã nõ est vltimate expulsus terminus à quo, & ita mobile partim est in termino ad quẽ, & partim in termino à quo.

A d tertiam iam vidimus, *Ad 3.* qualiter de potentia absolute, punctum separatũ capax sit indiuisibilis qualitatis, immò, & qualitatis diuisibilis.

Solet tandem in hac disputatione tractari. Vtrũ in motu, & tempore detur primũ, & vltimum indiuisibile, idq; disputat Aristotel. hoc lib. textu 46. egimus tamen de hac re latius 3. Physi. disput. 1. & ita hæc de indiuisibilibus dicta sufficiant.

DIS-

DISPVTATIO SECVNDA, DE INCEPTIONE, ET DESITIONE RERVM NATVRALIVM.

HAEC Disputatio nō minus vtilis est, quàm pręcedens; & quia omnia entia tantum sunt in duplici differentia, aut enim sunt succesſiua, aut permanentia; ideo duabus tantum quæstionibus illam expediā, altera quidem de rebus succesſiuis, altera vero de rebus permanentibus.

QVAESTIO I.

Quomodo incipiant, & desinant res succesſiuæ.

PRO cuius intelligentia aduertēdum est, duplicē esse incipiēdi, & desinendi modum, vt vidimus 1. lib. Physic. alterū intrinsecum, alterum vero extrinsecum: nā res aliqua, vel potest incipere per primum sui esse, & est quando incipit in instanti, in quo est verum dicere. Nunc est res, & immediate antea nō fuit, & ita tale instans appellatur primum esse rei, quia tunc primo habet esse, & appellatur hic modus incipiendi intrinsecus, quia cum res incipiat in instanti in quo est, incipit in instanti intrinseco sibi. Alio vero modo potest res aliqua incipere per vltimum non esse, & est quando incipit in instanti, in quo est verum dicere. Nunc non est res, & immediate post hoc erit: hic modus incipiendi appellatur extrinsecus, quia in illo instanti non est res, dicitur tamen tunc incipere extrinsece; quia tale instans, est vltimum non esse rei, & ita ab illo extrinsece inchoatur esse rei, tamen res, quæ sic incipiunt, intrinsece incipiunt in tempore sequēti post tale instās, & quia in tali tempore, non datur prima pars, quæ sic incipiunt non incipiunt per primum sui esse. *Duplex modus incipiēdi res, & desinendi.*

Siml-

Simiter desinendi etiam est duplex modus, alter intrinsecus, scilicet, per vltimú sui esse, & est quando res desinit esse in instanti, in quo est verum dicere. Nunc est res, & immediate post hoc non erit, & ita dicitur tunc desinere, non quia tunc non sit, sed quia túc est vltimum esse rei, & ita in illo instanti desinit intrinsice. Alio vero modo potest res aliqua desinere per primum non esse rei, & est quando desinit in instanti in quo est, verum dicere, nunc non est res, & immediate antea fuit, & ita illud instans appellatur, primum non esse rei ex quo vlalterius fit, quod quæ incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse desinunt, & incipiunt in instanti intrinseco sibi: quæ vero incipiunt per vltimum non esse, & desinunt per primum non esse, incipiunt & desinunt in instanti extrinseco sibi.

Etsi inquiras, an sint idem inceptio rei & productio illius. Respondetur quod nó: nam quando res incipit per vltimum non esse, tunc est inceptio illius extrinseca, productio tamen rei erit immediate post hoc in tempore sequenti, & est quædam actio realis & Physica: ergo non sunt idem.

Secundo notádum est rē aliquam duobus modis posse incipere, & desinere esse, scilicet vt tantum, & absolute: tunc res aliqua incipit, vt tanta, quando incipit in determinata quantitate, nó maiori, neq; minori, qua ratione vlna, vt tãta indiuisibilis est: tunc vero res aliqua incipit, aut desinit absolute, quã non sumitur incerta & determinata quantitate, sed incipit, aut desinit absolute per partes. *Quod not.*

His suppositis dico primo, res succesiuas, vt tempus & motus, vt tanta incipere per primum sui esse, & desinere per vltimum sui esse. Ratio est, quia res vt tanta est indiuisibilis, qualiter vlna vt tanta indiuisibilis est: nam in mĩnori quantitate nó est vlna: ergo res vt tanta non potest fieri succesiue, & per partes: ergo incipit per primum sui esse, ita vt sit verum dicere, nunc est tempus tantum & immediate antea non fuit tantum, vbi non intendimus quod totum tẽpus quod est tãtum, verbi gratia, hora, sit tota in instanti, vt patet. sed quod consumatur in instãti, nam in tempore immediate ante illud instans non possu- *Assert. I.*

mus dare partem vltimam, & ita immediate ante tale instans, nunquam fuit verum dicere cõsumatam fuisse horam, vsq; ad instans terminatiuum horæ: & eodem modo desinit vt tanta per vltimum sui esse: nam verificatur, nunc est hora tãta, & immediate post hoc in tempore sequenti non erit tãta, sed maior: ergo res successiuę vt tantæ incipiunt & desinunt per primum & vltimum sui esse, &c.

Assert. 2. Dico secundo res successiuas absolute sumptas habere modum incipiendi, & desinẽdi extrinsecum, scilicet, per vltimum non esse, & primum non esse. Quæ conclusio receptissima est apud omnes, habet enim euidentem rationem: quia de ratione rei successiuæ est habere partẽ post partem, & ita repugnat ꝙ habeat esse in instãti: quia in instãti indiuisibili nõ põt esse successio aliqua, sed quę incipiunt per primũ sui esse, & desinunt per vltimum sui esse habẽt esse in instãti: quia verificatur de illis, nunc est res, & immediate antea non fuit aut immediate post hoc nõ erit: ergo repugnat omnino res successiuas incipere per primũ sui esse, & desinere per vltimum sui esse: quæ ratio etiã probat de potẽtia absoluta Dei, nam adhuc de potẽtia absoluta Dei, nõ põt successiuum esse in instanti, quia successio nullo modo potest esse in indiuisibili.

Dub. de inceptione & desitione quietis. Sed dubitabis, quomodo incipiat, & desinat quies, quæ opponitur motui. Respondetur quietem esse duplicem, alteram negatiuam, alterã vero priuatiuã, quies priuatiua est carentia motus, quãdo poterat esse motus, & ita appellatur priuatiua, quia priuatio est carẽtia formę, tamẽ cũ potẽntia ad illã: quies vero negatiua est carẽtia motus, quando non potest esse motus: qualiter in instanti est quies negatiua, quia motus successiuus, de quo nũc loquimur, non potest esse in instanti.

His suppositis dicendum est, quietẽ priuatiuam necessario incipere per vltimũ non esse, & desinere per primum non esse, quietem vero negatiuam incipere per primum sui esse & desinere per vltimum sui esse. Et probatur in primis de priuatiua, quia quies priuatiua est carẽtia motus, quando motus poterat esse: sed motus successiuus non potest esse in instanti: ergo neque quies priuatiua potest esse in instanti, sed

potius

potius necessario est in tempore, sed quæ incipiunt per primum sui esse, aut desinũt per vltimum sui esse habent esse in instanti, quia verificatur de illis, nunc est res: ergo impossibile est quietem priuatiuam incipere per primũ sui esse, aut desinere per vltimum sui esse, sed potius incipit per vltimum non esse, ita vt sit verum dicere, nunc non est quies priuatiua, & immediate post hoc erit, & desinit per primum non esse, ita vt sit verum dicere, nunc non est quies priuatiua, & immediate antea fuit in tempore successiuo. De quiete autem negatiua, probatur, necessario incipere per primum sui esse, & desinere per vltimum sui esse: quia quies negatiua est carentia motus, quando non potest esse motus: sed motus potest esse in tempore, & non in instanti: ergo quies negatiua non potest esse in tempore: ergo nõ potest verificari de illa, nũc non est est quies, & immedia te antea fuit, aut immediate post hoc erit: quia immediate post instãs sequitur tẽpus, in quo non potest esse quies negatiua: ergo neq; potest incipere per vltimũ nõ esse, neq; desinere per primũ nõ esse, debet ergo incipere per primũ sui esse, ita vt sit verũ dicere, nunc est quies negatiua & immediate antea non fuit: similiter desinit per vltimũ sui esse, quia est verũ dicere quando desinit, nũc est quies negatiua, & immediate post hoc non erit.

Ex quo vlterius fit, q in quouis motu continuo dãtur infinitæ quietes negatiuæ: nã cũm in singulis instãtibus illi⁹ temporis, quo durat motus, non possit esse motus, tunc sunt quietes negatiuæ, & ita quies negatiua non est sufficiens ad discontinuãdos motus, sed sola quies priuatiua, quæ est quies tẽporanea: nã in quouis motu quãtũuis cõtinuo per singula instantia necessario quiescit mobile quiete negatiua.

Sed obijcies: ergo in singulis instãtib⁹ illi⁹ tẽporis, quo motus cõtinuatur, agens, q causat illũ motũ nihil agit: ergo discõtinuatur motus per cessationẽ mouẽtis.

Respondetur negando antecedens: nam vt vidimus 3. lib. Phys. in singulis instãtib⁹ tẽporis, quo durat motus sunt indiuisibilia motus, quę appellari solent mutata esse, & sunt mutationes quædam indiuisibiles producentes indiuisibilia continuatiua partiũ diuisibilium termini:

& ita adhuc in illis instantibus agens non cessat ab operando: quia quanuis tunc nō causet partem aliquam successiuam motus, tamen causat mutationes indiuisibiles cōtinuatiuas partiū motus, & productiuas indiuisibiliū, quibus continuantur partes termini. Verbi gratia, quanuis calefactio successiua nō sit in instanti, est tamen tūc mutatio indiuisibilis producens indiuisibile præsentiæ localis, quo vna pars præsentiæ continuatur, cum alia, & ita totus motus euadit continuus.

QVAESTIO. II.

Quomodo incipiant, & desinant res permanentes.

Res permanentes appellantur illę, quę habent oēs suas partes simul existentes, & non successiuas. Huiusmodi autem res permanentes, vel sunt substantia, vel accidens, & de vtrisque quæstio disputāda est. Et in primis circa accidentia notādū est, accidens aliquod dupliciter posse incipere, aut desinere esse, scilicet vt tantum, & absolute, vt in simili diximus iam de successiuis.

Vnde dico primo, quoties cunq; accidens aliquod incipit, aut desinit, vt tantū, necessario incipit per primum sui esse, & desinit per vltimū sui esse. Ratio est: quia accidens vt tantū nō pōt incipere aut desinere per partes: quia in minori quātitate nō est tantū: ergo vt sic est indiuisibile, atq; adeò debet incipere esse aut desinere esse in instanti indiuisibili.

Est tñ dubiū, qualiter debeat summi illa particula, *Vt tantum*, quando dicimus, accidens vt tātū incipere per primū sui esse, & desinere per vltimū sui esse: nā pōt sumi, *vt tantum*, intensione secūdū quod accidentia, vt qualitates duplicem possunt habere diuisibilitatē, scilicet, quoad extēsionē, & quoad intensionē. Sunt enim qui existimēt sufficere, esse vt tantū in intēsione vt producatur accidens in instāti per primū sui esse, aut desinat per vltimum sui esse, quia calor, v.g. vt quatuor vt sic, indiuisibilis est: ergo debet incipere & desinere in mēsura indiuisibili. Dubi.

Hæc tñ sententia falsa est, nā quanuis calor vt quatuor sit in diuisibilis quoad intensionē, tñ quoad extensionē diuisibilis est: ità quod prius intro-

introducatur in vna parte subiecti, quâm in alia: ergo bene pôt calor, vt quatuor successiue produci quoad extensionem.

Quare dicendum est: illā particulam, vt tantum etiam debere sumi secundum extensionem, ita quod intēsio caloris, vt quatuor in tanto subiecto incipiat per primū sui esse, & desinat per vltimū sui esse. Ratio est, quia vt sic non potest incipere, aut desinere in tempore per partes, quia in minori non est tantū ergo debet incipere per primum sui esse, & desinere per vltimum sui esse, & ita verificatur, nunc est calor, vt tantus, & immediate antea in tēpore præcedenti non fuit tātus: quia sicut in tali tempore non est dare vltimam partem, ita neque in qualitate fuit dare vltimam partē productam, & ita in instanti incipit esse tanta per quoddam indiuisibile qualitatis tunc productum, quo fit tanta determinate.

Assert. 2. Dico secundo qualitates absolute sumptas, vt in plurimum incipere per vltimum non esse, & desinere per primum nō esse. Ratio est, quia si qualitates generentur aut corrumpantur à contrario incipiunt, & desinunt successiue, & per partes, sicut motus, imò etiam si non habeāt contrarium contingit produci successiue: qualiter lumē, etsi natura sua aptum sit produci in instanti, de facto tñ successiue producitur in diuersis partibus medij, iuxta successiua in applicatione luminosi ad partes medij. Et similiter, successiue corrumpitur per successiuam ablationē luminosi: nam dimouetur ab spatio aliquo, vel illi applicatur per motum localē sucbesiuum: dixi tamen, vt in plurimum: nam qualitates aliquando producūtur in instanti per primum sui esse, qualiter risibilitas, & aliæ potentiæ hominis incipiūt, sicut ipse homo per primum sui esse: idem etiam est de qualitatibus spiritualib⁹, vt de scientia, & speciebus intelligibilibus, hæc enim omnia natura sua incipiunt per primum sui esse, quāuis non repugnat etiam incipere per vltimum non esse, vt in simili dicam postea de Angelo.

De actionibus & passionibus etiam dicēdum est, actiones instantaneæ, imò & omnia indiuisibilia incipere per primum sui esse, & desinere per vltimum sui esse. Ratio est: quia huiusmodi actiones &

& passiones instātaneæ incipiunt & desinunt sicut instās in quo sunt, instās autē incipit per primū sui esse: quia de illo verificatur, nūc est instās & immediate antea nō fuit. Similiter desinit per vltimū sui esse quia de illo verificatur, nunc est instās, & immediate post hoc nō erit: quia immediate post hoc sequitur tēpus: ergo actiones & passiones instātaneę, & indiuisibilia omnia, quę producūtur & corrumpuntur in instanti incipiunt per primū sui esse, & desinunt per vltimū sui esse, vtrum autē indiuisibilia adhuc ex natura rei possint alio modo incipere dicā postea, actiones autē & passiones successiuæ necessario incipiunt per vltimū non esse, & desinūt per primū nō esse, vt ostēdimus in vniuersum de rebus successiuis.

De relationibus dicēdū est aliquādo produci per primū sui esse, qualiter relatio filij ad patrē incipit esse in illo instāti, in quo incipit esse viuēs per primū sui esse, aliquādo incipit p vltimū nō esse, qualiter relatio diuersitatis, quā dicit vn⁹ mot⁹ ad aliū, quę incipit simul cū ipso motu, necessario debet incipere per vltimū nō esse, sicut ipse mot⁹. De quātitate cū secūdū nos sit coæua materię, & in generabilis & incorruptibilis, vt pote, quæ est subiectū cōmune ad qualitates quātūuis cōtrarias dicēdū est, nūquā per naturā incipere, aut desinere loquimur tn̄ de quātitate permanēti, nā quātitates successiuę vt tēpus & mot⁹ sæpe incipiūt & desinūt, eius tn̄ indiuisibilia scilicet pūctū, linea, & superfities đ nouo sæpe incipiūt & desinūt, pūctū quidē ex natura rei petit incipere & desinere in instāti: quia omnino indiuisibile est: linea vero & superficies: quia absolute loquēdo, aliquādo producūtur, & corrūpuntur successiue: qualiter quando duæ aquæ paulatim cōtinuātur successiue producitur superficies cōtinuatiua illarū, & successiue corrūpūtur superficies terminatiuę, aliquādo vero in instāti producuntur, vt quādo duæ aquæ post applicationē localē vniūtur in instāti simul per oēs partes, tunc generatur simul superficies in instāti per primū sui esse, & tūc est primū non esse superficierū terminātiū, quæ erant antea: nā vt infra dicā primū esse vnius, est primū nō esse alterius: nā in eodē instanti, quo aliquid incipit primo esse per partes incipit corruptum non esse.

Difficilib⁹ est inuestigare, quem modū incipiendi, & desinen-

desinendi habeāt substātiæ: possunt autē substātiæ incipere, vt tātæ, & absolute. Vnde certū est substātiā & rem omnē vt tātā incipere per primū sui esse, & desinere per vltimū sui esse, quia vt tāta est indiuisibilis, & ita cū non desinat, aut incipiat per partes producitur per primū sui esse, & desinit p vltimū sui esse.

Solū ergo est dubiū, quomodo incipiāt & desināt substātiæ absolute sumptæ. Dico primo viuētia incipiūnt per primū sui esse, & desinūt per primū nō esse: probatur prima pars, quia viuentia necessario incipiunt vt tāta, nā cū requirāt minimū necessario incipiunt, in tāta quātitate, & nō minori: ergo incipiunt in instāti per primū sui esse. Et cōfirmatur: quia forma viuētis introducitur in tāta materia, quando est vltima te disposita: sed vltima dispositio, vt tāta producitur in instāti, vt vidimus: ergo & forma viuētis: debet tñ cōclusio intelligi, quādo forma viuētis generatur: nā in nutritione, quæ fit postquā viuēs genitū est, tūc forma producitur successiue per partes, & ita incipit per vltimū nō esse. Ratio est: quia cū nutritio supponat viuēs iā productū in quātitate minima, quā requi-

Quomodo incipiāt substantiæ absolute sumptæ.

rit non requirit q fiat in determinata quantitate, sed pōt viuēs deinde cōtinuo augeri per partes aduenientes, quātūuis minores, & ita nutritio fit successiue, ac per cōsequēs forma de nouo adueniens successiue producitur: vel si sit forma indiuisibilis, vt anima rationalis successiue vnitur partibus alimēti, secūdū q, materia alimēti successiue disponitur ad recipiēdā animā rationalē. Quod vero viuētia desināt per primū nō esse. Probatur: quia experiētia patet in homine, nō prius mori vnā partē quā aliā, nā quātis quę dā partes incipiant frigesieri, prius quā alię, tñ substātialis corruptio simul fit in toto homine: ergo non desinit per partes, aliàs prius introduceretur cadauer in capite, quam in alijs membis: ergo totum viuens desinit per primum non esse, ita vt sit verum dicere, nunc non est viuens, & immediate antea fuit.

Secunda ratio à priori huius est: quia viuens requirit certam dispositionem organorum, quæ nō possunt esse in quauis quātitate minori & minori: ergo nō desinit successiue p partes minores & minores: sic enim in quauis quā-

titate, quantunuis minima, possit conseruari viuens, quanuis in via corruptionis, quod est impossibile.

Est tamen aduertēda maxima differentia inter modū desinendi rerum successiuarum, & rerum permanentiū, quanuis contingat vtraq; desinere per primum non esse: nam successiua non desinunt tota simul, sed per partes, absq; eo quod aliquē terminum paruitatis habeat, vt dixi, de motu qui desinit successiue per partes, tamen permanentia, licet desinant per primū non esse, nō tñ successiue, & per partes, sed tota simul, ita ꝙ sit verum dicere, nunc nō est viuens, & immediate antea fuit totū viuens, & hinc fit, quod cadauer incipit per primū sui esse: nam idem istans, quod est primū non esse corrupti, debet esse primū esse geniti: quia si in illo instanti nō esset forma genita, daretur materia sine forma cum in illo instanti, neque habeat formam corruptam, neque formam genitam.

Sed obijcies: nam optime potest intelligi, quod viuēs desinat per vltimum sui esse, quāuis cadauer incipiat totum simul: nam optime intelligi potest, quod in hoc instanti sit verum dicere, nunc est homo & immediate post hoc non erit, sed cadauer: ita tamen quod illud cadauer totum, simul incipiat in tempore sequenti, ita quod sit, totum cadauer inqualibet parte temporis, vt dicam postea de Angelo. Respondetur re uera hoc non repugnare de potentia absoluta Dei, tamē naturaliter forma corporea, quæ producitur in tempore fit per partes, & ita non prius introduceretur forma cadaueris in capite, quàm in pede.

De non viuentibus autem certum est, quod vt tanta incipiant per primum sui esse & desinant per vltimum sui esse: quia vt sic sunt indiuisibilia, tamen absolute loquendo authores, qui existimant non viuētia habere minimū, consequenter tenentur asserere, quod incipiant per primum sui esse, vt diximus de viuētibus, probabilius tñ est nullū habere terminū, & ita dicendū est incipere per vltimū non esse, & desinere per primū non esse, excepto cadauere, ꝙ quia incipit addesitionē viuētis, ꝙ desinit per primū non esse, ideo incipit per primū sui esse. Ratio est: quia cum huiusmodi uon viuentia nullū habeant termi-

mum

nũ magnitudinis, & paruitatis generatur & corrũpuntur successiuè per partes motus successiuo ergo incipiunt & desinũt sicut ipsa actio successiua, patet consequentia: nã quæ incipiũt & desinunt motu, seu actione successiua, incipiũt, & desinũt, sicut ipsa actio successiua, scilicet per primum non esse, & vltimum non esse.

Sed obijcies, nã ignis incipit, quando incipit calor, vt octo: sed calor vt octo incipit in instanti per primũ sui esse: nam calor vt octo, vt sic est in diuisibilis, ergo & ignis incipit per primum sui esse. Respõdetur, quod calor vt octo quãuis sit indiuisibilis, quo ad intensionem, tamen quoad extẽsionẽ diuisibilis est: nã intẽsio caloris vt octo successiuè introducitur per partes extensas ligni, & quia fit cũ resistẽtia frigiditatis, ideo calor vt octo successiuè producitur in partib' ligni, & similiter ignis.

Assert. 3. Dico tertio in hac re, quotiescũq; forma aliqua incipit in materia per primũ fuisse, necessarium est, quod forma, quæ desinit in eadẽ materia desinat per primũ non esse. Ratio sumitur ex dictis, quia si primum esse formę genitę nõ est primũ nõ esse formæ corruptæ, ergo adhuc durat forma præcedẽs, ergo iã daretur materia per naturã cũ duplici forma, quia tunc est forma geniti, & forma corrupti. Similiter, si vna forma desinit in materia per vltimum sui esse, necessariũ est, aliã incipere per vltimũ non esse, quia illud instãs, quod est vltimũ esse hui' formę, est vltimũ non esse formæ generandæ: nã immediate post tale instans, iã habet esse, & ita in illo instanti est vltimum non esse illius.

Sed obijcies, nã ex hoc sequitur, quod non viuentia, aut desinãt per vltimũ sui esse, aut incipiãt per primũ sui esse quod est falsum & cõtra dicta Probatur sequella, nam quando ignis generatur ad corruptionẽ ligni: vel ignis incipit per primũ sui esse, & tunc habeo intentũ, scilicet, quod nõ viuentia incipiunt per primũ sui esse: vel incipit per vltimũ nõ esse, & tũc lignum debet desinere per vltimum sui esse, nam vt vidimus vltimum vnius formæ mæ debet esse vltiũ non esse alterius, ergo vel sequeretur, ꝙ nõ viuẽtia incipiãt per primũ sui esse, aut qđ desinant per vltimũ sui esse. Respõdetur hoc argumẽto probari efficaciter, quod quotiescũq; vna

vna forma desinit absolute per primum non esse, aliquæ incipit debet incipere per primum sui esse, tamen vt tanta & nõ absolute, & ita ad desitionem absolutam vnius, sequitur inceptio alterius, vt tanta, ita quod non incipiat absolute.

Vnde notandum est ꝙ in eadem materia, in qua desinit embrio, incipit viuens, cum hoc tamen, viuens cum habeat minimum, incipit prout in tanta quantitate, embrio vero desinit absolute, cum non habeat maximum, neque minimum, sicuut alia inanimata. Et ratio est, quia eadem materia potest sumi, vt tanta, & absolute, & ita, in eadem prout in tanta potest vna forma per primum fuisse incipere, altera vero desinere absolute in eadem materia absolute sumpta.

Tandem in hac quæstione duæ supersunt dubitationis, altera est, an repugnet eandem rem simul incipere & desinere esse. Respõdetur reuera non repugnare, nam potest eadem res simul incipere per primum sui esse, & desinere per vltimum sui esse, ita quod idem instans sit primũ & vltimum esse rei, ꝙ quãuis quibusdam videatur nimis difficile, mihi profecto satis probabile apparet: nã in primis instãs proculdubio habet hoc, nã cum solũ duret per instans, simul incipit per primũ sui esse, & desinit per vltimũ fuisse, quia de illo verificatur: nũc est & immediate antea non fuit, & nũc est & imediate post hoc nõ erit: ergo similiter posset Deus producere rẽ aliam per mancẽ, & immediate postea anihilare illã, ita quod illud instans esset primũ & vltimũ esse rei. Et ratio est, quia quãdo aliquid desinit per vltimũ sui esse, quando desinit, adhuc est, vt supra explicui, & ita non sequitur quod simul sit & non sit.

Addo secũdo, etiã nõ repugnare de potẽtia Dei absoluta simul eandẽ rem incipere per vltimũ nõ esse, & desinere per primũ non esse, ita qđ idẽ instans sit primũ, & vltimum non esse rei. Ratio est, quia fingi potest casꝰ, quod Deus in hoc instãti corrũpat rem aliquã, & deinde immediate post hoc, illã reproducat, & ita in illo instanti verificatur, nunc nõ est res & immediate antea fuit, & similiter, nunc nõ est res, & immediate post hoc erit: ergo simul incipit per vltimum nõ esse, & desinit per primũ nõ

esse

esse, ita quod idem instās sit primum, & vltimum non esse rei: sicut econtra, non repugnat idem instans esse primum & vltimum esse rei.

Dubitatio. Secūdo dubitari solet, vtrū saltem per diuinam potentiā non repugnet Angelum, aut quamlibet aliam rem spiritualem, & omnino indiuisibilem incipere per vltimū non esse, & desinere per primum non esse.

1. Senten. Prima sententia affirmat, implicare contradictionem, quod res indiuisibilis, vt Angelus, incipiat per vltimum non esse, & desinat per primum non esse, ita quod corrumpatur, aut producatur in tempore. Tenet Gregor. Ferrar. Valis. & fundamentum est: quia si Angelus potest incipere per vltimum non esse, ita vt sit verum dicere, nunc non est & immediate post hoc erit: ergo immediate post hoc, potest produci Angelus, scilicet in tempore: ergo produceretur successiuè, ergo per partes: sed indiuisibile, vt Angelus, caret partibus, ergo repugnat incipere per vltimū non esse. Et simili argumento probatur nō posse desinere per primū non esse, quia nō habet partes vt successiuè desinat.

Nihilominus dicēdū nobis est Angelū, & res indiuisibiles nō solū de potētia absoluta, sed ex natura rei, posse quouismodo incipere & desinere, ita qđ quāuis sit miraculosū Angelū anihilari cū ex se & ab intrinseco incorruptibilis sit, tamē hoc supposito, quouis modo potest anihilari, & quouis modo incipere esse, & idē est de quouis alio indiuisibili rei permanentis: nā instātia, quæ sunt indiuisibilia rei successiuę nō possūt esse in tēpore: quia cū tēpus quod integratur ex partib⁹ & instantibus ex natura sua sit successiuū, ex natura rei petit, ꝙ pars tēporis succedat ad instās, ita quod in illo tēpore instās non sit, & idē est suo modo de indiuisibilibus mot⁹. Tamē quod indiuisibilia rerū per manētiū possint quouis modo incipere & desinere ex natura rei, & nō solū de potētia absoluta Dei probatur in primis. Quia verbū mētis est qualitas spiritualis omnino indiuisibilis, & tamē huiusmodi verbū, aliquando producitur in tēpore, aliquādo vero in instanti, nam intellectio aliquādo incipit in instāti, aliquando vero in tempore, quia potest quis immediate post hoc instans incipere intelligere lapidem: ergo res spiritualis tam potest

test incipere per primũ fuisse quam per vltimum non esse, & idem patet de desitione: nam reuera potest quis desinere intelligere, tam in tẽpore, qui in instanti, & proculdubio sæpe ita contingit.

Secundo probatur, quia Deus potest producere Angelum, tam in instanti, quam immediate post hoc instans: nam reuera ridiculum est dicere nõ posse Deũ in tẽpore sequẽti post hoc instans producere Angelum, sed quod necessario debet spectare ad instans, vt illum producat.

Respondent quidam non esse mirum, quia etiam necessarium est Deum spectare ad tẽpus, vt causet motum successiuum, cum impossibile sit motum successiuum causari in instanti, tamen est longe diuersa ratio, quia successiua essentialiter dicunt habere partem post partem, quod repugnat esse in instanti, tamẽ Angelus tot' simul potest esse in tẽpore successiuo, ita quod sit tot' in toto, & totus in qualibet parte tẽporis.

Quare, vt res hæc melius intelligatur, & simul respõdeamus ad fundamẽtũ cõtrariæ sentẽtiæ notãdũ est, duobus modis posse rẽ aliquam produci, aut corrũpit in tẽpore, vno modo ita qđ corrũpatur, aut producatur per partes, & hoc modo repugnat rẽ indiuisibile, qualis est Angelus, aut punctũ produci, aut corrũpi successiue: alio modo potest produci, aut corrũpi in tẽpore, ita quod quanuis producatur, aut corrumpatur successiuè, idest in tẽpore successiuo, non tamen successiuè, idest per partes, sed ita quod totus Angelus sit in toto illo tẽpore, & tot' in qualibet parte, & hoc modo reuera non repugnat Angelũ produci, aut corumpi successiuè, verũ est quod quia in illo tẽpore in quo incipit Angel' immediate post hoc instans, non datur prima pars proportionalis, ideo nõ datur tunc primũ esse Angeli, tamen cum hoc incipit in illo indeterminatè, quia immediate antea non fuit.

Sed obijcies, illud tẽpus est diuisibile in duas medietates, quarũ secunda presupponit primã, ergo in secũda medietate illius tẽporis iã supponitur Angelus productus: ergo non est verũ dicere, qđ in toto illo tẽpore incipere incipiat: quia quãdo peruenimus ad secũdã medietatẽ iã supponitur incepisse antea.

Respõdetur verũ esse, quod nõ incipit đ nouo in singulis partib' illius tẽporis, vt argumen-

mentum probat, tamen incipit in illo tempore indeterminato absque eo quod demus primum esse Angeli: sicut nec damus primam partem illius temporis, & hoc etiam in alijs rebus necessario fatendum est: nam quando instans incipit non esse in tempore, in qualibet parte assignabili præsupponitur antea nō fuisse, quia illa pars præsupponit aliam: ergo simile quid potest facile intelligi, quando Angelus, aut pūctum incipit esse in tempore, nam dicitur incipere in illo indeterminate, penes hoc, quod immediate antea non fuit. Et hinc vlterius fit, quod nūquam detur productio Angeli sine conseruatione, quia cum in qualibet parte illius temporis supponatur antea fuisse, semper est verum dicere, quod conseruatur actione conseruatiua, quæ præsupponit productionem rei iam factam prius.

Sed instabilis adhuc, quia sequitur, quod conseruatio non supponat primam productionem rei. Et probatur, quia in nulla parte illius temporis possumus dicere Angelum primo fieri, sed semper cōseruari, iam prius factum, ergo conseruatio Angeli nō præsupponit primam productionem, quod est falsum, nam cum conseruatio supponat rem iam esse, supponit etiam iam productionem illius.

Respondetur, quod quando productio, & conseruatio rei proueniunt ab eodē agente, est eadem actio realiter, vt vidimus. 2. Physi. & ita ista productio Angeli a Deo facta in tempore, non distinguitur realiter à conseruatione, sed est continuatio eiusdem actionis, distinguuntur tamen tunc instæ actiones ratione, quia saltem in illo tempore datur prima pars aliquota, & ita productio Angeli, prout in primo incipit esse in illa prima parte aliquota habet rationem primæ productionis, prout vero in alijs partibus tēporis continuatur, eadem actio habet rationem conseruationis: & hæc de disputatione.

LIBER

LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.

IN Hoc lib. 7. disputat Arist. de simultate requisita inter mouens & mobile, vt mouens posſit in illud agere: de qua re egimus nos 2. lib. physic. disput. 5. vbi vidimus quam simultatem requirat causa efficiens cum passo vt operetur in illud, disputat etiam quod omne quod mouetur ab alio mouetur: nam quę mouetur à se habent aliquam partem per se mouentem & aliam per se motã, & ita hoc modo etiam pars per se mota mouetur ab alio, de quo etiam actum est à nobis eadẽ disputatione, vbi vidimus, qua ratione posſit esse verum principium illud, quod quãdo aliquod mouetur à se debeat habere partem per se mouentem diuersam à parte per se mota.

Tandem disputat qui nam motus sint inter se comparabiles, & in summa docet cõparationem propriam debere esse inter res eiusdem speciei, vt cum dicimus. Petrus est magis albus, quã Ioãnes, aut homo quàm equs: quia in ratione albi eiusdem sunt speciei, homo & equs, quod debet intelligi de comparatione propria & rigurosa, nã si de cõparatione minus propria loquamur, etiam potest fieri inter res diuersæ speciei, vt si dicamus. Deus est magis bonus, quam homines sint mali: appellatur autem hæc comparatio impropria, quia non est comparatio in eadem re, sed indiuersis, & ita comparatio propria debet esse in eadem forma eiusdem speciei, quæ res non est tanti ponderis vt oporteat in ea diutius immorari, quare ad difficiliora perueniamus, & hæc de hoc libro.

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

IN Hoc lib. Arist. disputat de Primo motore, & de perpetuitate illius, disputat etiã de æternitate mundi: disputans, an mũdus, & eius motus fuerit ab æterno, quibus disputationem contentam in libris Physic. absoluit, in quibus, vt in procemio dicebam tantum agit de principijs communibus entis mobilis, atque de eius causis, & affectionibus.

SVMMA TEXTVS.

Disputat. 1. Ar. de æternitate mũdi, et propositis antiquorum sententijs, suam profert, dicens mundum ab æterno fuisse, & similiter eius motum: cuius rationes modo omitto, nam infra soluendæ sunt, deinde constitutá motus æternitate, disputat de primo motore probatque quibusdam rationibus debere dari vnicum Primum motorem perpetuum, & primam causam, à qua omnia alia moueantur. Et rursus, talem Primum motorem debere esse immobilem de quibus omnibus latius infra, quia tamen ad rem hanc probandam potissimum fundamentum est, quod præmiserat 7. lib. Physic. Omne quod mouetur ab alio moueri, ideo vt hoc fundamentũ firmius iaciat, quærit à quo moueantur animata,

& in

& inanimata, docens animata habere partem per se motam diuersam á parte per se mouente, & ita vnum quodque moueri quodammodo ab alio, de inanimatis docet non moueri á se: quid tamen per hoc intendat vidimus 2. lib. Phys. disputat. 5.

Quærit secundo à quo mouaantur proiecta, quãdo á proijciẽte distãt, & docet moueri á corpere inter medio per quod mouẽtur v.g. ab aere per quem mouetur lapis proiectus, & ita concludit omnia, quæ mouẽtur ab alio moueri, & ita debere dari vnicum motorem immobilem, qui á nullo alio moueatur, quæ latiùs à nobis disputanda sunt.

DISPVTATIO PRIMA

DE PRIMO MOTORE ET de mundi inceptione.

HAEC Est præcipua disputatio quam hoc lib. Arist. intendit, & ita ab illa placuit sumere, quanuis autem de mundi inceptione plures disputẽt in lib. de cœlo & mũdo, tamẽ cõmuniter interpretes hoc loco de hac re tractant, & merito quidem, quia Arist. hoc loco rem hanc ex professo disputat.

QVAESTIO I.

Vtrum, detur vnicus primus motor immobibilis infinitus, & incorporeus, & an mundum libere produxerit.

CIRCA Rem hanc duplex existit error, primus fuit antiquorum phy- Prim' erro

losophorum, qui plures esse Deos asseuerunt, atque adeo plures esse primos motores à quibus hæc inferiora gubernētur. Secūdus error est asserētium nō dari Deū, atque adeò neq; primū motorē; & ita huiusmodi heretici appellātur Atheistæ, idest sine Deo. Cōtra hos tamen errores Catholica veritas est dari vnū Deū, seu primū motorem à quo omnia creata causentur, ipse vero à se ipso habeat esse, qui prim⁹ motor infinitus sit incorporeus, & æternus, nec solū lumine fidei res hæc est certa, sed ratione naturali euidenter demonstratur illamque præcipuè præter alios phylosophos attigit Arist. tunc hoc lib. tum etiā 12. Met.

Secundus error.

Assert. 1. Vnde dico primo in rerum natura datur vnicus primus motor à quo omnia creata pendent, ipse vero à nullo, qui primus motor appellatur Deus: quæ conclusio pluribus rationibus phylosophi ostendi solet, præcipue tamen sunt istæ.

Vnicus tāū est Primus motor. Primo, quia in causis est subordinatio, itaque quædam operantur dependenter ab alijs: ergo vel procedi tur in infinitum, vel danda est aliqua prima causa à nullo alio habens esse, & à qua aliæ dependeant, quod non possit procedi in infinitum. Patet, quia tota collectio creaturarū est facta ab alio, & sic iam datur esse aliquod primum increatum à quo alia fiant, vel non habet esse ab alio, & ita necessarium est dicere aliquid seipsum efficere, quod absurdum est: nam vt efficiat, debet præexistere, vt vero fiat debet non præexistere, & ita simul esset, & non esset: ergo danda est vnica prima causa non facta, sed increata à qua res creatæ fiant.

Secundo, quia omnia entia creata, eo ipso quod creata sunt, & facta habent esse ab alio: ergo operantur, & mouentur dependenter ab alio, quia modus operandi sequitur modum essendi, ergo si tota collectio rerum creaturam operatur dependenter ab alio, opus est constituiere aliquem primum motorem, à quo moueantur.

Dico secundo huiusmodi primum motorem esse vnū, & non plures. Ratio est, quia si darētur plures dij, aut plures Primi motores, vel quidquid potest vnus, potest ali⁹, & sic alter ponitur frustra: vel vterque simul potest omnia, non quilibet seorsum, & sic neuter est Primus motor,

Tertio probatur ex modo producendi quem Deus habet, nam producere aliquid arguit perfectioné, quanuis fiat expressus supposito subiecto: arguit enim aliquam virtutem actiuam in agente: ergo producere ex minori subiecto arguit virtutem, & ex minori maioré, ergo producere aliquid ex nullo subiecto arguit infinitam virtutem: sed Deus per creationem producit aliquid ex nihilo, ergo habet infinitā virtutem.

Etsi obijcias, nam ad producẽdum effectum finitum satis est virtus finita, cum inter duo finita possit esse proportio: sed per creationem fit effectus finitus, ergo ad hoc non requiritur virtus infinita. Respondetur ad effectum finitum per se loquendo satis esse virtutem finitā, tamen ex modo quo fit per creationem requiritur virtus infinita.

Primus motor est incorporeus. Dico quarto primus motor est incorporeus. Probatur, nam si esset corporeus haberet compositionem ex partibus, nam de ratione corporis est quod integretur ex partibus, & ita Deus non esset simplicissimus, cósequẽs autem est falsum: nam si in Deo est compositio realis ex partibus, necessario vna esset in potentia ad aliā, vt simul cum illa faceret totū, id autẽ quod est aliquo modo in potentia non est omnino perfectum, quia habet potentiam ad aliquā perfectionem acquirẽdam, ergo Deus debet esse simplicissimus, & ita purus actus nihil habẽs ad mixtum potentiæ passiuæ, hoc tamen non tollit quod in Deo sit potentia saltem actiua, omnipotentia, scilicet, quia per illam nihil in se recipit, sed ad extra producit.

Secũdo probatur, quia De° debet esse vbiq;, quia vbiq; operatur omnia mouẽdo, vt probatū est, necesse autẽ est causam esse simul cū effectu, vt vidimus 2. lib. Phys. quod si Deus esset corporeus, non esset vbique, quia ex natura rei non potest penetrari cum alijs corporib°, ergo primus motor incorporeus est, & hinc etiā patet primū motorem esse vbiq;, & ita est immensus.

Dubium. Dubitari tamẽ solet, an primus motor nō solum sit intra vniuersum, sed etiam in spatio infinito imaginario, quod est extra mundum, nam adhuc hoc tempore non desunt, qui existimet

Deum tantum esse in ea vniversum. Certum tamen statuendum est primum motorem etiam re plere infinitum spatium imaginarium, quod est extra cœlum. Ratio est, quia Deus habet infinitam virtutem, ergo per illam replere potest infinitum locum: ergo non solum est intra spatium vniuersi quod finitum est cum claudatur termino, scilicet vltima sphera, sed etiam intra infinitum spatium imaginariū, quod est extra cœlum.

Secundo, quia procul dubio Deus potest producere creaturā aliquā extra vniuersum in spatio imaginario: ergo tunc esset in tali spatio, nam operari supponit esse, & ita operari hic supponit esse hic, ergo si Deus antea non erat in tali spatio, sed de nouo ad illud confluxit: ergo per motum localem acquisiuit ibi præsertiam realem, quam antea non habebat, ergo esset mobilis, quod esse falsum iam ostendimus.

Tertio hoc significat nomen Immensum, nam reuera importat infinitatem quandam in replendo locum: ergo reuera replet infinitum spatium. Vnde quando Arist. 1. lib. de cœlo cap. 10. doc. extra cœlum nihil esse vt verum sit, intelligendum est de corporeis, ita quod nullum corpus sit extra cœlum non tamen ipse Primus motor.

Circa id quod vltimo loco inquirit quæstio, scilicet, vtrum Deus libere produxerit mundum. Imprimis certa fide tenendum est Deum libere mundum produxisse nō solū, quo ad corpora hæc inferiora, sed etiam quo ad corpora cœlestia. Ratio est, quia vt latius Theologi 1. par. q. 19. Deus libere amat creaturas: nam cum habeant finitam & limitatam bonitatem non necessitatur Deus vt illas amet, atque adeo neque vt illis tribuat existentiam à parte rei: ergo certo tenendū est libere produxisse omnes creaturas.

Secundo, quia Deus potuit producere creaturas longe perfectiores, & etiam imperfectiores quam fecit, his tamen relictis de facto has produxit: ergo libere illas produxit: nam cum à nullo potuerit impediri, ne alias produceret nulla ratio reddi potest, quare has potius quam illas elegerit, nisi libertas suæ voluntatis.

Est

Est tamen aduertendũ dubium in hac re quid de hoc senserit Arist. nam in diuersis locis res contrarias innuere videtur: nam quod Deus ex necessitate operetur videtur docere hoc lib. text. 7. & 8. vbi ex eo probat motum fuisse ab ęterno, quia ab æterno fuit mouens, scilicet Primus motor, ergo ab æterno debuit esse motus, aliàs inquit si de nouo incipit moueri, esset quia aufertur impedimẽtum, quo impediebatur, ne antea moueret: quæ ratio supponere videtur Deum necessario operari: nam si libere: nõ esset opus dicere, ideo de neuo mouere, quia aufertur impedimentum, sed propter suam libertatem, scilicet, quia modo potius quam antea id determinat: ergo vt ratio illa vim habeat necessarium est ipsum sentire, quod Deus ex necessitate naturæ operatur, & textu. 79. ait, Quod si primus motor esset corpore se moueret in instãti, quia habet virtutem infinitam: ergo efficeret motum velocissimum, hic autem est in instanti, & 9. Met. tex. 17. inquit, Non esse timendum, quod primus motor & Intelligentia, quæ mouet cœlum desistat à suo motu, quia inquit Intelligentia, & primus motor, qui illud mouet non de fatigantur à suo motu, neque sunt in potentia contradictionis, idest non habent potentiam ad mouendum & non mouendum, ergo sensit quod necessario mouet.

Ex alia vero parte, scilicet quod Deus libere operetur, extãt plura testimonia: nam 4. lib. Topicorum cap. 5. inquit, Deum multa posse facere, quę tamen non facit & 8. AEthicorum. cap. 7. inquit, Deũ bonos amare amore amicitiæ, non tamen malos, quæ proculdubio indicant ipsum libere operari, & ita certe hac in re Arist. dubius fuisse videtur: & mihi placet eorum sententia qui asserunt ipsum sensisse, Deũ, erga res aliquas ex necessitate operari, scilicet, erga operationes pręcipuas vniuersi, qualis est mouere cœlum, aut illud produxisse: nam reuera si credidisset Deum omnino libere operari facile à suo errore desisteret, quo mundum ab æterno fuisse factum existimauit, & ita omnes rationes, quibus hoc probare intendit aperte videntur supponere, Deum necessario produxisse mundum, quan

sus est, quia cum modo moueat, & antea nō, aliter se habet nunc quam prius, sed primus motor immobilis est vt ipse Arist. hoc lib. aperte probat, ergo oportet dicere ab æterno fecisse motum, atq; adeò mundū ab æterno fuisse. Et similem argumentationem cōficit. 12. lib. Met. tex. 30. nam inquit, cum primus motor sit purus actus, oportet quod semper operetur, nā si non semper est in actu, iā haberet aliquid potētię, si ergo semper operatur, ergo ab æterno produxit mundū.

Tertio arguit 12. met. text. 48. nam si primus motor, & Intelligentiæ ab æterno non mouēt cœlū, ab æterno essēt ociosi, ergo oportet ponere ab æterno mundū, quē moueant, & gubernent.

Quarto arguit. 1. lib. de cœlo text. 22. nā omnes gentes, inquit, cœlū Dei sedēq; ac domiciliū cōstituut: ergo sicut Deus sempitern⁹ est, ita æternū domiciliū habere debet, cœlum ergo ęternū est, atq; adeò mūdus fuit ab æterno.

Tandem prorsus aliam addit rationē Proclus, nam bonum est sui communicatiuū, vnde cū Deus sit summè bonus est summè cōmunicatiu⁹ sui, ergo ab ęterno se creaturis cōmuicauit, præstās eis esse quod habent, atq; adeò mundus ab æterno est. Plura alia argumenta ad rem hanc probandam adducit, & dissoluit Perey. lib. 5. Phys. quæ facile apud ipsum videri possunt, ea tamen quæ adduximus sunt præcipua.

Hanc tamen Arist. sententiam, vt fidei nostræ contrariam, merito omnes phylosophi Christiani reijciunt fide enim credimus mundum initium temporis habuisse Genesis. 1. cap. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Ioann. 17. *Clarifica me Pater claritate quam apud te habui ante quam mundus fieret.* Prouerb. 8 *Ante quā quidquam faceret à principio.*

Solet tamen hoc loco dubitari, vtrū ratione naturali demonstrari possit mundū non fuisse ab æterno, & respōdetur reuera mundū demonstrari, prout de facto iacet, scilicet prout constat tā ex rebus permanētibus, quam successiuis, non fuisse ab æterno: quia euidenter probatur non potuisse esse ab æterno hoc modo adhuc per diuinā potentiam, vt dicā quæstione sequēti, vbi etiam dicam, an repugnet aliquas mundi creaturas ab æterno fuisse. *Mūdus nō est ab æterno.*

Etsi dicas, ea quę sunt fidei demōstrari non posse ratione naturali, quia sūt misteria

super naturalia. Respondetur non omnia misteria fidei esse super naturalia, sed ea tantum, quæ præcipua sunt: nam etiam est de fide esse Deum, & hunc Deum esse vnum & infinitum, hæc tamen demonstrantur ratione naturali, ita etiam mundum de facto incepisse, prout de facto iacet, euidenter demõstrari potest.

Dico secundo, mundum factum fuisse à Deo ex nihilo, atque adeò per creationem, non vero per generationem ex materia aliqua præexistenti. Quæ conclusio etiam significatur, Genesis 1. cap. in principio creauit Deus cœlum & terram, vbi nomine cœli & terræ omnia tam cœlestia, quam sub lunaria comprehenduntur, & ita totam hanc machinam collectiue sumptam à Deo creatam fuisse dicitur, atque à Deo, non fuisse factam ex materia aliqua præexistenti, sed ex nihilo.

Etsi inquiras vtrum ratione naturali constet esse creationem. Respondetur affirmatiuè, vt docuit optime S. Tho. in 2. d. 1. quæst. 1. art. 2. Scotus quod lib. 7. & plures alij hoc loco. Ratio est, quia naturali ratione constat animã rationalem habere esse ex natura rei independens à subiecto substentante, & ita esse incorruptibilem: ergo etiam ratione naturali cõstat illam non fieri ex præsupposito aliquo subiecto, & ita creari. Secundo, quia cũ Deus habeat infinitam virtutem, operatur prorsus independenter, ergo potest aliquid producere absque dependentia à subiecto aliquo, atq; adeò per creationem.

Addo præterea, reuera Arist. cognouisse creationem, nam 2. lib. Rethoricorũ, q. 23. docet dæmones factos fuisse à Deo, cum tamen facti fuerint per creationẽ. Et Clarius 3. lib. de anima docet, quod anima rationalis de foris aduenit, idest nõ fit ex materia aliqua, atq; adeò per creationem. Vnde principium illud sæpe ab ipso repetitum. *Ex nihilo nihil fit*, solum ab ipso intelligitur de agente naturali creato, non vero de prima causa.

Tandem, respondeamus ad argumenta Arist. ad primum verum esse omnẽ motũ præsupponere mobile, quia motus est actus entis in potẽtia, falsum tamen est, quod de in de assumitur, scilicet, quod omne mouile debet præsupponere motum, nam potest mobile fieri per creationẽ, *R. ad rationes arg.*

quæ

quæ non est motus, neque mutatio, vt vidimus secũdo, & tertio lib. Physicorum, & ita non probat, ab æterno fuisse motum.

Ad secundum, primum motorem fuisse ab æterno, motum tamen de nouo incepisse, & ita primum motorẽ de nouo incepisse mouere, hoc tamen absque aliqua sui mutatione, quia nõ mouetur actione immanẽti in illo, sed actione transeunti, agens autem, quod agit actione transeunti non mutatur per illã, vt sæpe dixi: quia non est aliquid in illo receptum. Et simili modo reijcitur ratio illa, quam conficit. 12. lib. Metha: nam ex eo, quod Primus motor de nouo moueat non sequitur, quod habeat potẽtiam passiuam, quia per illam motionem, cum sit actio transiens nihil recipit, & ita optime cum hoc stat, quod sit purus actus.

Ad tertium, Deum ab æterno non esse ociosum, etiam si ab æterno non produxerit mundum, nam ab æterno contemplatur suam diuinam essentiam, & creaturas posibiles, & futuras, & ita habet actiones immanentes.

Ad quartum cœlum nõ ideo appellari Dei sedẽ, quia Deus tãtum intra cœli ambitum continceatur: nam vt vidimus ratione suæ immensitatis replet infinitum spatiũ imaginarium, quod extra cęlum est, sed ideo cœlum dicitur Dei sedes, quia ibi præcipue se communicat per visionem beatificam Angelis, & hominibus beatis, hæc tamen communicatio tempore incipit, & ita etiam cęlum in tempore incipit.

Ad vltimum Deum esse summe sui communicatiuũ, & ita quanuis ab æterno nõ se communicauerit creaturis ad extra, tamen ad intra se communicauit, producendo diuinas personas, scilicet Filium & Spiritum sanctum, & ita fuit communicatio ad intra, prȩsertim, quod quanuis sit de ratione boni esse communicatiuum sui, nõ tamen actu se communicare, & ita non fuit necessarium ab ȩterno se communicare creaturis.

QVAESTIO. III.

Vtrum mundus saltẽ de potentia Dei absoluta potuerit esse ab æterno.

Conueniunt omnes in hac re, mũdum fore sempiternum à parte post,

post, ita quod nunquam sit dabilis vltima duratio mundi, sed sine fine sit duraturus in quo erunt Beati & damnati in æternũ, vt docent Theologi nunquam tamen dabitur duratio mundi infinita in actu, sed solum in potentia, scilicet quod erit maior, & maior sine fine: solum ergo est dubium, vtrum à parte ante potuerit esse ab æterno per durationem infinitam.

In qua re prima sentẽtia affirmat, mundum prout de facto iacet, & quãtum ad oẽs creaturas, quas de facto habet tam permanentes, quam successiuas potuisse de potẽtia absoluta fieri ab æterno. Tenet Capreolus Greg. Gabriel, & Ocham in 2. dist. 2. quæst. 1. Sonc. 12. Meth. q. 31. Iabelus quæstio. 14. Venetus hoc lib. textu. 25. quæ sentẽtia multis probari potest rationibus, primo quia mũdus potuit fieri, antequam de facto fuit factus, & etiã antea: ergo si potuit esse antea, & antea, potuit esse ab æterno.

Secundo quia si Deus esset agens necessariũ, ab æterno produxisset mundũ, quia causa necessaria operatur statim, ꝗ est, si nõ impeditur: Deus à nullo impediri põt: ergo cum Deus sit causa libera saltẽ potuit libere ab æterno producere mundum.

Tertio quia non minus debet repugnare mundũ durare tempore infinito à parte post quã, à parte antea: sed à parte post durabit tempore infinito: ergo etiam à parte ante potuit in infinitum durare.

Quarto, quia Deus ab æterno est omnipotens: sed omnipotentia circa aliquid versatur: ergo ab æterno fuerunt possibiles creaturæ.

Quinto, si implicat fuisse ab æterno motum successiuum, sequitur, quod si daretur ab æterno ignis aproximatus ligno non calefaceret illum, quod videtur incredibile: sequela probatur, quia talis calefactio, seu alteratio est motus succesibus.

Secunda sententia asserit mundum, saltem quantũ ad res permanentes potuisse esse ab æterno, non tamen quantum ad successiuas, tenet Duran. in 2. dist. 1. quæst. 1. & 3. Sotus hoc lib. quæst. 2. Ferrara quæst. 3. Caiet. 1. parte quæst. 46. dicunt enim in hoc nullam inuolui cõtradictionem.

Tertia tamẽ & vera sẽtẽtia à nobis tenenda est, scilicet nullam creaturam, siue successiuam, siue permanentem

Nulla creatura, siue successiua, siue permanens potuit esse ab æterno.

Asser. 1. circa mundum.

Nulla creatura, siue successiua, siue permanens potuit esse ab æterno.

tem potuisse esse ab æterno. Tenet Bonauentura in 2. d. 3. quæst. 2. Albertus Magnus ibidem, Enricus quodlibeto 1. quæst. 7. Toletus hic quæstione 2. Valles controuersia 45. & quamuis sanctus Tho. reuera faueat contrariæ sententiæ 1. parte, quæstio. 46. articulo 1. vbi asserit non repugnare mundú esse ab æterno, pro hac tamen sententia plura adducit Toletus sanctorum patrum testimonia, quæ illi videntur fauere: ná Diuus Amb. lib. 1. Examenor cap. 3. dicit, *inconueniens esse putare creaturam posse esse coæternam suo creatori*, & Basilius dicit, *esse blasphemum*: eandem sententiam tenet Damascenus lib. 1. fidei cap. 9. & Augustinus lib. 12. de ciuitate Dei cap. 15. quæ testimonia explicatur ab autoribus contrariæ sententiæ, quod sancti Patres loquantur de æternitate debita & connaturali creaturis, ita quod sancti Patres asserant nullam creaturá posse esse æterná æternitate sibi debita: sicut Deus, non tamen miraculose, sed reuera absolute, & sine distinctione locuntur.

Asser. 1. circa mundum.

Vnde dico primo in hac quæstione, certum esse mundum etiam prout de facto iacet scilicet tam quantum ad creaturas permanentes quá quátum ad creaturas successiuas potuisse fieri à parte ante tempore infinito sincha:egorematice, idest antea, & antea sine termino. Ratio est, quia nullum est assignabile tépus certum imaginarium, ante quod Deus non potuerit mundum producere: solum ergo est dubium, vtrum potuerit esse à parte ante tépore infinito in actu, scilicet ab æterno.

In quo dico secúdo, mú dus prout de facto iacet, quá tú ad res successiuas non potuit esse ab æterno, ita q motus, & tempus, & generationes successiuæ, quæ de facto sunt in vniuerso de potentia absoluta don potuerint esse ab æterno. Et in primis, quó potuerint esse ab æterno generationes, & corruptiones, probatur: ná si ab æterno fuissent generationes hominum præcessissét infiniti homines geniti, vnde cú anima rationalis hominis immortalis sit iam daretur modo infinita multitudo in actu animarú rationalium: sed non potest dari infinita multitudo motus, vt vidimus tertio Physicorum: ergo generationes hominum nó potuerunt esse ab æterno.

Respondent Authores con-

trariæ

trariæ sententiæ, quod in eo casu Deus anihilaret animas præexistentes, vt alias produ producerct, ne daretur infinitum in actu: hoc tamen ridiculum est: nam si Deus habet virtutem ad producēdas de nouo lias animas, quare nō ad conseruandas præexistentes.

Secundo quia, vt vidimus 3. lib. Physi. in infito sunt in infinities infinita, qua ratione in quantitate sunt infinities infinita puncta, cum sint in initæ partes, & in quanuis parte sint infinita puncta: ergo si precessisset infinita multitudo generationū vna post aliam, etiam precessissent infinites infinitæ multitudines generationum, quæ cum suc cessiuæ sint, & vna post aliā, vt supponimus vna infinita multitudo ex illis infinitis sequeretur post aliam, & ita iam illa prior infinita multitudo ad quam alia sequitur finiretur, quia alia aduenit post ipsam: sed implicat infinitum finiri: ergo repugnat fuisse ab æterno generationes successiuas. Et simili argumēto probauimus. 3. Phy. non posse dari infinitum in quantitate successiua, scili- infinitum tempus & motū: quia si precessissent infiniti dies in illa multitudine infinita, essent infinities infinitę multitudines dierū, & cū tempus sit essentialiter successiuum, necessarium esset vnam infinitam multitudinē dierum sequi post aliam, & ita iam illa prior duratio infinita finiretur, siquidem post illam alia subsequitur, & simili modo idem potest probari de motu, qui etiam successiuus est.

Etsi dicas reuera, nullū esse incōueniens, quod vnū infinitū sequatur post aliud: nam in quantitate, vbi sunt infinita puncta, atque adeò infinities infinita, vna infinita multitudo punctorum sequitur post aliam, qualiter in vna post infinitam multitudinem punctorum, quæ est in prima quarta, sequitur in alia infinita multitudo pūcto rum. Respondetur esse diuersam rationem, vt dixi tertio Physicorum: nam infinitum conflatum ex punctis est infinitum secundum quid: nam tota illa puncta, & partes coalescunt in quoddam totum finitum, scilicet in quandam quantitatem finitam, quæ habet primum & vltimum punctum. Vnde sicut pars finita quantitatis sequitur post aliā, ita vna multitudo infinita punctorum sequitur etiam post aliam, quod

quod secus est in infinito simpliciter, quale esset tempus integratum ex infinitis diebus, qui sunt partes aliquotæ temporis, huiusmodi in infinitum non habet finē, & ita repugnat finiri.

Quid ad uert. Est tamen aduertendum, quod quanuis in quantitate finita detur vltimum indiuisibile, tamen non datur penultimum, quia citra vltimū indiuisibile, sicut nulla datur pars vltima, ita neque vltimum indiuisibile.

Sed obijcies secundo, nam antequam mundus fieret, præcesserant infinitæ negationes infinitorum dierū: quia non præcesserunt infiniti dies per nos, atque adeò præcesserunt infinitæ negationes infinitorum dierum, in qua infinita multitudine negationum infinitorū dierum sunt infinities, infinitæ multitudines negationum dierum, ex quibus vna infinita multitudo debet subsequi post aliam: sicut si essent per transacti dies ipsi infiniti, vna infinita multitudo dierum sequeretur post aliam: ergo nullum est inconueniens vnum infinitum sequi post aliud. Respondetur, quod talis negatio temporis nihil reale est, neque oportet fingere in illa successionē partium: nam in quolibet instanti est negatio infinitorum dierum: quia tunc non possunt esse infiniti dies, & ita ex negatione illa nihil sequitur. Quemadmodum, quanuis extra cœlum detur spatium imaginarium negatum corpore non licet colligere esse possibile corpus infinitum quod illud repleat: quia quanuis illa carentia in singulis partibus spatij sit priuatio; quia quælibet pars distributiuè sumpta potest repleri corpore: tamen omnes simul sumptæ, prout faciunt infinitum, non possunt repleri corpore, quia infinitum non est possibile: ita ex negatione infinitorum dierum non licet colligere esse possibiles infinitos dies, in quo infinito vna multitudo sit post aliam. Patet ergo ex actenus dictis, mundum, prout de facto est, scilicet, prout continet res successiuas non potuisse ab æterno esse.

Sed quia ad prædictam conclusionem probandam plures aliæ rationes minime efficaces adduci solent, eas breuiter reijciam: primo ergo ex eo quidam probant prædictam conclusionem: quia si ab æterno esse

esset tempus præcessissent infiniti dies; & cum inquolibet die potuerit Deus producere vnicum Angelum, iam dari possent infiniti Angeli, qui incorruptibiles sunt, & semel producti non pereunt quæ tamen ratio nullius est efficatiæ. Nam si aliquid probaret, etiam probaret de facto, quia in quolibet instāti huius horæ potest Deus creare vnicum Angelum, vnde in fine horæ, in qua sunt infinita instantia, dari possent infiniti Angeli producti: quare sicut hanc rationem facile nos soluimus, tertio Physicorum, dicentes posse Deum producere Angelum inquolibet instanti huius horę distributiue idest inquolibet seorsum, non tamen in omni collectiuè: ita facile & vere dici posset, quod si præcessissent infiniti dies, posset Deus inquolibet die distributiue producere Angelum, non tamen in omnibus diebus collectiuè.

Secunda ratio, quæ adduci solet est, quia si ab æterno fuisset temp⁹ cum totum tēpus, quod fuit ab æterno vsq; ad hoc nunc, esset per trāsactum, sequeretur quod infinitum posset pertransiri.

Veruntamē hæc ratio nihil probat, vt licet: quia nullū est inconueniens infinitū versus illā partē, qua finē habet finiri, quia habet finē versus illā partē, sicut anima rationalis, quæ modo producitur ab æterno fuit sub nō esse in tēpore imaginario infinito, quod tñ tēpus infinitū non essendi finitur, quando aduenit aliud tēp⁹ inquo est. Vt ergo ratio ista vin habeat aduertēdum est, quod intra huiusmodi dies infinitos per transactos continentur infinities infinita omni fine carētia, & ita iam infinitū fine carens finiretur, q̄ est implicatiuū, & ita est euidens implicatio esse transactos infinitos dies, quia essent transacti & non transacti.

Tertia ratio, quæ adduci solet est: quia si Deus ab æterno creauit Solē, & Sol ab ęterno mouetur: ergo Sol debuit creari in aliqua determinata parte: ergo necessariū est, q̄ ab illa parte inceperit moueri, aliàs si non cepit moueri: ergo sēper fuit prius in alia, & in alia parte, atq; adeò in nulla parte cęli fuit creatus, q̄ videtur impossibile: nā necessariū est Solem fuisse creatū, aut in parte Orientali cœli, aut Occidentali, aut in alia determinata parte.

Sed neq; hæc ratio efficax est, quia facile pōt quis respōdere nullū esse incōueniēs, rē aliquā creari in loco in de

terminato, ita quod nõ sit dabilis primus locus in quo creatū sit. Ratio est, quia res non minus pẽdet à tẽpore quā à loco: vnde quẽmadmodū si Angelus produceretur à Deo in tẽpore, nõ daretur aliqua pars determinata tẽporis, in qua inceperit, cū antè quālibet partem proportionalem sit dabilis alia, & alia prior, datur tñ aliqua pars determinata aliquota, scilicet In hac hora, ita nõ esset incõueniēs fateri Solē in nulla parte determinata fuisse creatū, sed in aliqua parte cœli in determinata, ita quod nõ sit dabilis pars in quo primo creatus fuerit, quia ab æterno per motū fuit in alia, & in alia sine principio, datur tñ certū spatiū aliquotū, intra quod fuerit creatus scilicet in cœlo, quod determinatum spatium occupat.

Assert. 3. Et si obijcias: nā locus debet esse æqualis locato: ergo sol nõ potuit creari in toto cęlo, quod mai⁹ spatiū occupat, quā sol. Respõdetur verū esse quod Sol semper haberet locū sibi ęqualē, tñ hic loc⁹ ęqualis nullus esset primus assignabilis: nā cum fingamus ab ęterno mouerit semper fuit in alio, & in alio loco, & ita fuit creatus in aliquo tñ in determinato, ita quod null⁹ fuit primus assignabilis: quare istę rationes parū efficaces sūt.

Dico tertio, etiā mūdus nõ potuit esse ab æterno, quātū ad res permanētes, adhuc per diuinā potētiā. Hoc sentiūt authores citati pro cõtraria sentētia, & vt omitā in numeras rationes satis friuolas, quibus hæc sẽtētia suaderi pōt, illā hac vnica efficaci ratione probo. Nā si creatura aliqua etiā permanēs fuisset ab æterno, daretur infinitū in actu, quod falsū esse ostēdimus. 3. lib. Phys. sequela vero probatur: quia ad quālibet rem permanētē consequitur duratio sua intrinseca necessario, quę duratio rei permanētis, quāuis sit indiuisibilis, vt quo, vt vidim⁹. 4. lib. Phys. tñ vt quod est diuisibilis, & hēt partes, quarū vna succedit post aliā. Vnde idē incõueniēs supra allatū si darētur infiniti dies pertrāsacti aperte sequitur in duratiõe hac infinita rei permanētis, si possit dari creatura aliqua ab æterno; cum talis duratio habeat partem post partem, sicut tempus.

Nec valet dicere, posse Deum priuare illam creaturam sua intrinseca duratione ita quod tantum mensuretur extrinsece per æternitatem, quæ est in Deo: hoc inquā non valet, quia sicut nõ pōt Deus priuare rē à parte rei existētē præsētia reali, in loco, seu spatio aliquo, eo quod in

intelligibile est rem esse à parte rei, & non esse alicubi: ita etiam non potest illam priuare duratione intrinseca, quia non est intelligibile rem esse à parte rei, & non esse in aliquo tempore reali, aut imaginario: prę sentia autem rei in tempore reali, aut imaginario est duratio ipsa rei permanentis, quam lococitato diximus esse quoddam accidens super additum ipsi rei permanenti, & ab illa ex natura rei diuersum, legantur dicta loco allegato.

Etsi dicas, hoc esse necessitari Deum ad rem aliquam producendam. Respondetur nullum esse in cõueniens, Deũ necessitari ad aliquid ex suppositione: qualiter ex suppositione, quod producat à parte rei corpus aliquod, necessitatur, vt in eo producat aliquam figuram, quia est in intelligibile dari à parte rei corpus sine aliqua figura, tamen absolute loquendo libere producit figuram: quia potuit non producere corpus, ad ꝙ consequitur figura: ita similiter potuit absolute loquendo, non producere durationem, quia potuit non producere rem permanentem, ad quàm consequitur duratio: tamen ex supositione, quod producat rem permanentem necessarium est, quod indè consurgat duratio intrinseca, & ita si esset ab æternò creatura aliqua, iam posset dari infinita duratio.

Super est tandem respódeamus ad argumenta primę sententiæ. *Redarg. 1. sent.* Ad primum respódetur verũ esse mũdũ potuisse incipere antea, & antea, nó tñ ab æterno: sicutquanuis anima rationalis sit duratura â parte post ampli⁹, & ampli⁹, non tamen dabitur duratio infinita in actu. Et ratio à priori est: quia non licet argumentari ab infinito in potentia ad infinitum in actu: sicut non valet. Continuum esse diuisibile in plures, & plures partes: ergo est diuisibile in omnes: sic etiam nó valet. Mundus potuit esse antea, & antea: ergo ab ęterno: quia illa particula ab æterno denotat tempus infinitum in actu.

Ad secundum respondetur, quod etiam si Deus esset agens necessarium, non potuisset producere mundum ab æterno: quia implicat ex parte ipsius effectus, vt vidimus: agens autem necessarium non potest producere id, quod in se impossibile est.

Ad

Ad tertium verum esse, quod sicut mundus à parte post durabit magis, ac magis; ita etiam à parte antea, potuit antea, & antea incipere: ex hoc tamen non licet colligeree, quod ab æterno potuerit incipere: sicut quamuis aperte post sit magis, ac magis duraturus, numquam tamen dabitur duratio infinita in actu, sed in quacumque parte sistat, iam ibi finitur illa duratio.

Ad quartum respondetur, Deum ab æterno dici Omnipotentem, non quidem, quia possit ab æterno aliquã creaturam producere, sed dicitur ab æterno Omnipotens, quia quantum est ex se, non repugnaret mundum produci ab æterno, si res ipsa factibilis esset. Vnde non requiritur, vt Deus sit omnipotens ab æterno, quod ab æterno sit creatura possibilis, sed quia ab æterno habuit potentiam, vt antea, & antea produceret creaturã, non tamen vt illam produceret ab æterno, quia implicat ex parte effectus.

Ad vltimum respondetur suppositionem esse implicatiuam, scilicet, quod ponatur ignis ab æterno, applicatus ligno: quia nos negam⁹ dari posse ab æterno ignẽ, aut lignũ: & hæc de hac disputatione.

DISPVTATIO VLTIMA, DE IMPVLSV, QVO MOVENTVR PROIECTA.

QVamuis rem hãc obiter attigerit, Arist. hoc lib. tex. 82. est tamen res difficilis, & scitu dignissima & quæ longiori indiget disputatione, quam cõmuniter disputari solet, vt ex eius discursu patebit.

QVAESTIO I.

Vtrum proiecta moueantur ab impulsu, seu virtute aliqua illi superaddita.

PRIMA sententia asserit proiecta moueri à medio, 1. Sentent.

quaestionem de motu proiectorú, deberet redere causam per se, & necessariá illius motus, & ita quicquid plures dicant existimo illú sensisse, quod proiecta moueátur ab aere medio. Potest auté haec sententia probari primo: ná si proiecta moueantur, non ab aere medio, sed ab aliqua qualitate motiua, sibi inhaeré ti, sequitur motú proiectorú esse naturalem, v. g. quando lapis sursum proiicitur, quod est absurdum, cú motus sursum sit violẽtus graui. Sequela autem probatur: quia ille est motus naturalis, qui prouenit à principio intrinseco: ergo si proiecta mouétur ab aliqua qualitate sibi inhaerenti, quae naturaliter ordinetur ad causandum illum motum sequitur esse motum naturalem.

I. Ratio cõtrar. sent.

Secundo; quia omnis qualitas, quanuis sit contra naturam alicuius subiecti, nulla tamé est qualitas, quę non sit connaturalis alicui subiecto, qualiter calor quanuis sit cõtra naturam aquae, tamen igni naturalis est: sed huiusmodi impulsus, nulli corpori est connaturalis, sed praeternaturalis, aut violentus: ná si lapis proiicitur sursum, ille impulsus est illi violentus quia causat in illo motú violentum, si autem proiiciatur deorsum, saltem ille impulsus est praeternaturalis: quia causat in tali motu maiorem velocitatem, quá ipsum graue petat: ergo talis qualitas nó datur. Plura alia argumenta congerunt authores cótrariae sententiae ad probandú, non esse istam qualitaté, quá appellamus impulsum, quia intendunt probare talé qualitatem non posse produci, nec corrumpi ab aliquo agenti naturali, quae quia specialẽ continet difficultaté in speciali quaes. infra sunt tractáda.

Secunda tamé, & vera sententia nobis tenenda est proiecta, nó moueri ab aere medio, sed à qualitate aliqua illis superaddita, & à proiicié te impressa, quae appellatur impulsus, atq; adeò necessario esse admitédos huiusmodi impulsus. Quae sentẽtia satis est cómunis, illam tenet Diuus Thom. de potentia, quaest. 11. artic. 5. & in quaest. de anima, artic. 11. ad secundum. Valles controuersia 51. Sotus hoc lib. q. 3. Capreol. & Durand. in 4. dist. 1. q. 1. licet plures ex his conentur ad nostram Aristot. adducere sententiá tamé inuitú omnino, & reluctanté, vt dixi, & ita satis immeritò: ná quáuis Aristot. multú quidé tribuen

Proiecta mouetur a qualitate illis superaddita.

dum sit, rationi tamen plurimum.

Sit ergo prima ratio contra illam: quia vel proiecta mouentur à proiiciente, vel à se, vel ab aere medio, vel à qualitate aliqua illis impressa à proiiciente: sed nó possunt moueri à proiicienti immediate, neque a se, neque a medio: ergo mouentur ab impulsu illis impresso: probo singula. Et in primis, quod non moueantur a proiiciente immediate: quia adhuc quando proiectum multũ distat a proiiciente, mouetur proiectum: ergo non potest proiiciens immediate causare illũ motum: nã vt vidimus 2. Phys. causa immediata debet esse simul cum passo, vt operetur in illud: ergo non potest proiiciens mouere lapidem distantem immediate per se ipsum, sed mediante qualitate aliqua illi impressa. Quod non moueatur a se, patet, quia quãdo lapis proiicitur sursum mouetur motu violento contra suam naturam: ergo non mouetur a se, imò quando proiicitur deorsum; quia mouetur maiori velocitate, quam petit illa maior velocitas, non prouenit ab eius natura. Quod vero non moueatur ab aere medio probatur cõtra Aristotelem.

Primo. Quia vel mouetur à partibus anterioribus aeris, quas mobile scindit, vel a partibus posterioribus, quę sunt a tergo: non a primis, quia potius illæ impelluntur, & scinduntur ab ipso corpore proiecto, quam moueant illud: neq; etiam a partibus posterioribus, quia cum illę partes quæ sunt a tergo cõfluant ad replendũ vacuũ, quod relinquit proiectũ, presupponunt motum fuisse proiectũ illud pri' natura, vt partes cõfluãt ad replendum talẽ locũ: ergo nõ causant talem motum.

Secundo, quia illæ partes cũ confluant ad replendũ vacuum, ea velocitate confluũt qua mobile per motũ desserit locum: ergo semper velocitas, & confluxus motus, partium supponit prius factum esse motum illius corporis ergo.

Tertia, & præcipua ratio est: quia multoties contingit lapidem moueri, contra vehementem impetum venti flantis: ergo tunc medium multo magis impedit, quam iuuet, ad talem motum, atque adeò talis motus, non potest prouenire a medio.

Quarto, & id probatur euidẽter: quia si sagitta proiecta mouetur ab aere medio, cum

cum aer sit facile mobilis, & modo in hanc, modo vero in illam partem feratur; non perduceretur sagitta recta via, vsque ad scopum, sed videmus illam rectissima via perduci ad scopum: ergo signum est illum motum aliunde causari.

Quinto, quia in vacuo si daretur, posset quis, siue naturaliter, siue miraculose proiicere lapidē, ibi autē nullum est medium, à quo moueatur: quia supponimus esse vacuū: ergo talis motus necessario fit ab impulsu, qui est qualitas impressa in corpore proiecto à proiiciente.

Ex quibus patet Aristotelem à nemine excusari posse, quatenus dicit proiecta moueri ab aere medio, quicquid sit de eius mente, circa existentiam impulsus.

Resp. ad rat. contrariā sentent. ad 1. Ad argumenta contrariæ sententiæ, respōdetur ad primum, ad rationem motus naturalis non satis esse, quod proueniat à principio intrinseco, sed debet esse à principio intrinseco naturali: nam etiam quando aqua calefit prouenit à principio intrinseco ipsi aquæ, scilicet à calore qui est in illa inhæsiue, cum hoc tamē talis calefactio, nō est naturalis aquæ: quia non prouenit à principio intrinseco naturali, sed violento potius: ad eundē ergo modū, quia motusquo mouetur proiecta, quāuis proueniat à principio illis inhærenti, scilicet, ab impulsu, quia tamē nō prouenit à principio naturali illis; sed potius violento, aut præternaturali, vt argumentum probat, ideo motus proiecti, non est naturalis.

Ad secūdū esse diuersam rationē de aliis qualitatibus, & de impulsu: nam aliæ qualitates, vel sunt dispositiones, quę ordinantur ad generationē alicuius formæ, vel ex natura rei consequuntur ad fōrmā genitam, vt grauitas, & similes qualitates, & ita aliæ qualitates sunt connaturales cōposito habenti illā formā, tamen impulsus neutrū horū habet: quia neq; disponit ad generationē alicuius formæ substsubstātialis, sed solū ad motum localē, neq; ex natura rei, consequitur ad formā aliquam genitā, sed solum habet dependentiā à proiiciente, & ita nulli corpori est naturalis, imò neq; potest dari substantia, cui sit conaturalis quia est qualitas ścito transiens, neque habet esse aliquod permanens, sicut aliæ qualitates, & ita non est dabilis substantia aliqua permanens, cui sit connaturalis. *Ad 2.*

sit de specie potētiæ passiuæ.

Secundo, quia ad motum naturalem requiritur qualitas motiua naturalis, qualiter ad motum deorsum requiritur grauitas: ergo etiam ad motum violentum proiecti, debet poni qualitas motiua violenta illi superaddita.

Impulsus sursum essentialiter, & specifice differt à leuitate, & idem est de impulsu deorsum.

Dico secundo, impulsum sursum essentialiter, & specificè differre à leuitate, & impulsum deorsum à grauitate. Quæ conclusio cōmunis est inter authores, admittentes dari huiusmodi impulsus. Et probatur facile: primo, quia si impulsus sursum nō distinguitur specie à leuitate, sequitur, quod sicut leuitas est contraria qualitas grauitati: ita impulsus sursum, si habet eandem naturam, & ita tam magno impulsu, posset lapis proiici sursum, quod totaliter corrumperetur illius grauitas, sicut per nimium calorem totaliter expellitur frigus, & ita si proiectum in medio cursus, detineretur a corpore leui, vt à lana, à qua exiguum reciperet impetum per aliquod tempus minus grauitaret, & ponderaret, quam antea, quod est absurdum.

Nam si respondeas, statim se reducere ad suam pristinam grauitatem. Contra est: nam talis actio successiuè debet fieri, quia fit cum resistentia impulsus, quem authores contrarij ponunt esse, qualitatem contrariam grauitati, & ita ad hoc indigeret illud mobile mora aliqua temporis.

Secundo probatur à posteriori: nam experimur grauitatem, & leuitatem esse qualitates diu permanentes, huiusmodi autem impulsus, nū quam habet esse permanens, sed statim cessat finitó motu proiectorum. Præterea, grauitas, & leuitas, prærequirunt certas qualitates, & dispositiones præuias à quibus oriuntur: nam corpora, quæ maiorem habent frigiditatem, & siccitatem sunt grauiora, quæ vero maiorem calorem leuiora: huiusmodi autem impulsus, nihil tale requirit, sed tota eius intensio, attenditur penes impetū proiicientis.

Tertio, nam corpora minus leuia, vt palea difficille impelluntur sursum, faciliusq; impellitur corpus graue: ergo signū est impulsum sursum maxime differre à leuitate.

Quarto, nam grauitas, & leuitas sunt qualitates naturales corporum, & oriuntur à pro-

alium: nam si tale proiectum applicaretur à proijciéte versus aliam partem, eodé impulsu posset moueri versus aliam partem. Sicut magnes eodem impulsu, quo ad se trahit ferrum versus partem dextram, posset attrahere versus sinistram, si versus illam partem illi applicaretur, & ita impulsus non magis petit motum in hanc partem, quàm in illam, sed id duntaxat habet, ex eo quod mobile per manum proijciétis applicetur versus hanc parté, aut versus illam: at vero leuitas & grauitas natura sua petunt determinatum locũ, & ita patet impulsum sursum, & deorsum maxime differre à leuitate & grauitate.

Ad tertiam quod vt in simili dicebam quæstione præcedenti, vt aliquid moueatur à se non satis est, quod moueatur à principio actiuo sibi inhærenti, sed tale principium debet esse illi connaturale: nam si sit violentum potius mouetur contra suã inclinationem, & ita potius mouetur contra se, quàm à se.

QVAESTIO. III.

Vtrùm impulsus, seu impetus sursum, & deorsum distinguantur specie inter se.

Non desunt qui existiment impetum, quo proiectum mouetur sursum differre specie ab impetu, quo mouetur deorsum & fundamentum esse potest. Primo, quia eadem qualitas non potest esse principium contrariorum motuum: qualiter calor non potest esse principium calefactionis, & frigefactionis: ergo neq; idem impulsus secundũ speciem poterit causare motũ sursum, & deorsum, atque adeò impetus sursum distinguitur specie ab impetu deorsum.

Secundo, quia ideo grauitas, & leuitas distinguuntur specie, quia sunt principia motus diuersæ rationis: ergo propter eandem rationẽ debent distingui specie impulsus sursum, & deorsum.

Sed nihilominus dico primo impetũ sursum, & deorsum non distingui specie,

 sed

Impetus sursum & deorsum, qua ratione differant.

sed tantum per differentias indiuiduales. Probatur primo, quia magnes per eandẽ virtutem secundum speciẽ attrahit ferrum, tam ad partẽ dextram, quàm ad sinistram, qui motus sunt contrarij: ergo similiter impulsus proijciens mobile sursum, & impulsus deorsum non debent distingui specie. Patet consequentia: nam etiam magnes attrahit ferrum per qualitatem motiuam, illi impressam & cito transeũtem: sicut impulsus: neque enim potest fieri, quod ferrum propria virtute moueatur ad magnetem.

Dubium de magnete.

Etsi inquiras, an illa qualitas, quam magnes imprimit in corpore sit diuersæ speciei ab impulsu. Respondetur non esse diuersæ speciei, vtraq; enim est qualitas motiua cito transiens, & non connaturalis mobili, & ab extrinseco prouenit, neq; requirit vnã certam aliquã dispositionem præuiam, quam non requirat alia, & ita non est vnde colligamus distinctionem essentialẽ inter huiusmodi qualitates: verum est qualitatem illam quam magnes imprimit ferro communi vsu loquendi non appellari impulsum, prout impulsus significat aliquid productum actione impellendi; neq; enim magnes impellit ferrũ: itã hæc differentia potius est in nomine, quam in re ipsa: sicut curuitas, prout in naso simitas appellat, in alio vero corpore minimè, cũ tñ curuitas non differat specie, ex eo quod hic appelletur simitas alibi vero non.

Secundo probatur cõclusio, quia si impetus sursum distinguitur specie ab impetu deorsum: ergo similiter impetus mouens ad dextrum, & impetus mouens ad sinistrum differunt specie: vnde idem esset de ante, & retro, & alijs differentijs positionũ in infinitum, & ita darentur infinitæ species impulsus, quod est absurdum.

Tertio, quia impetus sursũ, & deorsum possunt prouenire ab eodem agente, neq; requirunt diuersas dispositiones a quibus oriãtur, & vtraque est qualitas cito transiẽs: quod autem sint principia contrariorum motuum non habent determinate ex se, sed iuxta diuersam applicationem, qua mobile aplicatur a proijciente, versus hãc vel illam partẽm; ex se autẽ tantum petit pellere proiectum a proijciente: ergo nõ distinguuntur specie.

Quarto, quia impetus sursum,

sum, & deorsum possunt simul esse in eodem subiecto, vt si corpus aliquod maximũ, quod nullatenus dimoueri posit à suo loco simul vehementissime impellatur à duobus versus contrarias partes, tunc recipit impulsus ab illis agentibus vehementer conantibus illud dimouere, quãuis propter nimiã corporis magnitudiné, neuter impulsus sit sufficiẽs addimouendũ illud à suo loco ergo iã impulsusqui aliàs tenderent in partes cõtrarias possunt simul esse in eodem subiecto: ergo nõ cõtrariantur. Neq; valet dicere, tunc illos impulsus non subiectari in eadem parte, sed in diuersis, quia agentia impellẽtia non applicantur eidẽ parti, sed diuersis. Nihil valet, nam idem esset si per penetrationem eidem parti applicarentur, & conarentur impellere illud corpus ad partes contrarias.

Secundo, quia cum supponamus motus illos impellentes illud corpus esse nimis vehementes, producerẽt in toto illo corpore impulsum, & ita adhuc eadẽ pars haberet duos impulsus numero differentes, neq; enim reputamus inconueniens dari simul duo accidentia solo numero differentia in eodẽ subiecto, vt diximus 1. lib. Physicorum, disputatione vltima.

Ex his dico secundo: impulsum nullam habere contrariam qualitatem, sicut lumen. Ratio est, nam si aliquã haberet maxime contrariarẽtur impulsus sursum, & deorsum, isti autem non contrariantur, & ostensum est ergo *Impulsus nullam habet contrariam qualitatem.*

Secundo, quia huiusmodi impulsus, nec disponunt ad formas incompossibiles, neque oriuntur ex formis cõtrarijs, sed sunt res indifferentes, vt sint in quouis subiecto: ergo non habent contrariam qualitatem: nam inter alias qualitates ideo inuenimus contrarietaté, quia vel disponunt ad formas incompossibiles, vel ex natura sua oriuntur ex illis, & ita sunt contrariæ.

Ad argumenta cõtrariæ sententiæ respondetur. Ad primũ falsũ eandẽ qualitatẽ secundũ speciẽ, posse esse principiũ motus cõtrariorũ, quãdo illa qualitas per accidens, & ex diuersa applicatione ordinatur adhunc, vel illum motum; possunt enim impulsus eiusdem speciei habere applicationes contrarias, vt dixi, & ita per accidẽs esse principium contrariorum *R. ad argu. contrariæ sent. ad 1.*

rum

rum motuum. Est autem dispar ratio de calore, & alijs qualitatibus naturalibus, quia huiusmodi qualitates natura sua, & non ab extrinseco ordinantur in suas actiones; impulsus vero solum ex diuersa applicatione proiecti in hanc vel illam partē causat talem, vel talem motum, & ita quia impulsus eiusdem speciei possunt applicari in partes contrarias, ideo impulsus eiusdem speciei possunt esse principia motuum contrariorum.

Addo secundo falsum esse, illud principium, scilicet eandem numero qualitatem non posse esse principium motuum contrariorum, nam eadem numero potentia loco motiua animalis mouet illud modo in hanc partem, modo vero in contrariam.

Et si inquiras, an eodem numero impulsu possit proiectum moueri motibus cōtrarijs successiue. Respondetur quod non, quia impulsus non habet tantam perfectionem, quantam habet potentia loco motiua animalis, quæ mouet illum iuxta suā spontem, qua in contraria loca potest inclinari, atq; adeò non debet affirmari hoc de impulsu.

Ad secundum respondetur esse diuersam rationem: nam grauitas ex natura sua determinate inclinat in motum deorsum, ita quod nullatenus in alium inclinare possit, & similiter leuitas in motum sursum, & ita distinguuntur inter se specie, at vero impulsus per accidens inclinat in hunc vel illum motum ex diuersa applicatione facta à proijciente in corpore proiecto.

QVAESTIO. IIII.

Quas causas habeant impulsus suæ productionis, aut corruptionis.

Ex dictis facile patet impulsum non habere causam formalē sui, quin potius ipse impulsus est quædam forma, scilicet qualitas inhærens ipsi proiecto Causa autem finalis est ipse; motus localis ad quem causandum ordinatur: nam natura sua petit pellere mobile à proijciente quod fit per motum localem. De causa autem materiali, seu subiecto illius dicendum est esse corpus diuisibile, & corruptibile. Cuius ratio est, quia

xt

vt dicā latius lib. de cęlo. Intelligētia, quæ mouet cęlum nullū illi imprimit impulsū, aliàs motus ille potius violētus, quam naturalis esset, fateor tamen de potentia Deī absoluta non repugnare cęlum recipere impulsum aliquem: nam quod quidā obijciunt, scilicet cęlum ideo esse incapax impulsus, quia per vehementem impulsum impressum solent partes mobilis facile diuidi, & dissipari, cęlum autem non potest pati diuisionem, nō probat de potentia Dei absoluta, cum cęlum saltem per diuinā potentiam diuidi possit: tum etiam, quia facile potest dici impulsum solum habere illum effectum, scindēdi partes mobilis in subiecto capaci; sicut quanuis lumen in alijs corporibus calorem producat, non tamen in cęlo, quod illius incapax est, cū tamen non ideo cęlum sit incapax luminis.

De potentia Dei absoluta cœlum potest recipere impulsum.

Tertio certum est, impulsū effectiue produci à proijciente media sua potētia motiua, quæ in non viuentibus est grauitas, & leuitas, in viuentibus vero est potentia loco motiua. Cuius ratio est quia vt supra dicebam ad eādem potentiam pertinet intendere finem, & adhibere media ad illū, necessario ergo ad potentiam motiuam alicuius corporis pertinet pellere corpora inter media, ne suum motum impediant.

Impulsus effectiue à proijciente.

Et si obijcias: nam vnum corpus pellit aliud ab eodē loco ratione quantitatis, quę ex natura rei est impenetrabilis cum alia: ergo talis effectus à sola quantitate fieri potest. Respondetur reuera actionem illam impellendi corpus à suo loco fieri à quātitate; sed non immediate, sed mediante potentia motiua, quæ in illa residet, quia per motum illud expellit.

Sunt tamen hoc loco non nulla aduertenda, primo impulsum, etsi in fieri dependeat à proijcienti, non tamē in conseruari. Ratio est, quia impulsus cōseruatur adhuc in distantia à proijciēte: sed nulla causa potest immediate, & Physice agere in passū, nisi illud tangat: ergo talis impulsus non conseruatur à proijciente, sed à prima causa, neque enim aliqua alia secunda causa ex cogitari potest cui talis actio Physicę tribui possit: nam aer medius per quod proiectū mouetur, potius aliquando impedit, & resistit, vt quando mouetur proiectum contra impe-

Quid aduer.

impetum venti flantis.

Et si obijcias, quod prima causa non operatur nisi medijs causis secundis. Respondetur primam causam non ideo dici operari medijs secũdis causis, quia semper necessarium sit secundã causam Physice cum illa operari, sed operatur medijs secundis causis, idest determinate, vt talem vel talem effectum producat ab ipsis secundis causis, & ita proijciẽs dum talem impulsum produxit, quasi antecedenter determinauit primam causam, vt postea eundẽ impulsum iuxta ipsius rei exigentiam conseruaret.

2. Aduert. Secundo aduertendũ est ad productionem impulsus duos requiri motus locales, alterũ, quo proijciens aproximatur mobili: generale enim est omni causæ efficienti, nõ operari, nisi in passum sibi aproximatũ: alterũ vero quo vnum aliud pellere conetur: cuius ratio est; nã quãtũuis manus sit aproximata lapidi, si tamen sit quieta, non impellet lapidẽ, neq; impulsum producet. Et ratio à priori huius est, quia corpora expellunt se ab aliquo loco ratione impenetrabilitatis in eodẽ loco, ideo oportet, quod vt vnũ corp⁹ aliud pellat ab eodem loco, moueatur localiter ad motũ illius, & ita impulsus ad sui productionẽ prerequirit necessario illã conditionem, non secus quàm aproximatio, est cõditio omnino necessaria ad calefactionẽ; postea vero ad talem motum localem sequitur ipsa productio impulsus, quæ est alteratio quædam, nã est actio productiua qualitatis.

Dub. de corruptione impulsus. Maiorem habet dubitationem in hac re à quo corrumpatur huiusmodi impulsus.

In qua re primus dicendi modus est, quod cum graue sursum proiectum, scindat particulas aeris, illæ resistũt, & ita ex tali resistentia paulatim languescit impulsus existens in proiecto.

1. Modus. Sed non placet; quia hic modus innuere videtur talem impetum effectiue corrumpi ab ipso medio resistẽti ad illum motum, quod est falsum: quia causa effectiue corrumpens, vel corrumpit effectiue cessando conseruare effectum, qui ab illa pendet in conseruari: qualiter lumen corrumpitur à sole, à quo pendet in cõseruari per solam cessationem actionis: & hoc non, quia vt vidimus, impulsus non conseruatur effe-

effectiue à medio per quod proiectum mouetur, & ita per cessationem aliquam à medio factam nó potest cor rumpi: vel corrumpit illum effectiue producẽdo aliquid incompossibile cũ illo: qualiter ignis corrumpit frigus ligni, producendo calorem illi incompossibilem, & hoc non: quia si aliquid produceret aer medius in tali proiecto, maxime impulsum: sed impulsus non contrariatur cum altero impulsu, ostendimus enim, omnes impulsus esse eiusdem speciei, atque adeò non possunt esse conttarij inter se: quia contrarietas requirit distinctionem specificam, & vltra illã addit distantiam maximam sub eodem genere, quia contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime distant: ergo non potest effectiue corrumpi ab aere medio. Tum etiam: quia potius proiectum pillit partes aeris, quã pellatur ab illis: ergo potius proiectum imprimit impulsum in partibus aeris quàm è contra.

Tertio, quia si in vacuo lapis aliquis sursum proijceretur, proculdubio talis impulsus tandem finiretur, ibi tamen nulllum est medium: ergo non corrumpitur à medio.

Secundus, modus dicendi est huiusmodi, impulsum corrumpi à grauitate ipsius proiecti, dicunt enim impulsum ferentem scilicet lapidem sursum, esse qualitatem contrariam grauitati naturali ipsius lapidis, atque adeò illam remitere, non secus quàm calor remittit frigus aquæ. Vnde quemadmodum à qua postea reducit se ad suam pristinam frigiditatem, & mediante frigiditate, quam de nouo in se producit corrumpit calorem, quem antea habebat: ita dicunt graue postea se reducere effectiue ad suam pristinam grauitatem, & mediante illa expellere impulsum præexistẽtem, ita quod talis impulsus in genere causæ formalis corrumpatur à grauitate illi incompossibili in gradibus intensis, effectiue vero à substantia ipsius grauis, effectiue se reducente ad suam pristinam grauitatem, sicut aqua effectiue se reducens ad suam pristinam frigiditatem, effectiue corrumpit calorem præexistentem. 2. Modus.

Quod vero grauitas sit qualitas contraria illi impulsui,

sui, & ita quod impulsus ab illa corrumpatur, probant. Quia experiētia patet, quod quando proijcimus corpus, sentimus resistentiam: ergo signum est grauitatem sic rēsistentem contrariari impulsui, dum resistit, ne producatur.

Reijcitur. Sed neque hic modus dicēdi placet, falsum enim est grauitatem contrariari impulsui, & illum corrumpere.

Primo, quia sequeretur, ꝙ si lapidi vehementissimū impulsum in primas, statimque detineatur, quod tunc lapis quantunuis magnus fere nihil ponderis, & grauitatis haberet. Patet consequentia, quia vehementissimus ille impulsus totam grauitatem corrumperet, & cum postea debeat lapis reduci ad suam pristinam grauitatem, quia adest magnus impulsus contrarius, quem per inde paulatim debet expellere, iam in illa mora lapis magnus fere nihil ponderis haberet, quod est ridiculum.

Secundo, quia eidem qualitati non contrariantur plures qualitates diuersæ speciei: qualiter calori tantum contrariatur frigus: sed grauitati contrariatur leuitas: ergo non impulsus qui specie differt à leuitate, vt ostendimus.

Tertio, quia si grauitas paulatim corrumpit impulsum: ergò cum primum proiectū incipit distare a proijciente, incipit grauitas reduci ad suum pristinum statum, & expellit impulsum; atque adeò quādo proiectum peruenit ad medium motus, habebit minorem impulsum, quā habuit in principio motus, & ita motus proiectorū erit minus velox in medio quam in principio, quod vt infra dicam est contra manifestam experientiam.

Nec valet dicere, impulsum illum non remitti, quia iuuatur a partibus aeris, quæ commotæ confluunt ad repelendum vacuum, & ita cōtinuo pellunt ipsum graue: nam contra est, quia quando proiectum mouetur contra impetum venti flantis, magis impeditur, vt desistat a motu, quā impellatur, vt vlterius pergat.

Secundo, quia aliàs motus proiecti esset velotior in fine, quam in principio, quia in fine iam est facta maior commotio partium medij, quam in principio: Vltimo, hoc ipsum probatur: quia saltem, quando lapis deorsum impellitur nō posset ille impulsus

pulsus corrumpi à grauitate, quia tendit deorsum, sicut ipsa grauitas: ergo impulsus ille non potest corrumpi à grauitate.

A quo corrumpatur impulsus.

Quare placet hac in re tertius modus dicendi; huiusmodi impulsum corrumpi solum per substractionē concursus primæ causæ à qua sola, pendet in conseruari, vt vidimus; itamen, vt illa substractio concursus sit illi connaturalis, & debita. Ratio sumitur ex dictis; quia omne accidens tantum ex triplici capite potest corrumpi, scilicet à cōtrario, ex defectu subiecti, & per substractionem cōcursus quo cōseruatur: qualiter lumē quāuis nō habeat qualitatē contrariā, corrūpitur ex defectu cōseruantis: sed impulsus non corrūpitur ex defectu subiecti; quia adhuc permanēte lapide, corrūpitur impulsus: neq; à cōtrario, quia vt ostendimus nō habet qualitatē cōtrariā, à qua possit corrūpi; solū ergo restat, quod corrūpatur per substractionē concursus primæ causæ, a qua ostendimus pendere in conseruari, non vero à proijciēti. Quod vero talis substractio cōcursus non sit ex mera libera Dei voluntate, sed iuxta naturam, & exigentiam rei, probatur. Quia cum impulsus sit qualitas ex natura sua cito transiens, natura sua petit tā tā durationē, & non maiorē sicut ignis petit tantum calorem non maiorem, & ita trāsacta duratione, ex natura rei petit corrūpi, quod in alijs rebus, quæ habent esse diu permanens non inuenitur. Idem etiā est de tempore, & rebus essentialiter successiuis; quia cum essentialiter cō sistant in successione, ex sua natura petunt non habere consistentiam in duratione.

Sed contra obijci potest, quia natura non intēdit corruptionem: ergo incredibile videtur impulsum transacta breui duratione natura sua petere corruptionem.

Secundo, quia prima causa non cessat a conseruatione alicuius rei, nisi quia cessat aliqua secunda causa, cū qua operatur: ergo corruptio impulsus non potest reduci in solam substractionem concursus primæ causæ.

Tertio, quia nulla est res, cui sit debita productio illius formæ, nisi dispositiones, quæ disponunt ad illam, tamen ipsi formæ non est debita productio sui: ergo neque alicui rei est debita corruptio.

Sed respondetur ad primam

Aaa

mam, naturam non intendere corruptionem rei, quādo est illi debita conseruatio, ideo enim quādo generatur ignis non intēdit natura per se corruptionem ligni, quia ligno secundum se præcisse nō est debita corruptio, quia ex se potius petit conseruationem, & ita natura solum intendit eius corruptionem per accidens, in quantum dispositiones, quæ sunt in illo ex natura rei petunt productionem formæ ignis, cū qua est incompossibilis forma ligni, tamen quando ipsa rei natura petit determinatam durationem, illa transacta per se petit corruptionem.

Vel secundo & melius respondetur, quod cum dicitur natura perse non intendere corruptionem non dicitur natura in particulari pro ipsa natura rei, quæ corrumpitur, hæc enim aliquando perit suam corruptionē, vt dixi: sed sumitur natura pro naturali serie, & ordine rerum, & ita verum est hanc naturalem omnium rerum dispositionem non intendere perse corruptionem: nam quando impulsus corrumpitur non est hoc quod perse primo intendit natura, sed potius quod mobile relinquatur suæ naturæ, & non impellatur contra inclinationem propriam.

R. Ad. 2. Ad secundum etiam primām causam suspēdere suū concursum quando ipsa rei natura petit talem substractionem: qualiter res habentes ex se esse fluens illam petunt transacta duratione sibi debita.

Ad. 3. Ad tertium esse diuersam rationem, quia antequā res producatur non est res, & ita nihil potest esse illi debitum, tamen res antequam corrumpatur præxistit, & quia petit determinatam durationem ideo potest illi esse debita corruptio.

Tandem respondetur ad fundamentum adductum pro contraria sententia in secundo loco, quod proijciens lapidem nō ideo sentit difficultatem, quia grauitas sit contraria impulsui, quia in illa actione, quæ est productio impulsus, & quædam alteratio nulla est resistentia, sed potius in alia actione, quæ est mouere lapidem localiter, quæ est actio præ requisita ad productionem impulsus, vt vidimus: nam cum lapis, pondus habeat non est mirū, quod illius proiectio fiat cum

tum aliqua resistentia.

Illud tamen hac in re consideratione dignum est, scilicet lapidem non solum resistere quando sursum proijcitur, sed etiam quãdo proijcitur deorsum: nam reuera vt lapidem magno impetu deorsum proijciamus opus est vi aliqua superante illius resistentiam vt experientia patet.

Ratio autem à priori est, quia grauitas lapidis, & si natura sua petat motum deorsum, non tamen ita velocem qualem per impulsum efficere connamur, & ita ad motum ita velocem reuera resistit.

QVAESTIO. V.

Vtrùm impulsus producatur, & corrumpatur in instanti, vel potius successiue.

(.?.)

RATIO Dubitandi est, nam videtur impulsum necessario produci, & corrumpi in instanti Ratio est, quia non habet vt vidimus contrariam qualitatem, quæ illa resistat, atque adeò nulla potest esse causa successionis: ergo producitur, & corrumpitur in instanti.

Tamen dico primo impulsum corrumpi successiue non vero in instanti. Et probatur primo, quia experientia constat motum proiectorum paulatim languescere. Ratio uero à priori est, quia sicut sunt quædam res, quæ non durant amplius, nisi quando fiunt, quales sunt res successiuę, vt tempus & motus; aliæ vero quæ multum permanent postquam factæ sunt, vt lapis equus: ita sunt aliæ res mediæ, quæ nec tandiu durant quã diu fiunt, nec postquam factæ sunt multum conseruantur, sed paulatim corrumpũtur; quod colligimus ab experiẽtia, ex eo quod sensu cõstat motum proiectorum paulatim finiri; ergo quanuis impulsus non habeat contrariũ, sicut hoc habebat peculiare quod ex sua natura petit corrumpi, ita etiam petit paulatim corrumpi.

Dico secundo impulsum per se loquẽdo produci in instãti. Probatur, quia impulsus imprimitur à proijciente, sed in tempore quo proiectum incipit distare, à proijciente per motum, *Impulsus producitur in instanti.*

non potest proijciens produ cere impulsum, quia iam passum distat ab illo per motũ localem: ergo in instanti antecedente illud tempus producitur impulsus, vt immediate post illud instans incipiat mouere proiectum: accedit quod impulsus nõ habet contrariam qualitatem, & aliàs non est peculiaris ratio quare dicamus debere produci successiue, sicut est de corruptione: ergo dicendum est per se loquẽdo produci in instanti.

Et si respõdeas impulsum non produci, eo tempore quo proiectum per motum incipit distare a proijciente, neque in instanti antecedenti illud tempus, sed in tempore quod est immediate ante hoc instans. Contra est, nam quando quis per motum localem applicat manum lapidi vt illum proijciat, ibi sunt duo motus, immediati, alter quo applicatur manus lapidi, vt possit in illo impulsum imprimere; & instanti terminatiuo huius motus est simultas mouentis cum mobili, quæ non fuit tempore quo durauit motus: ergo in tempore illo quo durauit motus applicationis non potuit produci impulsus, quia nondum erat agens applicatum passo in tempore: vnde immediate post illud instans in quo est simultas mouentis & mobilis, iam proiectum per motum localem incipit distare a proijciente, atque adeò non potest proijciens in illud agere: ergo restat quod impulsus producatur in instanti medio inter vtrumque tempus, in quo mouens est simul cum passo.

Et si obijcias; nam huiusmodi impulsus producitur, cum resistentia ipsius grauis; nam experientia patet ipsum resistere, ne proijciatur.

Respondetur quod non resistit ad illam actionem, quæ est productio impulsus, sed ad aliam requisitam, scilicet ad motum localẽ, quo violenter proijcitur: nam cũ graue sit, resistit ne ita facile dimoueatur a proprio loco.

Dixi tamen notantèr in conclusione impulsum per se loquendo produci in instanti: nam aliquando contingit quod per accidens producatur successiue, vt quando quis manu successiue impellit lapidẽ absque eo quod tempus aliquod desinat, magis ac magis illũ impellere, tunc enim impulsus per accidens producitur suc-

successiue: quia successiue durat illa actio impellendi; cum hoc tamen impulsus natura sua aptus est produci in instanti vt dixi; sicut lumen natura sua aptum est produci in instanti, tamen de facto producitur successiue per accidens, quia luminosum non applicatur simul omnibus partibus medij, sed successiue, quia applicatur per motum localem, qui successiue fit.

R. ad rat. dub. Ad rationem dubitandi ex dictis patet solutio: quamuis enim impulsus non habeat contrarium à quo corrumpatur, tamen ab extrinseco, & natura sua petit successiue languescere, vt vidimus.

QVAESTIO. VI.

A quo moueantur proiecta, quando resiliunt

ALiquando contingit proiecta resilire ex corpore aliquo, vt quando pila ad parietem missa, postquam illud tangit retrogreditur, ille motus quo retro greditur est resilere: quærimus ergo à quo causetur effectiue ille motus.

Prima sententia affirmat huiusmodi corpora, quæ resiliunt moueri effectiue à corpore à quo primo fuerũt proiecta mediante impulsu ab illo causato, non vero à corpore à quo resiliunt: vnde dicunt pilam non moueri effectiue a corpore a quo resilit, sed a proijciente: quod primo illam proiecit; non quidem, quod immediate moueatur ab illo, quia quando resilit distat a proijciente, sed ab impulsu impresso a proijciente. 1. Sentent. Cuius sententiæ fundamentum est: nã paries a quo pila resilit quiescit: ergo non potest impellere lapidẽ vt resiliat: ergo debet causari a primo proijciente medio impetu ab illo impresso. 1. Ration.

Secundo, experientia patet pilam eo velotius resilere à pariete, quo maiori velocitate fuit proiecta in illũ: ergo signum est talem motum causari a primo proijciente.

Tertio videtur esse expressa sententia Arist. hoc libro text. 32, vbi sic inquit: *Reflexa sphæra non a pariete mota est, sed à proijciente*: Super quæ verba Diuus Thom. dicit quod paries non dedit impulsum pilæ vt resiliat, sed proijciẽs.

Secunda tamen, & vera sententia a nobis tenẽda est, cor-

A quo moueantur corpora, quæ resiliunt. pora, quæ resiliunt non moueri ab antiquo impulsu impresso a proijciente, sed ab alio nouo impulsu producto a corpore a quo resiliunt, & ita moueri ab ipso corpore a quo resiliunt. Quæ sententia iam hoc tempore cõmunis est. Probatur enim ratione aperte. Primo, quia pila sola sua grauitate naturali descendens resilit a terra, & sursum mouetur; sed ille motus non potest fieri a grauitate naturali illius; quia grauitas non potest esse causa motus sursum: ergo fit ab impulsu de nouo producto ab ipsa terra, a qua resilit, nam antea nullum habuit impulsum, vt suppono.

Secundo, quia si talis motus fit ab antiquo impulsu, non vero ab ipso corpore a quo resilit: ergo tale corpus a quo pila resilit effectiue, nihil confert in talem motum; sed tantum deseruit, vt detineat mobile, ne vlterius moueatur, sed inde resiliat: sed talem detentionem ita impedit corpus molle, sicut corpus durum, imo experientia patet corpus molle melius detinere proiecta, quàm corpus durum, aut saltem vtrum que detinet pila: ergo pila ita bene resiliret à corpore molli, sicut a duro quod est contra experiẽtiã: signũ ergò est corpus à quo pila resilit effectiue cõcurrere ad illũ motũ & ita melius resilit a corpore duro, quàm à molli.

Tertio, quia nulla potest reddi ratio, quare lapis nõ resiliat ex pariete, sicut pila, si corpus resiliens mouetur ab antiquo impulsu: nã tã magnus impetus potest produci in lapide a proijciente sicut in pila: signum ergo est ideo pilam resilire ex pariete non vero lapidem; quia pila est corpus aptius vt pellatur a pariete quã lapis, & ita corpus a quo aliud resilit effectiue cõcurrit ad talẽ motũ. Tãdẽ probatur, quia vt supra vidimus idem numero impulsus nõ potest esse causa effectuũ cõtrariorũ: ergo impulsus impressus a proijciente quo pila mouetur versus parietẽ nõ potest esse causa motus cõtrarij quo resilit ex pariete: ergo debet esse aliquis nouus impulsus productus a corpore a quo resilit, atq; adeò ab illo mouetur effectiue.

Vnde ad argumẽta cõtrariæ sẽtẽtiæ respõdetur ad primũ ꝙ quãuis paries à quo pila resilit quiescat, potest optime illi imprimere impulsũ, quia satis est ꝙ pila illũ tãgat vehemẽti impetu: nã per illum vehemẽtẽ cõtactũ facile potest *R. ad 1. rationem.*

test impulsus produci, si corpus aptũ sit, vt facile resiliat. Ad secũdũ verũ esse pilã, eo maiori velocitate resilire quo velotius moueatur ad parietẽ: ratio vero huius non est, quia eodem impulsu resiliat quo antea mouebatur, sed quia vehemẽs cõtactus pilæ cum pariete est conditio vt producatur nouus impulsus & ita quia quanto velotius mouetur est vehemẽtior cõtactus, ideo quo velotius mouetur ad parietẽ eo velotius resilit, sicut quia aproximatio est conditio requisita ad calefactionẽ, quo maior est aproximatio producitur maior calor, augetur enim effectus cęteris parrib⁹, aucta cõditione a qua pẽdet. Ad tertiũ placet mihi subtilis eorũ expositio, qui asserũt Arist. dũ dicit corpora quę resiliũt nõ moueri a corpore a quo resiliũt, sed a proijciente, loqui de causa per accidẽs, ita vt dicat corpora illa nõ moueri per accidẽs a corpore a quo resiliũt, sed a proijciẽte, tñ per se moueri a corpore a quo resiliũt. Quæ expositio sine dubio est ad mẽtẽ Arist. nã cũ in verbis antecedẽtib⁹ disputasset de causis quę per accidẽs mouẽt, qualiter inquit, remouẽs, prohibẽs est causa per accidẽs ꝙ lapis moueatur deorsũ, statim addit verba illa, *Sicut reflexa sphæra nõ a pariete mota est sed à proijciente*, ergo euidẽter colligitur sẽsũ esse reflexa nõ moueri a pariete per accidẽs sed a proijciẽte, tñ per se moueri a pariete, merito autem dicit Arist. causã per accidẽs illius mot⁹ nõ esse parietẽ, sed proijciẽs: nã quẽadmodũ ꝙ applicat ignẽ est causa per accidẽs, ꝙ ignis calefaciat, causa vero per se tãtũ est ipse ignis: sic etiã, quia proijciẽs per motũ, quo primo pilã proiecit applicuit illã parieti a quo tãquã a causa per se resilit, ideo proijciẽs est causa per accidẽs illi⁹ motus; causa vero per se est corp⁹ a quo ipsa resilit. Ad locũ D. Thom. fateor illũ difficile posse trahi ad nostrã sẽtẽtiã cũ expresse neget absolute impulsum a quo mouẽtur corpora resilientia produci a corpore illo a quo resiliunt: si tamen diuinare licet, vel exponi potest quod loquatur, sicut Arist. cuius verba eo loco comẽtatur, vel ꝙ ille impulsus nõ fiat a corpore, a quo resilit solũ, ita quod ab illo solo dicatur moueri, nã radicaliter, & remote dicitur etiam, moueri a primo proijcienti præsertim in vulgari modo loquendo.

Restat tandem in hac quæstione

Difficultas alia, a quo moueatur, corpus pendens à fune.

stione non leuis difficultas a quo moueatur corpus pendens a fune quod huc, & illuc mouetur donec tandem quiescat: nam certe non potest semper moueri ab impulsu: nam quando postquam peruenit ad aliquam partem, deinde in contrariam mouetur, iam impulsus est corruptus, ideo enim desinit moueri versus vtramq; partem, & in contrariam tendit, quia impulsus quo ferebatur in contrariam partem corruptus est, & quando in contrariam partem tendit non potest ille motus causari a priori impulsu: quia idem impulsus non potest esse causa motuum contrariorum; neq; recipit de nouo impulsum ad secundam fluctuationem: quia contingere potest, quod a nullo impellatur in secunda fluctuatione, sæpe enim contingit corpus pendens a fune semel tantum impulsum multoties fluctuare. Neque etiam potest tribui motus secundæ fluctuationis grauitati illius corporis. Ratio est, quia contingit ad finé illius fluctuationis ascendere, vt patet in ostello Hispane exemplo, grauitas autē non potest inclinari in motū ascēdēdi.

Fateor quidē rē hāc a nemine tactā mihi nō parum esse difficilē, existimo tñ dicēdū esse, illud corpus detentū in illis fluctuationib⁹ in primis nō moueri a grauitate naturali vt ratio dubitandi euidēter probat, & ita moueri ab impulsu superaddito. Propterea existimo illas omnes fluctuationes nō causari effectiue ab eodem numero impulsu: quia incredibile est eūdem numero impulsum totius esse causam motuum cōtrariorum, & ita consequenter crediderim in quauis fluctuatione de nouo produci impulsum.

Vnde deindè examinandum restat a quo producatur ille impulsus, qui in quauis fluctuatione producitur diuersus. Et reuera ille impulsus nō producitur ab aere medio: quia sæpe cōtingit corpus illud moueri cōtra impetū venti flātis, & ita aer potius impedit talē fluctuationē: tū etiā quia reuera idem motus fluctuationis posset cōtingere in vacuo, vbi tñ nullū est mediū. Quare cū ibi non sit proijciēs, neq; corpus illi obuiās a quo resiliat, procul dubio dicēdū est tales impulsus pduci a corpore detinēte illud uiolēter, ita q tādē illud corpus a quo detinetur funis imprimat illos impulsus, præterquirat tñ cōditionē illam, q corpus

corpus saltem in illa fluctuatione prima fuerit proiectũ ab alio, qua conditione posita corpus à quo pẽdet in singulis fluctuationibus produ cit de nouo impulsum, semper tamen minorẽ, & minorem, donec tam exiguus est impulsus, quod grauitas illum excedat, & sic tandem mobile quiescit: nec debet esse incredibile, quod corpus à quo funis pẽdet, quod quietum est, producat illos impulsus: nam etiam corpus à quo aliud resilit, quanuis quietum sit, producit in illo impulsum: nã sicut ibi adest fortis contactus vnius cum alio, qui est condi ...io requisita, & sufficiens ad producendum impulsum, ita hic adest detentio violenta, & motus violentus, primo factus, quod erit sufficiens, vt deinde in singulis motibus producantur de nouo impulsus.

QVÆSTIO VII.

Vtrum proiecta in puncto reflexionis quiescant quiete negatiua, vel potius priuatiua.

Punctũ reflexionis appellatur, quando v.g. lapis sursum proiectus, peruenit ad vltimam partem sui ascensus, indeque contrario motu descendit; quærimus ergo, an in eo puncto reflexionis detur, quies negatiua, vel potius priuatiua.

Pro quo aduertendum est huiusmodi reflexionem motus cõtingere posse quatuor modis. Primo, ita vt post motum naturalem, sequatur naturalis: vt patet in motu constrictionis, & dilatationis cor dis. Secundo ita, vt post motum violentũ, sequatur motus præternaturalis, vt quan do lapidi sursum ascendenti, occurrit magna molis, illumque deprimit maiori velocitate, quàm ipse lapis peteret in motu deorsum. Tertio ita, vt post violentum sequatur alius violentus, vt quando pila violenter in parietem missa, retrorsum resilit. Quarto ita, vt post motũ violentum, sequatur alter mere naturalis, vt quando lapis sursum, & suæ naturæ relictus, deinde deorsum descendit. Quærimus ergo, an in puncto reflexionis horum motuum, detur quies tantum negatiua, quæ est quies instan-

Reflexio in motibus proiectorũ quadrupliciter contingit.

 tanea

taneа, vel potius priuatiua, quæ est quies temporanea.

Circa 1. Circa primum communis Medicorum sententia, est dari quietem temporaneam, in motu constrictionis, & dilatationis cordis: tenet Vega, lib. 1. de arte medendi, cap. vltim. ante medium. Valles cap. 6. controuersiarum medicarum, cuius rei duplicem redunt rationẽ primam, quia talis motus cordis est gratia alicuius boni quo fruitur in termino motus: ergo oportet aliquantulum quiescat, vt fruatur refrigeratione: tum etiam, quia valde profecto esset laboriosum naturæ, nunquam à tali motu desistere, & ita oportuit talem motum temporaneis quietibus interrumpi.

Videatur Petr. Gars.

Circ. 2. quid In secundo vero casu etiá conueniunt omnes, tantum dari quietem negatiuam, & instantaneam. Ratio est, quia si dum leuis palea sursum projecta ascendit, magna mollis descendens illi occurrat, eamque deprimat, si in puncto reflexionis palea quiesceret tempore aliquo, iam haberet sufficientem virtutem ad detinendam violenter tẽpore aliquo maximam molẽ, quod est falsum. Et ratio à priori est, quia ea pars motus qua magna moles descendit, vsque ad paleam desinit per primum non esse, ita vt sit verum dicere, nunc non est illa pars motus, & immediate antea fuit, & ita talis motus in illo instanti, in quo cessauit motus appropinquationis tangit vehementi contactu paleam, atque adeò in illo instanti producitur magnus impulsus: ergo immediate post tale instans, iam descendit palea coacta à magno illo impulsu: ergo tantũ quiescit, quiete negatiua.

Circa 3. In tertio vero casu de pila resiliente ab alio corpore dicendum est breuiter, quod si tam corpus resiliẽs, quàm corpus resistens, à quo resilit sint admodum dura, ita vt non sibi cedant, vt quando vnus lapis tangit alium, à quo resilit tunc tantum datur quies negatiua in puncto reflexionis. Ratio est, quia tunc cum talia corpora non sibi cedant, tantum durat contactus in instanti, in quo est primum non esse motus localis præteriti, & cum impulsus producatur in instanti, reuera producitur in eo instanti, in quo est vehemens contactus illorum corporum, & ita immediate post tale instás iam resilit per motum localem. Similiter, si vtrumque corpus aliquantulum

lum alteri cedat, solum datur quies negatiua: nam quãuis contactus illorum sit temporaneus, quia ad inuicem percontactum comprimuntur per motum localem, ideò immediate post illam compressionem, alterum corpus resilit, per motum localem, quin detur tempus quietis. Si vero corpus resiliens, non sit admodum durum, sed aliquantulum cedat, corpus vero resistens, nullo modo cedat: tunc dicendum est dari quietem priuatiuam, & temporaneam. Ratio est, quia superficies vltima pilę tangit corpus durum in instanti, post motum localem quo appropinquauit, & cum pila comprimatur, partes quæ sunt post superficiem illam, adhuc mouentur localiter motu compressionis: ergo nullo tempore quiescit superficies pilæ tangens corpus durũ; quia propter duritiem illius, non potest illud comprimere per motum localem: ergo tunc datur quies temporanea, respectu totius pilæ, in qua mora aliquæ eius partes comprimuntur, vt mediante illa cõpressione producatur impulsus, quo resiliat postea.

Præcipua difficultas. Præcipua ergo difficultas solum est de puncto reflexionis, quando post motum violentum, sequitur motus naturalis, vt quando lapis sursum proiectus, & deinde suæ naturæ relictus, naturaliter descendit, nec deprimitur à magna aliqua mole descẽdẽti.

In quare dico primo in tali motu dari quietẽ priuatiuã, & tẽporaneã. *Assert. I.* Ratio est, quia vt impulsus moueat proiectũ, necessariũ est, quod superet grauitatem naturalem ipsius corporis, & ita tũc desinit motus violentus, quãdo est ęqualitas inter grauitatẽ, & impulsum: ponamus ergo corpus illud habere grauitatẽ, vt quatuor, impulsum vero antea præexistentem esse vt sex. Tũc sic, impulsus, vt supradiximus corrũpitur successiue: ergo successiue desinit vsq; ad quartũ gradũ, quæ actio successiua, desinit per primũ nõ esse: ergo tunc in illo instanti, est æqualitas inter grauitatẽ, & impulsum, quia vtrumq; est, vt quatuor: ergo in illo instãti, necessario quiescit mobile, deinde vero immediate post illud instans, iã grauitas est maior impulsu, quia cum impulsus paulatim languescat transacto illo instanti, in quo erat æqualis cum grauitate, iam deinde est minor, & grauitas illum superat, sed quamuis grauitas

grauitas in illo tempore superet impulsum, tamen medium, quod scindendum est resistit, quæ resistentia debet vinci in tempore: ergo in illa parua mora, quiescit proiectum quiete priuatiua.

Et si inquiras à quo conseruetur illa præsentia localis, eo tempore quo quiescit sursum. Respondetur in primis, non conseruari effectiuè ab impulsu, quia impulsus potius est qualitas motiua, quã ordinet ad quietem: neque etiam conseruatur effectiuè à grauitate, quia grauitas potius conatur descendere, sed conseruatur à medio in quantum aliquo tempore resistit, ne graue descendat.

Obiic. 1. Sed contra potest difficile obiici. Primo: quia in illo instanti, in quo nos fingimus esse æqualitatem inter grauitatem, & impulsum, acquirit proiectum quodam indiuisibile præsentiæ, quia in illo instanti est primũ non esse motus, vt vidimus supra in instanti terminatiuo motus localis acquiritur indiuisibile præsentiæ, per vltimam mutationem indiuisibilem terminatiuam motus, quam supra diximus dari: ergo impulsus in illo instanti, adhuc contra resistentiam grauitatis efficit, ingraui-tale indiuisibile: ergo necesse est quod excedat in sua actiuitate resistentiam grauitatis, atque adeò numquam sunt æquales.

Obiic. 2. Secundo, quia si in toto tẽpore ante illud instás impulsus fuit maior grauitate, necessario talis excessus fuit diuisibilis, & in instanti sequenti non est, quia secundũ nos est æqualis grauitas cum impulsu, sequitur illum excessum diuisibilem corrumpi in illo instanti, atque adeò falso diximus, supra impulsũ corrumpi successiue.

Resp. ad 1. obiec. Sed respondetur ad primum, quod vt diximus 6. lib. Physic. indiuisibilia terminatiua, effectiuè oriuntur ab ipsis partib⁹ diuisibilibus quas terminant, & ita pars diuisibilis præsentiæ, quæ acquisita fuit in tempore antecedẽti, ante illud instans, deinde in instanti sequenti producit suum indibisibile presentiæ quo terminatur, & ita sufficit impulsum immediate, antea fuisse maiorem, produxisseque partem diuisibilem præsentiæ vt postea, ab illa præsentia resultet illud indiuisibile.

Ad 2. Ad secundum respondetur, quod in toto illo tempore immediato ante illud instans, cum impulsus moueat lapidem,

lapidem, reuera excedit grauitatem illius, atq; adeò per aliquid diuisibile, vt argumẽtum probat, loquendo tamen de toto illo tempore distributiuè, quia nulla est pars assignabilis, in qua impulsus, non sit maior grauitate, quia tamen dantur infinitæ partes in illo tempore, in quarum qualibet, impulsus paulatim corrumpitur, ideo in omnibus collectiuè, sumptis corrumpitur; quæ difficultas communis est ad omnia quæ successiue corrumpuntur: nam quando calor corrumpitur successiue per motum desinentem, per primum non esse, ante illud instans, quod est primum, non esse caloris, semper in tempore antecedenti fuit calor diuisibilis, qui paulatim corrumpitur, ita vt nulla sit dabilis pars temporis, in qua non sit, dabilis calor diuisibilis, tamen in toto illo tempore collectiuè corrumpitur totus calor paulatim, sicut ipsum tempus paulatim fluit, ita vt in instanti sequenti, iam non sit tempus.

Asseri. 2. Dico secundo in hac quæstione, si lapis moueretur sursum per vacuum, non daretur in puncto reflexionis quies priuatiua, sed tantum negatiua. Ratio est, quia in vacuo non habet locum, ratio illa desumpta ex resistentia medij, quia vacuum caret medio, & ita, postquam in instanti est æqualitas inter grauitatem, & impulsum, immediate post tale instans, impulsus successiuè languescens, esset minor ipsa grauitate, & ita cum ex parte medij non sit resistentia, grauitas excedens impulsum causabit motum naturalem deorsum: ergo, tunc proiectum solum quiesceret quiete negatiua, per instans, in quo impulsus, & grauitas sunt æquales.

Sed contra obiici potest; nam quies negatiua, non est sufficiens à discontinuandos motus, nam in quolibet tu continuo, per singula instantia, quiescit mobile, quiete negatiua, cum in instanti, non possit esse motus successiuus: sed motus quo lapis proiectus, ascendit est discontinuus, ab eo quo postea descendit: nam motus sursum, & deorsum, cum differant specie, non possunt continuari: ergo non discontinuantur per quietem negatiuam.

Respon-

euidens est velotius moueri.

Secũdo, hæc est causa quare gutta aquæ à tegula descendens, quamuis in principio tota sit vnita, tandem in fine diuiditur, eo, quod cum velotius moueatur: velotius etiam percutit partes aeris, ac perinde ipsa etiã secatur, & diuiditur; sed quæ sit causa huius maioris velocitatis, adeò est difficile explicare, vt de hac re quot sunt capita tot sententiæ.

1. Dicendũ modus. Primus modus dicendi est quẽ sequitur his Parleus Astronomus, quidam vt refert D. Thom. 1. lib. de cœlo cap. 8. dicens, quod quando lapis sursum proiectus deinde descendit, in tali descensu paulatim finitur impulsus, quo sursum ferebatur, & ita quãto magis mouetur, quia impulsus magis minuitur, ideo veloti us mouetur. Est tamẽ hic modus dicendi aperte insufficiens, quia potest poni casus, quod graue nullum talem habeat impulsum, vt si fingamus lapidem miraculose, creari in parte superiori, deniq; deorsum moueri, tūc proculdubio moueretur velotius in fine, quã in principio, sicut de facto mouetur nullũ, tñ haberet impulsum.

2. Modus. Secundus dicendi modus est, quẽ sequitur Iambelius referente Simplicio 1. lib. de cœlo, cap. 8. qui aliam huius rei causam assignauit dicẽs, quod dũ graue magis deorsum mouetur, est minor quãtitas aeris, quæ resistit, & ita propter minorẽ resistentiam veloti⁹ mouetur in fine, quã in principio. Sed neque hic modus dicẽdi placet. Primo quia ponamus duos lapides æqualis ponderis descendere, alterum tamen à loco magis superiori: tunc quãdo illi duo lapides perueniũt ad distantiam vnius vlnæ circa terram, lapis, ex altiori loco descendens velotius mouetur, cum tamen in illo spatio sit æqualis portio aeris scindenda, scilicet, vnius vlnæ: vtrobiq; ergo alia est causa illius maioris velocitatis.

Secundo, quia vt sępe dixi etiam in vacuo proculdubio esset illa maior velocitas in fine, quàm in principio, ibi tamen nullum medium est, quod debeat scindi ergo.

Tertius modus dicendi est asserentium in centro esse, quandam virtutem attractiuam corporum grauium ad se, non secus quàm magnes in se habet virtutem attractiuam ferri, & ita quanto graue magis appropinquat centro; veloti⁹ mouetur, quia cẽtrum fortius, & intensius agit 3. Modus.

agit in illud: causa enim efficiens intensius operatur, in propinquum, quam indistans.

Hic tamen modus dicendi, in primis impugnari potest ratione iam facta: nam ex duobus lapidibus, peruenientibus ad eandem distantiam vnius vlnæ circa centrum, qui ex altiori loco descendit, ille velocius mouetur, cum tamen centrum, si aliquid in illos ageret, æqualiter ageret in vtrumq; quia sunt, in æquali distantia ab illo.

Secundo etiam, hæc sententia ex eo merito, omnibus displacet, quia gratis est & sine fundamento fingit, centrum habere illam virtutem atractiuam corporum grauium, quia cum grauia habeant inter se principium sui motus, aut in aliorum opinione à generante, moueantur ad centrum, non est cur fingatur, in centro virtus aliqua attractiua: nam si ferrum natura sua ad magnetem ferretur, non esset opus magnetem habere virtutem attractiuam ferri: solum ergo, concurrit centrum ad talem motum, per modum causæ finalis, quia est finis, ad quem optinendum graue mouetur.

Quartus modus dicendi est, quem sequitur Petrus Martinez, primo libro de cœlo, capite octauo, dicens; quod elementa trudunt, & pellunt ad se corpora extranea, quæ scilicet participant naturam alterius elementi; vt quando lapis, dum per aerem mouetur, trudatur, & impellatur ab illo, quia est naturæ terrestris, & ita lapis continuo magis, ac magis detrusus, velotius mouetur in fine, quàm in principio. Sed neq; hæc sententia placet eadem de causa: nam lapis per grauitatem, sibi à natura insitam, habet sufficiens principium: vt ab aere descendat, vsque ad proprium locum, frustra ergo fingitur in elementis virtus illa expulsiua extranei corporis. 4. Modus.

Secundo, quia saltē in vacuo, hoc non haberet locum Tertio, quia quando lapis deorsum descendit, contra impetum venti conantis illum detinere, reuera, potius impeditur ne descendat, quā ab eo loco detrudatur.

Quintus modus dicēdi est Alexandri Afrodisei, asserentis causam huius maioris velocitatis esse, quia graue à centro extractum, est extranea- 5. Modus.

straneatum præter actionem contrarij elementi, deinde vero quò mag s ad centrum appropinquat, qualitates naturales illius magis fortificantur, & ita grauitas, quæ oritur ab illis primis qualitatibus, magis etiam roboratur, & itra graue velotius mouetur infine quam in principio.

Hæc tamen sententia etiam potest impugari ratione supra facta: nam si duo lapides ęqualis ponderis moueantur ad centrum, quorũ alter descendit à loco sublimi, alter vero à loco inferiori, in quo antea fuit detentus quando proueniunt ad distantiam ęqualem à centro, qui ex altiori loco descendit, velotius mouetur: sed alter qui fuit in loco inferiori cum habuerit maiorem propinquitatem ad centrum potuit multo melius roborari in suis qualitatibus quàm alius magis à centro eleuatus: ergo alia causa est illius velocitatis.

6. Modus. Sextus modus dicendi est asserentium causam huius nullam esse aliam, nisi quia natura incipit ab imperfectioribus: nam quemadmodum prius producitur calor vt duo, quam vt sex, ita natura prius efficit motum imperfectum, scilicet tardum, postea vero motum velocem, tamen neque hic modus placet: nam quàuis verum sit quod natura ab imperfectioribus incipit, semper tamen est assignabilis causa aliqua huius rei, qualiter in exemplo prius producitur calor vt duo, quàm vt sex propter resistentiam frigiditatis, à quo prouenit, quod calor paulatim producatur, & ita oportet aliquam aliam assignare, quare natura prius efficiat motum imperfectum, scilicet tardum, quàm velocem.

Septimus modus dicendi, & satis hoc tempore communis est asserentium maiorem illam velocitatem, quæ est infine motus prouenire, ex eo, quod partes aëris confluentes ad replendum vacuum relictum à core, imprimunt illi quandam grauitatem accidentalem illi super additam: vnde quia tales partes quò graue magis mouetur continuò confluunt ad replendum vacuum, ideo continuò velotius mouetur infine quàm in principio. Tenet Burleus hoc libro text. 7. Modus.

tu.76. Contarenus vero lib. de elementis Sotus hoc lib. quæstione tertia, ad secundum Toletus textu. 76. Pegeir. lib. 14 cap. 3.

Hæc tamen sententia merito hoc tempore pluribus displicet primoquia partes illæ quæ confluunt ad replendum vacuum mouentur actiuè ab ipso corpore: nam vt vidimus. 4. lib. Physicorum disputatione. 12. omne corpus quod mouetur ad replendum vacuum, mouetur effectiuæ ab alio corpore quod exiuit ab illo loco, ita quod trahat aliud post se: ergo nihil confert ad motum illius, quin potius ipsum corpus confluens ab alio mouetur.

Secundo, quia etiam si partes quæ confluunt ad replendum vacuum aliquid iuuarẽt ad illum motũ, tamen ex alia parte est resistẽtia in partibus anterioribus aeris, quæ debent scindi vt mobile per transeat: ergo omnibus pensatis sicut mediũ partim iuuat, partim etiam resistit ad illum motum, atque adeo aliunde est inuestiganda causa illius maioris velocitatis.

Tertio, quia contingit, mobile aliquod descendere deorsum cõtra impetum vehementem venti conantis illud detinere à quo multo magis profectò impeditur quã iuuetur à confluxu partium aeris, quę mouetur ad replẽdũ vacuum, qui paruus motus est: ergo alia est causa illius velocitatis.

Quarto, quia reuera si lapis descenderet per vacuũ, etiã moueretur velotius in fine quã in principio, ibi tũ non est mediũ cuius partes iuuare possint ad maiorẽ motus velocitatem ergo.

Quinto tandẽ nã si partes aeris pellunt ipsum graue vt velotius moueatur, sequitur illã maiorẽ velocitatẽ nõ esse naturalẽ illi, quia fit mediante impulsu partiũ aeris, atq; adeo graue ex propria natura nõ moueretur velotius in fine quã in principio, ꝙ est contra omnes.

Quare octauus modus dicendi, & qui nobis placet est quem indicat Petrus Martinez. 1. lib. de cœlo capite. 8. quod scilicet ideo motus naturalis sit velotior in fine quàm in principio, quia graue dum magis ac magis mouetur naturaliter ab intrinseco acquirit quandam grauitatem accidentalem; quæ quò magis mouetur maior est, *Ad octauus modus, & tenẽdus.*

est, & ita mouetur velotius: quæ grauitas differt spetie à grauitate permanenti, quam semper habet. Quæ sententia probatur discurrédo per eius partes: quia sicut motus deorsum est naturalis graui, ita maior velocitas est illi naturalis: ergo sicut motus deorsum fit à principio intrinseco, scilicet à grauitate naturali illius, ita maior velocitas naturalis quam in fine habet, debet esse ab aliquo principio intrinseco: ergo habet in se quandam nouam grauitatem accidentalem, à qua fiat illa velocitas. Quod vero illa grauitas accidentalis non producatur ab extrinseco, sed potius oriatur effectiue ab ipsa graui. Patet ex dictis nam si ab aliquo causaretur maxime à partibus aeris, istæ autem potius mouentur vt dixi actiue ab ipso lapide ad replendum vacuum. Tum etiam, quia in vacuo esset motus naturalis velotior in fine quã in principio, ergo illa grauitas accidentalis oritur effectiue ab ipso graui, quod autem differat spetie à grauitate naturali permanenti ipsius grauis probatur. Quia grauitas naturalis ipsius grauis est qualitas natura sua diu permanens in graui, at vero hæc grauitas aduentitia cito transit natura sua: ergo distinguitur spetie ab illa.

Addo tamen etiam distingui essentialiter à qualitate, quæ appellatur impulsus. Ratio est, quia impulsus, vt vidimus, non magis ordinatur adhuc motum, quàm ad illum, hoc enim tantum habet ex diuersa applicatione mouentis vt vidimus, ex se vero tantum petit remouere proiectum à proijcienti quocumque fiat, at vero hęc grauitas accidentalis super addita grauis determinatè tantum efficit velocitatem in motu deorsum, & est connaturalis graui ab intranseco illi proueniens, quod non habet impulsus.

Etsi inquiras an huiusmodi grauitas accidentalis effectiue tantum proueniat à forma substantiali ipsius grauis, vel potius fiat etiam à grauitate reali permanenti quam habet. Respondetur reuera non produci effectiue à grauitate naturali ipsius grauis, sed duntaxat à forma substantiali. Ratio est, quia qualitas motiua qualis est grauitas non est causa efficiens alterius qualitatis in eodem subiecto, sed in alio: nam quamuis lapis per grauitatem

quam habet in se, pos sit in alio corpore producere impulsum, tamen in eodem subiecto non potest producere aliquam qualitatem motiuam, aliàs illa posset producere aliam, & sic in infinitum. Dicendum ergo est tantum oriri à forma substantiali ipsius grauis, ita quod sicut grauitas permanens semper ab illa oritur, & conseruatur: ita hæc grauitas accidentalis oriatur ab illa dumtaxat pro certo tempore, scilicet, pro tempore quo durat motus.

Etsi obijcias ex hoc sequi quod substantia sit immediatum principium operandi, siquidem forma substantialis se sola producit illam grauitatem accidentalem, Respondetur principium hoc non esse intelligendum de substantia quomodocumque sumpta, sed tantum de substantia naturali modo se habenti secũdum omnia sibi debita: nam sicut in opinione fere omnium substantia aquæ postquam calefacta est, relicta suæ naturæ effectiue se reducit ad suam pristinam frigiditatem: ita non est mirum quod graue violenter à suo centro extractum effectiue in se producat qualitatem qua celerius acquirat centrum, & ita velotius moueatur.

Sed adhuc contra hanc sententiam sic explicatã duo obijci possunt. Primo quia si graue in fine motus habet accidentalem illam grauitatem super additã, sequitur quod habeat maius pondus, quam antea, atque adeo lapis qui antea habebat pondus vnius libræ, in fine motus haberet maius pondus, quod videtur ridiculum.

Secundo quia nulla ratio excogitari potest quare graue producat in se illam accidentalem grauitatem tempore motus, & non quando iã in suo centro quiescit, si quidem principium intrinsecũ a quo prouenit, scilicet, substantia grauis semper est eadem.

Sed respondetur ad primum quod si nomine ponderis intelligatur quælibet grauitas, reuera in fine mot⁹ habet maius pondus, cuius rei signum est quod posito vno lapide in vna lance, si alius æqualis ponderis descẽdat dum tangit alteram lancem, reuera illam deprimit deorsum: ergo signum est habere tunc maius pondus: verum est pondus illud statim finito motu finiri, quia solum durat tẽpore motus,

& ita

& ita statim illi lapides æqualance ponderant.

Ad secundum duas esse rationes, quare talis grauitas aduentitia potius producatur pro tempore motus, quã quietis. Prima sumitur ex parte causæ finalis, scilicet vt graue celerius perueniat ad suum centrum, & impedimẽta intermedia quæ plura ocurrere possunt facilius vincat, quando vero iam est in centro per solam grauitatẽ naturalẽ, ibi potest quiescere, tamem dum mouetur nõ potest per solam grauitatem naturalem moueri velotius in fine, quam in principio, quia semper est eadem grauitas permanens & ex parte medij potius potest impediri quam iuuari vt dixi, & ita ad aliam causam recurrendum est.

Secunda ratio sumitur ex parte dispositionis, nam motus localis est congrua dispositio ad talem qualitatem. Cuius rei signum est quod statim ac cessat ille motus, finitur illa grauitas accidentalis, imo idem est de impulsibus, nam si lapidem vehementi impetu proiectum, statim detineas, statim etiam finitur impulsus, vnde quo maior est motus naturalis, maior est & congruentior dispositio ad illam grauitatem accidentalem, & ita fit continuo maior & per inde velociorem motum efficit. Vtrum autem sit eadem ratio de motu proiectorum statim dicam.

Sed obijcies nam potius est qualitas motiua propter motum, quam motus propter qualitatem motiuam: ergo motus non est congrua dispositio natura sua ordinata ad qualitatem motiuam. Respondetur in motu esse plures partes priores & posteriores, vnde motus secundum partes priores disponit vt illa grauitas accidentalis producatur, deinde vero illa grauitas iã producta est causa quod partes restantes motus sint velotiores, quæ rursus disponunt vt illa grauitas maior sit quam fuit antea, & deinde efficit motum velotiorem in posterioribus partibus, & sic vsque ad finem motus. Quemadmodum actus priores causant habitum, & deinde habitus est causa posteriorum actuum.

Vltima dubitatio hoc loco examinanda est quæ sit causa maioris velocitatis in motu violento. In qua reconueniunt omnes motum violentum, vt patet esse velotio-

lotiorem in principio quam in fine.

Secundo conueniunt omnes motum violentum esse velociorem circa medium, quàm in principio: idē enim comprobat manifesta experientia: nam si lapidem versus parietem proijcias longe maiorem ictum efficit in parte aliquantulum distanti, quā statim in principio: sed oportet assignare causam maioris velocitatis, causa autem huius est, nam motus localis est congrua & conueniens dispositio ad impulsum: quia vt antea dicebam, si post magnum impetum lapidi impressum statim detineatur, statim etiam finitur impulsus. Vnde quanuis impulsus in instanti producatur, vt supra dixi, non tamē in instanti intenditur, sed successiuè, sicut motus durat. Quemadmodum lumen productū in nube successiue intēditur si successiue & paulatim nubis fiat magis rara, quia raritas est dispositio congrua ad lumen, & ita in medio motus, iam impulsus prouenit ad omnem intensionem quam habere potest, atque adeò efficit motum velotiorem: in fine autem motus quanuis præcesserint plures partes motus, quam in medio, aut in principio, est tamē in pulsus minor, & ita motus minus velox. Cuius ratio est iam supra tacta, nam tantus impulsus petit tantum motum localem, & nō amplius. Vnde postquā peruenit ad totam intēsionem sicut paulatim finitur motus, ita natura sua petit successiue lāguescere, atq; adeò in fine motus efficit motū minus velotiorē, donec tādē finitur, quod totū à posteriori colligim': nam cum in medio motus sit maior velocitas, inde colligimus impulsum vsque ad illum spatium non habuisse intēsionem, quā petit iuxta impetū impressum à proijciēte: quia vero in fine experimus motum esse tardum, colligimus talem impetum versus finem languescere. Atque his finitur ea Philosophiæ pars quæ octo libris Physic. continetur.

(.?.)

FINIS.